

Handwritten text in a Gothic script, likely a title or author name, running vertically down the spine of the book.

Ms. A  
3-269



18 a 7

12

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Clase	H
Edic.º	2
Tabla	
Número	269



0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20



18 a 7

12

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	H
Edificio	3
Tabla	
Número	269





LIBRI  
DE  
ORTV, ET INTERITV:





*Del Colegio de la Corp. de M. de Granada 1588*

COMMENTARI  
IN DVOS LIBROS  
ARISTOTELIS DE ORTV, ET  
INTERITV RERV NATVRALIVM; SEV  
DE GENERATIONE, ET CORRVTIONE EARVM,  
IVXTA SVBTILIS DOCTORIS IOANNIS DVNS

R 2533

SCOTI MENTEM, VNA CVM DISPVATIO-

NIBVS, ET QVÆSTIONIBVS, HOC

TEMPORE, AGITARI

SOLITIS.



AD VNIVERSVM ORDINEM  
FRATRV MINORVM.

A V C T O R E

ILLVSTRISSIMO, ET REVENDISSI-  
mo Domino D. Fratre Ioanne Merinero, Ma-  
tricensi: olim in Conuentu Complutensi Sanctæ  
Mariæ à Iesu, Lectore Theologo Iubilato: in al-  
ma Castellæ Prouincia Ministro Prouinciali:  
postea totius Ordinis Fratrum Minorum Ge-  
nerali Ministro. Nunc Sanctæ Ecclesiæ  
Vallis Oletanæ Episcopo.



CVM PRIVILEGIO.

Matriti apud Matthæum Fernandez Typographum Regium.  
Anno M. DC. LIX.

LIBRI  
DE  
ORTV ET INTERITV



1000

FEE DE ERRATAS.

Pag. 23. col. 2. lin. 3 2. affectuum, dig. effectuum. Pagin. 178. col. 2. lin. 34. differunt, dig. differant. Pag. 264. col. 1. lin. 19. connotet, dig. connotat.

Hic liber inscriptus *Cursus Philosophicus in quinque tomis, ex Logica, Physica, Generatione, & de anima, ademptis his mendis*, suis exemplaribus respondet, Datt. Matriti die 5. mens Martij anno 1659.

Lic. D. Carolus Murcia  
de la Llana.

---

*Suma de la Tassa.*

**E**ste curso filosofico tassaron los señores del Consejo à cinco maravedis cada pliego, en quinze de Março de mil y seiscientos y cinquenta y nueue, en el Oficio de Miguel Fernandez de Noriega.

---

**E**stá aprobado este curso filosofico por el Ilustrissimo y Reuerendissimo señor Don Fray Francisco de Araujo, Obispo de Segouia; y por los Reuerendissimos Padres Fray Alonso de Herrera, y Fray Diego Ramirez.

INDEX



INDEX LIBRORVM, DISPVTATIONUM, QUESTIONUM, SECTIONUM, QUAE IN HOC OPERE DE ORTU, & INTERITU CONTINENTUR.

**P**ROCVMIUM, pag. 1.  
*Summa textus totius primi libri,* pag. 2.  
*Annotationes circa literam primi libri* pag. 15.  
*Disp. 1. de generatione entis naturalis,* pag. 16.  
*Quaest. 1. Vtrum generatio simplici- ter?* pag. 16.  
*Quaest. 2. Quid sit generatio simpliciter?* pag. 18.  
*Quaest. 3. Quid sit subiectum generationis?* pag. 23.  
*Quaest. 4. Quid sit terminus ad quem generationis substantialis?* pag. 32.  
*Disp. 2. de corruptione entis naturalis* pag. 44.  
*Quaest. 1. Quid sit corruptio entis naturalis?* pag. 45.  
*Quaest. 2. Quo pacto corruptio, & generatio comparentur inter se?* pag. 48.  
*Quaest. 3. In quo sensu sit verum generatione vnus esse corruptionem alterius?* pag. 53.  
*Quaest. 4. An in viuentibus praeter animam detur forma corporeitatis?* pag. 56.  
*Quaest. 5. Vtrum accidentia subiectentur in materia prima, an in toto composito?* p. 69.  
*Quaest. 6. An in corruptione, &*

noua generatione entis naturalis fiat resolutio vsque ad materiam primam? pag. 87.  
*Disp. 3. De alteratione entis naturalis,* pag. 94.  
*Quaest. 1. Quid sit alteratio, & in quo a generatione differat?* pag. 95.  
*Quaest. 2. Quotuplex sit alteratio?* pag. 97.  
*Quaest. 3. Vtrum alteratio sit motus continuus?* pag. 103.  
*Quaest. 4. Quo pacto fiat intentio?* pag. 115.  
*Quaest. 5. An omnes gradus intentionis eiusdem sint rationis, seu perfectionis?* p. 139.  
*Disp. 4. De augmentatione, & nutritione,* pag. 153.  
*Quaest. 1. Quomodo fiat nutritio, seu accretio substantialis, & in quo formaliter consistat?* pag. 154.  
*Quaest. 2. Quomodo fiat augmentatio, seu accretio quantitativa, & in quo formaliter consistat?* pag. 160.  
*Quaest. 3. Quo pacto augmentatio a reliquis motibus seccratur?* pag. 166.  
*Quaest. 4. Vtrum nutritio, & augmentatio sint motus successiui, & continui?* pag. 180.  
*Quaest. 5. Vtrum in accretione ma-*

I N D E X.

maneat idem numero subiectum? pag. 192.  
*Disp. 5. de rarefactione, & condensatione entis naturalis,* pag. 199.  
*Quaest. 1. An, & quomodo entia naturalia rarefiant, & condensentur?* pag. 200.  
*Quaest. 2. Vtrum per rarefactionem acquiratur noua quantitas, & per condensationem deperdatur?* pag. 205.  
*Quaest. 3. Vtrum rarefactio per se terminetur ad quantitatem? an ad qualitatem? an ad vbi?* pag. 218.  
*Disp. 6. De actione, & reactione,* pag. 224.  
*Quaest. 1. Quid sint actiuitas, & resistentia?* pag. 224.  
*Quaest. 2. Quo pacto actiuitas, & resistentia conueniant primis qualitibus?* pag. 228.  
*Quaest. 3. Vtrum ad agendum debeat esse maior actiuitas agentis, quam resistentia passivi?* pag. 231.  
*Quaest. 4. Vtrum simile possit agere in simile?* pag. 238.  
*Secl. 1. Explicatur, an simile perse, & ex natura sua possit agere in sibi simile?* pag. 238  
*Secl. 2. Explicatur, an saltem per accidens possit simile agere in sibi simile?* pag. 240.  
*Quaest. 5. Vtrum agens possit producere effectum omnino sibi similem?* pag. 244.  
*Quaest. 6. Vtrum eadem qualitas possit se ipsam intendere?* pag. 248.  
*Quaest. 7. Vtrum omne agens, dum agit, repatiatur a suo-*

contrario? pag. 251.  
*Disp. 7. De mixtione,* pag. 258.  
*Quaest. 1. Vtrum mixtio sit naturaliter possibilis?* pag. 258.  
*Quaest. 2. Quid sit mixtio, & quomodo distinguatur a generatione?* pag. 262.  
*Quaest. 3. Vtrum elementa maneat in mixto actu, & formaliter?* pag. 266.  
*Secl. 1. Discutitur quaestio de formis elementorum substantialibus,* pag. 267.  
*Secl. 2. Discutitur quaestio de formis elementorum accidentalibus,* pag. 273.  
*Quaest. 4. Vtrum in mixtis dari possit temperamentum aequale ad pondus?* pag. 278.  
*Summa textus secundi libri,* pag. 282.  
*Annotationes circa literam huius libri,* pag. 296.  
*Disp. 1. De elementis, & primis qualitibus,* pag. 297.  
*Quaest. 1. Quid sit elementum?* pag. 297.  
*Quaest. 2. Quot sint primae qualitates, & quid sint?* pag. 301.  
*Quaest. 3. Vtrum primae qualitates sint formae elementorum?* pag. 310.  
*Quaest. 4. Vtrum recte collegerit Arist. numerum elementorum ex primis quatuor qualitibus, & quanam primae qualitates singulis elementis conueniant, & qua intentione?* pag. 314.  
*Quaest. 5. Vtrum qualitates contrariae possint simul esse in eodem subiecto?* pag. 325.  
*Secl.*



- Secl.* 1. Explicatur quæstio de qualitatibus contrarijs in gradibus remissis. pag. 327.
- Secl.* 2. Explicatur quæstio de qualitatibus contrarijs in gradibus intensis. pag. 335.
- Quæst.* 6. Vtrùm qualitas elementi minùs intensa habeat permitionē contrariæ? pagin. 337.
- Quæst.* 7. Vtrùm qualitates symbolæ elemētorum sint eiusdem speciei? pag. 341.
- Disp.* 2. De transmutatione substantiali elemētorum. pag. 344.
- Quæst.* 1. Vtrùm quodlibet elementum possit immediatē

transmutari in quodlibet? pag. 344.

*Quæst.* 2. Vtrùm facilius sit trāsmutatio inter elemēta symbola, quàm inter dissymbola? pag. 351.

*Quæst.* 3. Vtrùm res permanentes semel corruptæ, per potentiam diuinam possint redire? pag. 354.

*Quæst.* 4. Vtrùm res permanentes semel corruptæ naturaliter redire possint? pag. 359.

*Quæst.* 5. Vtrùm res successiuæ semel trāfactæ, per diuinam potentiam redire possint? pagin. 370.

COM-

COMMENTARI  
IN DVOS LIBROS ARISTOTELIS DE  
ortu, & interitu rerum naturalium, seu de generatio-  
ne, & corruptione earum, iuxta subtilis Doctoris  
Ioannis Duns Scoti mentem, vnà cum dispu-  
tationibus, & quæstionibus, hoc  
tempore, agitari, solitis.

## P R O O E M I V M.

**P**ostquam Aristoteles egit in octo libris de physico auditu, seu auscultatione de ente naturali in communi, in quantum habet in se principium motus, & quietis; & similiter postquam egit in libris de celo, & mundo, de eodem ente naturali in speciali, scilicet, vt habet in se principium motus, & quietis localis: iam his duobus libris de ortu, & interitu, seu de generatione, & corruptione, agit de ente naturali, vt habet in se principium generationis, corruptionis, alterationis, augmentationis, & mittionis. Quare, omnia, quæ in principio cuiuscumque operis inquiri solent ab auctoribus, in hoc per se sunt manifesta, neque opus est in ipsis explicandis immorari.

2 Si sermo sit de obiecto horum librorum, dicendum est, esse ens naturale, seu corpus naturale, in quantum habet in se principium motus, & quietis ad formam absolutam in communi, hoc est, abstractam à substantiali, & accidentali. Si verò sit sermo de interieptione, dicendum est, libros hos inferibi de ortu, & interitu, seu de generatione, & corruptione, eo quod generatio, & corruptio sunt præcipuæ mutationes earum, quas Aristoteles considerat in his libris. Et si sermo sit de ordine, quem obseruant hi libri inter partes philosophiæ, dicendum est, habere tertium locum; nam sunt post octo libros physicorum, in quibus Aristoteles agit de ente naturali in communi, & post libros de celo, & mundo, in quibus Aristoteles agit de ente naturali, vt habet in se principium motus, & quietis ad certum locum, vel *ibi*, quod ex naturali constitutione totius vniuersi ei conuenit. Demum si ser-



mo sit de diuisione horum librorum; dicendum est, duo explicare Aristotelem in toto hoc opere. In primo libro explicat naturas generationis, corruptionis, alterationis, augmentationis, & missionis. In secundo libro explicat naturam corporum simplicium, quæ elementa vocantur, & qualitatum eorum, quæ vocantur primæ, in quantum per eas vnū in aliud, vel duo interitum, trāsmutari possunt.

## LIBER PRIMVS DE ORTV, ET INTERITV RERVM naturalium, seu de generatione, & corruptione earum.

TEXTVS. De ortu autem, ac interitū eorum, quæ natura gignuntur, intereuntque, &c.

### SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

**L**iber hic decem continet capita. Duobus primis capitibus, tradito prius totius operis instituto, veterū sentētiās de rerū naturalīū ortu, & interitu, deque discrimine inter generationem, & alterationem cōmemorat, & rejicit. Deinde tertio, & quarto capite ex proprio sensu, de rerū naturalium generatione, & corruptione agit, declarās, qua ratione generatio ab alteratione differat; & rursus, vt ostēdat, qua ratione alteratio à cæteris motibus discernatur. In quinto capite differit de accretione, & decretionē, ostēdens à cæteris motibus differre. Et demū, quia in decimo, & vltimo capite acturus erat, vt de facto egit, de missione elementorum, & hæc fit per mutuā actionem, & passionem vnus ad aliud; idē in sexto, septimo, octauo, & nono capitibus agit de conditionibus inter agens, & passum ad agendū, & repetiendum necessarijs. Et hæc sūnt in generali, quæ docet Aristoteles in hoc primo libro. Videamus nunc eius doctrinam in speciali per singula capita discurrendo.

In initio primi capitū summam proponit ea, quæ explicare nititur. Et statim dubitat, an generatio simpliciter, & proprie dicta, videlicet, quæ non ad accidens, sed ad substantiam terminatur, differat ab alteratione; & antiquorum placita in medio profert, dicens illos, qui ponebant, tantū esse vnum principium rerū naturalīū, illudque esse ens in actu, non potuisse generationē ab alteratione discernere. At verò, illos, qui ponebāt quatuor principia, scilicet, terram, aquā, ærem, & ignē, vt Empedocles, & Anaxagoras, potuisse quidem dis-

cernere generationem ab alteratione; sed de facto non discernēbāt. Quia cum non agnoscerent formas substantiales, putabant, qualitates esse illorū primorum principiorū proprias formas, & consequenter negabant, vnū posse conuerti in aliud, scilicet, ærem in aquam, aquā in terram, &c. His addebat Empedocles duo mouentia, nempe *amicitiam*, quæ res in chaos, & æcerum cōgregaret, & *litem*, quæ eas dē inde ablueret. Et quia Empedocles existimabat, res naturales, puta carnē, ossa, &c. fieri per secretionem à chao, seu æceruo elementorum, dicebat, prædictas res, scilicet, carnē, ossa, &c. esse entia simplicia elementa verò esse mista localiter in illo chao. At Anaxagoras, qui è contrario arbitrabatur, scilicet, prædictas res nō fieri per litem, & secretionē, sed potius per amicitia, & coniunctionem elementorū, asserēbat elementa esse simplicia; res verò naturales, carnē, scilicet, ossa, &c. esse mista localiter. Demum Aristot. reprehēdit Empedocle, eo quod perplexē, aut parum sibi conueniens philosophatum fuerit; quia dum ait, elementa ex chao, vt ex seminario, vel tāquam ex rudi materia per litem distingui, vel enasci, videtur ipsum chaos elementorū principium facere; dum verò ex elementis, per amicitia cocutibus, chaos constat, elementa ipsa chaos principia cōstituit.

In secūdo capite docet Aristot. iam suo tempore esse communē opinionem, generationē, & alterationem distingui, & generationē fieri per congregationē aliorum, sicuti & corruptionē per ipsorū disgregationē; alterationem verò per aliquarū passionum transmutationē. In assignanda autē congregatione, ex qua fiebat generatio, non omnes conuenire. Nam Plato dicebat, generationem fieri per congregationem superficialium. Democritus verò, & Leucipus per congregationē atomorum. Et quamuis vtramque istam sententiam falsam reputet Aristoteles; affirmat tamen, sententiam Platonis magis absurdā esse, quā Democeri. Nam Democritus affirmādo corpora naturalia ex atomis conflare, peteret, vt eumque rationem, causamque reddere naturalium mutationum: nimirum res alterari per conuersionem atomorum secundum alium, & alium contactum, & diuersum ordinem, situmque partium, ac figurarum differentias. At Plato, dum corpora ex superficialibus constabat, & in superficies resoluebat, nullam harum mutationum probabilem rationē, aut causam afferre poterat; cum ex superficialibus, nō nisi solidum quid mathematicum, & sine materia sensibili, proindeque nullius qualitatis physica particeps oriatur. Et quia sententiam Democreti, etū falsam, sententia Platonis anteposuerat, adducit, & solvit rationem, qua nitēbatur Democritus sum placitum probare, quæ talis erat. Vel corpora naturalia coalescunt ex corpusculis diuisibilibus, vel ex corpusculis atomis, & indiuisibilibus; non potest dici, quod ex corpus-



culis iterum diuisibilibus; nam fiat totaliter omnis diuisio possibilis, & tunc inquiram, an id, quod remanet, facta totaliter diuisione, sit nihil? hoc non; quia ex nihilo nihil fit. An sint puncta, quod etiam dici non potest; quia punctum additum puncto non facit manus, & consequenter, neque corpus, cum careat omni quantitate. An demum sint qualitates; neque hoc affirmari potest, alias corpus ex solis qualitatibus constaret, & qualitates, in quas fieret hæc resolutio, essent separata à corpore, & consequenter sine subiecto; ergo dicendum est secundum, scilicet, corpora naturalia coalescere ex corpusculis atomis, & indiuisibilibus. Soluit Aristoteles hæc rationem Democriti, affirmans, corpus naturale coalescere ex partibus integralibus diuisibilibus in semper diuisibilia vsque in infinitum; & cum diuisiones istæ fiant successiue, implicat, quod omnes reducatur ad actum; nam posita quacumque diuisione, partes illius adhuc remanent diuisibiles in infinitum. Demum ostendit, generationem non fieri per congregationem aliquorum, ut supponebant, tam Plato, quam Democritus, & Leucipus; quia generatio non fit per positionem, & situationem partium; sicut sunt arca facta; ut nauis, aut domus; sed quia hoc totum corrumpitur, & aliud totum generatur.

In tertio capite, confutatis veterum Philosophorum sententijs, de rerum naturalium ortu, & interitu, accedit ad ostendendam propriam opinionem. Et primum in controuerfiam vocat, an aliquid simpliciter, id est, substantialiter gignatur, & intereat? vel potius omnis generatio, & intentus penes accidentia ueretur; ut cum Socrates ex ægroto sit ualens, aut ex ualente fit ægrotus? & in fauorem partis negatiuæ sic argumentatur. Si aliquid generaretur simpliciter, cum generatio omnis, & in uniuersum qualibet mutatio, sit inter contraria, seu opposita, generaretur ens simpliciter ex non ente simpliciter; hoc autem est impossibile; quia id, ex quo aliquid fit, existit in eo, quod fit, & prædicatur de eo, sicut lignum, ex quo fit arca, est in arca, & de ea, dicitur, quod fit lignea; implicat autem, quod non ens sit in ente simpliciter, & prædicari de eo. Auget excitatæ dubitationis difficultatem. Vel non ens simpliciter negat propriam categoriam ( hoc est substantiam, quæ simpliciter ens uocatur ) vel remouet ens absolute; si primo modo accipiatur, sequitur, quod substantia fieret ex nihilo; imo idem sequitur, si non ens primo modo sumatur; nam subtractis primis substantijs, nihil potest remanere. Huic argumento compendiose respondet ex his, quæ latè docuerat 1. Physicorum cap. 8. generationē simpliciter, seu substantialē, et si non fiat ex ente simpliciter in actu; non inde inferri, fieri ex nihilo; quia fit ex ente simpliciter in potentia, scilicet, ex materia prima, quæ etiam si non sit actus, sicut sunt formæ substantiales; est tamen

quæ:

quæ dā entitas substantialis, apta nata recipere successiue omnes formas substantiales. Deinde, ut quæstioni, quæ proposuerat, respondeat, proponit duo dubia; quæ non parū conducunt ad eius intelligentiā. Primum est, quare generatio ex parte causæ materialis nūquam cesset? cui dubio respondet, hoc non provenire; quia materia horū inferiorū sit infinita, cum nullū detur infinitū in actu; neque ex eo, quod res, quæ generantur successu tēporū, generentur in minori magnitudine; cum noui uideamus istā minoritatem; sed gigni res æquales; imò aliquando maiores suis generantibus; sed causam esse, quia corruptio vnus, est generatio alterius, eadē materia incorrupta permanēte; & sic finita materia sufficit ad infinitas in potentia successiuas generationes. Secundū dubiū est, si corruptio vnus est generatio alterius, quare, quæ dā dicatur generari simpliciter, quæ dā uerò solū secundum quid? Respondet, hoc iudicandū esse ex termino ad quē generationis; si aliquod enim acquiritur forma substantialis cōpleta, & ultiua; ut dum fit homo ex embryone; aliquando uerò forma substantialis media, & qua paratur uia ad aliam, & dum ex semine fit embryon, quādo acquiritur forma substantialis. Primo modo dicitur generari aliquid simpliciter; quia ibi sistit generatio: at quādo acquiritur forma substantialis secundo modo, dicitur aliquid generari secundū quid; quia ibi non sistit generatio; sed adhuc restat aliquid faciendū ad completā, & absolutā generationem. Itē, quando non acquiritur forma substantialis, sed accidentalis, ut cū ex frigido fit calidum, cum accidens non sit ens simpliciter, sed solū secundum quid, tunc non dicitur aliquid generari simpliciter, sed solum secundū quid. Ex his omnibus respondens ad quæsitū in iuitio huius capituli, dicens, dari quidē generationē simpliciter, & similiter corruptionē. Nam datur mutatio ex materia prima, quæ non est actu ens simpliciter, sed solū in potentia ad formā substantiālē, & consequenter ad cōpositum substantiale, quod ex materia prima præexistēte, & forma substantiali de nouo adueniente coalescit, quod est actu ens simpliciter. Et per oppositum contingit in corruptione; nam est mutatio ab esse simpliciter in actu, quale est compositum substantiale, ad esse simpliciter in potentia, qualis est materia prima priuata forma.

In quarto capite, explicata iam quæstione, quoad an est, scilicet, dari tam generationem, quam corruptionem simpliciter; progreditur Aristoteles ad explicandum, quid sit generatio, & quid alteratio? & quod discrimen ueretur inter illas? & in primis supponit, ut notum, substantiam, & accidentia non esse idem quandoquidem substantia est subiectum,

\*

A 3

cui



ca accidentia inhærent; accidentia verò, quæ accessu suo, & recessu variè substantiam afficiunt. Deinde docet, circa vtrumque posse dari mutationem, & tunc mutationem dici alterationem, cum re integra, eodemque sensibili subiecto manente, penes cõtrarias, mediasvè qualitates mutatio fit, vt dum idẽ corpus, nunc calet, nunc friget, nunc cæruleo, nunc puniceo colore imbitur: generationem verò esse mutationem totius in totum, nullo subiecto sensibili permanente, vt cum ex ligno fit ignis; solũ enim remanet materia prima, quæ nõ est per se sensibilis. Et quia dum dixit, in generatione mutari totum; in alteratione verò qualitates, ambigere quis poterat, an in generatione totũ dumtaxat mutetur, & non qualitates; quem admodum in alteratione qualitates mutantur, & non totum? Huic tacitæ ambiguitati responderet, cum qualitas est communis genito, & corrupto, non oportere illam mutari in oppositum; vt si aqua in aërem conuertatur, aut e cõtra; quia vtriusque humiditas, & diaphaneitas sunt communes, non oportet huiusmodi affectiones deperire, aut in cõtrarias mutari. Demum duplex ponit discrimen inter generationem, & alterationem, cæterasque mutationes physicas, quorum alterum à termino ad quem, alterum à subiecto desinitur. Primum est, quòd in generatione producit substantia, in alteratione qualitas; in augmentatione, vel diminutione maior, vel minor quantitas; in motu locali vbi. Secundum est, quòd subiectum generationis est materia prima; subiectum verò alterationis, cæterarumque mutationum est materia secunda, id est, totum compositum substantiale.

In quinto capite agit Aristoteles de accretione, & decretione viuentium, & consequenter, de nutritione, augmentatione, & diminutione, quæ sunt motus ad accretionem, seu decretionem ipsorum concurrentes; & tria præstat. Primum declarat, quo pacto augmentatio differat, tam à generatione, quàm ab alteratione. Secundum explicat modum, quo fiunt augmentatio, & diminutio. Tertium docet, quo modo differant nutritio, & augmentatio. Circa primum dubitat, an prædictæ mutationes solo termino ad quem, an etiam alio modo inter se differant? Cui dubitationi respondet, non solum augmentationem differre à generatione, & alteratione ex parte termini ad quem (est enim terminus ad quem augmentationis quantitas; generationis substantia; alterationis qualitas) sed etiam differre; quia cum in augmentatione acquiritur noua quãtitas, necessàriò id, quod augetur, mutat locum, id est, acquirit maiorem locum illo, quem antea occupabat, quod non est necessàrium in his, quæ generantur, vel al-

alterantur, cum neque generatio, neque alteratio per se terminetur ad maiorem quantitatem, in idem dicendum est (prosequitur Aristoteles) de eo, quod localiter mouetur; licet enim necessàriò mutet locum id, quod localiter mouetur, non tamè necessàriò acquirit maiorem locum illo, quem antea occupabat, sicut contingit in augmentatione, & idem per oppositum contingit in diminutione, cum per se ad maiorem quãtitem terminetur. Vt autem explicet secundum; proponit, & solvit duo dubia, & similliter enumerat tres conditiones, quæ ad collocandam augmentationem in viuentibus simpliciter necessariae sunt. Primum dubium est, an materia, qua viuens in incrementum suscipit (scilicet, alimentum) debeat esse quantitate prædita? & ista difficultate latè pro vtraque parte discussa, resoluit debere esse quantitate præditam. Tum, quia debet habere materiam, quæ sine forma nõ est, neque hæc sine quantitate. Tum etiam, quia accretio non est generatio rei, sed nouæ quantitatís accessio, & id eò oportet est, quod rem auget, adducere secum quantitatem, alioqui non rem maiorem efficiet. Sed antequam proponat secundum dubium, proponit tres conditiones, quæ ad augmentandam viuentis simpliciter necessariae sunt, eo quòd ex earum intelligentia pendet solutio prædicti dubij. Prima, vt illud, quod augetur, secundum omnes eius partes augetur. Secũda, vt omnibus, & singulis eius partibus sensibilibus aliquid de nouo addatur. Tertia, vt illud, quod augetur, idem numero perseueret secundum partes formales, non secundum materiales; quia quod in incrementum subit, nõ manet idem, quoad materiam, manet tamen idem, quoad formam; quem admodum & mensura, qua atiam, & aliam partem aquæ metimur, eadem perseuerat, nihil eam variante aquæ diuersitate. His prælibatis, proponit secundum dubium, quod ortum habet ex resolutione primi; resoluerat enim primum dubium, asserens, corpus corpore augeri debere. Nunc dubitat, quidnam ex eis augeri dicendum sit, id ne, cui aliquid adijcitur, id est, viuens ipsum, an id, quod adijcitur, id est, alimentum? Nam quod vtrumque augetur, ex eo videmus; quia vtrumque maius euadit, vt cum aqua admisceatur vino, vtrũque enim videtur incrementum sumere. Respondet, augeri viuens, non alimentum; quia viuens manet, alimentum corrumpitur, & in substantiam viuentis conuertitur; & id eò solum de viuente verificatur conditio illa, quòd idem numero maneat secundum partes formales, id, quod augetur. Et quia affirmauerat, vnam ex conditionibus requisitis ad hoc, vt viuens dicatur augeri, esse, quòd accrescat secundum omnes eius partes; & in viuentibus dantur duo genera



partium; nam alia sunt similes, id est, constantes partibus eiusdem rationis, ut caro, os, &c. & alia dissimiles, id est, constantes partibus diuersa rationis, ut caput, brachium, &c. docet, viuens primo, & per se augeri secundum partes similes: secundum partes vero dissimiles augeri secundario; & consequenter ex augmento, scilicet, factio in partibus similibus. Circa tertium, cum in omni accretione viuentiu duplex intercedat mutatio, vna, per quam materia alimenti formam rei aucta suscipit, quae dicitur nutritio; altera, per quam viuens maiorem acquirat quantitatem, quae augmentatio nominatur; docet has duas mutationes in aliquo conuenire, & in aliquo differre. Conueniunt, quia vtraque fit accessu rei quantae. Differunt tum, quia viuentia augetur alimentum quantum, quatenus quantum est; seu prout affert secum nouam quantitatem; nutriuntur vero eodem alimento, quatenus in potentia est caro, seu prout in rei viuentis substantiam conuenit potest; tum etiam, quod animal, quamdiu viuunt, nutritur; non tamen, quamdiu viuunt, incrementum accipit.

In sexto capite agit Philosophus de contactu inter agens, & passum ad agendum, & patiendum requisito, & duo praestat. Primum reddit rationem, cur hic agat de contactu, dicens, necesse esse agere de contactu; quia necesse est agere de elementis, ex quibus per mutuam actionem, & repassionem mista gignuntur, quae mutua actio, & repassio, sine contactu eorum, quae agunt, & patiuntur, existere non potest. Secundum ad explicandum, qualis contactus ad agendum, & patiendum inter agens, & patiens requiratur, docet, contactum tripliciter sumi posse. Primum, *mathematicè*, qua ratione, illa se tangere dicuntur, quae cum diuersas habeant magnitudines, & situ differant, eorum tamen extrema, id est, vltima eorum superficies simul existant. Secundum, *physicè*, qua ratione, ea, quae agunt, & patiuntur actione corruptiua, seu contraria, dicuntur, se tangere, quoties vnum est intra sphaeram adiuuitatis alterius; & e contra, ac per consequens, si vnum agit in aliud, aliud etiam reagit in ipsum, non obstante, quod non se tangant mathematicè, ut cum calidum, ita agit in frigidum, ut etiam à frigido repatiatur. Tertium, & magis improprie, pro contactu physico, sed non reiprocò, seu mutuo, id est, quando vnum agit in aliud, sed non repatiatur ab illo, vel quia est extra sphaeram adiuuitatis illius, vel quia est incapax talis repassionis; qua ratione caeli, & haec sublunaria dicuntur se tangere, & similiter intelligentia dicuntur tangere caelos, & constipans constipatum. Ex his tribus contactibus, inquit Aristot. solus in secunda acceptione sumptus ad praesens attinet. Ex quibus colligitur, inter mouens, & agens esse, hoc dis-

erimè, quod omne agens dicitur mouere; non tamè omne mouens dicitur agere, sumpto agere, ut hic versus patitur ab Aristot. scilicet, pro eo, quod agit in aliud, & repatiatur ab illo per qualitates contrarias.

A se primo capite incipit Aristot. explicare conditiones ad agendum, & patiendum inter agens, & patiens requisitas. Et in hoc septimo capite exagitat, an ad agendum, & patiendum requiratur inter agens, & patiens dissimilitudo, an similitudo; & refert duas antiquorum Philosophorum sententias. Prima assererat, ad hoc, vt agens possit agere in passum, debere esse dissimilia; nam si vtrumque esset simile, non esset ratio, cur vnum magis ageret in aliud, quam è contra. Et cum his Philosophis alij opponerent, maiorem ignem, minore consumere; & tamen maior ignis, & minor ignis similia sunt, non solum in natura; sed etiam in qualitatibus; facile respondebant, id accidere; quia magnum, & paruum contraria sunt; & sic in tali extinctione minoris ignis, non simile à simili, sed à contrario pari. Secunda (& quam soli Democrito attribuit Aristoteles) asserabat, simile, non nisi à simili pati posse; quia neque dulcedo agit in albedinem, neque in graue, neque in leue, non alia ratione, nisi quia haec inter se nullam cognationem, aut similitudinem habent. Quod si aliquando apparet dissimile, à dissimili pati, id nequaquam provenire, dicebant; quia dissimilia sunt, sed potius; quia inter se conueniunt, vt si calidum à frigido patitur, hoc esse; quia ambo sub eodem genere continentur, & quia circa subiectum eiusdem rationis versantur. Has duas sententias antiquorum Philosophorum, non contrarias, sed subcontrarias appellat Aristot. & quae se, vtrumque compati possunt; deceptos tamè fuisse antiquos Philosophos; quia non diligenter scrutati sunt vim eorum, quae agunt, & patiuntur, & cum totum ipsum considerare debuissent, vtrique de alia, atque alia parte totius locuti sunt. Priores namque formas tantum agentium dependentes, decreuissent, agentia dissimilia esse oportere; quia dissimiles actiones à dissimilibus formis oriri debent. Posteriores vero solam materiam agentis, & patientis, expectantes, asseruissent, ea debere esse similia; quia versari debent circa materiam eiusdem rationis, & sub eodem genere conuenire. Vnde Aristoteles, tanquam index honorarius, controuerfiam dissoluit, sententiam suam inter vtramque partem constituit; docet enim ea, quae vicissim agunt, & patiuntur, neque omnino similia, neque prorsus dissimilia esse oportere, sed similia secundum genus subiectum, seu materiam; dissimilia vero, seu contraria secundum formas, seu naturas. Ex quo duo, quasi axiomata deducit.



Primum, simile non potest agere in omnino sibi simile, & vndequaquæ in-  
differens, probat ex duobus inconnexis, quæ ex oppolito  
sequerentur. Primum, quia tunc non esset maior ratio, cur vnum  
ageret in aliud, quàm e contra. Secundum, quia si sola similitu-  
do esset ratio agendi, idem ageret in se ipsum, & consequenter  
nihil esset, neque in cælesti, neque in subliari mundo, quod nõ  
esset corruptioni obnoxium. Secundum, dissimile non potest agere  
in omnino dissimile, & vndequaquæ differens, hoc axioma probat. Pri-  
mo ex emplis, quia albedo non agit in lineam, nec linea in albe-  
dinem, nisi per accidens, ratione, inquam, alicuius qualitatis  
contrariæ, quæ afficitur linea. Secundo, quia talia non sunt con-  
trarij, cum non contineantur sub eodem genere, neque ex con-  
trarijs constant, & sic non se iniuicem pellere possunt, seu repug-  
nare. Postquam actiuorum, & passiuorum naturam exposuit, in-  
quirit, an omne agens in agendo reparatur? cui difficultati, vt  
satisfaciat, præsupponit, quod sicut inter mouentia datur vnum  
primum mouens, scilicet, illud, quod à se, & non ab alio princi-  
pium mouendi habet, vt est causa prima, scilicet, Deus, & aliud  
vltimum, nimirum, quod mouet, sed iuxta id, quod mouetur: ita  
inter agentia alteratiua datur primum agens, seu, alterans, vt me-  
dicus, qui prima sanitatis causa existit, & aliud vltimum, vt me-  
dicamentum, quod proximè afficit infirmum, & vltimatè alte-  
rat ad sanitatem. Quo supposito, ponit duo altera. Primum, sicut  
in serie mouentium deuenit ad vnum primum mouens, quod  
ab alio non mouetur: ita in serie agentium, seu alterantium de-  
uenit ad vnum primum agens, seu alterans, quod non patitur,  
seu alteratur ab alio. Tamen inter hæc maximum discrimen in-  
uenitur; nam primum mouens, cum sit infinitæ perfectionis, &  
causa simpliciter prima, nihil omnino ab alia recipere potest. At  
primum agens, seu alterans, quod est cælum, etiam non habeat cor-  
pore aliud, à quo alterari possit; habet tamen intelligentiam, à qua  
in orbem voluitur, & vterius sui motus causam vltimo in Deum  
resolvit. Secundum assertum, quæcumque agentia alteratiua ha-  
bentia formam in materia, quando agunt, repati possunt, secus  
verò, quando non habent formam in materia: & explicans, quid  
sit habere formam in materia, docet nihil aliud esse, quàm con-  
tineri materia eiusdem speciei, vt constant omnia subliaria, &  
quæ sit contrariorum susceptiua, & insuper requiri, quod sint ad  
agendum, & repatiendum debitè applicata, id est, vnum intra  
spheram actiuitatis alterius. Demum ostendit, ad quod genus  
causæ spectent agens, & passum, docens, agens, non spectare ad  
genus

genus causæ finalis, neque formalis, tum, quia finis solum agi  
actione metaphorica, tum etiam, quia agens agit, quando est in  
actu: finis autem, & forma, cum iam adsunt, nihil fit, sed spectare  
ad genus causæ efficientis; nam efficiens est, à quo est principium  
motus. Passum verò, in quantum passum est, spectare ad genus  
causæ materialis; nam propterea vnumquodque patitur; quia est  
in materia. Vnde si daretur calor (concludit Aristoteles) separa-  
tus à materia, seu subiecto, nullatenus pati posset.

In capite octauo, quod magis prolixum, quàm vtile est, totus  
est Aristoteles in referendis, & refutandis sententijs antiquorum.  
Philosophorum circa modum ad inuicem agere, & patiendum re-  
quisitum. Et in primis refert tres sententias; primam Empedo-  
clis, qui affirmabat corpora ad inuicem agere, & pati, quatenus  
vnum habet poros, seu vacuitates, quibus alterum subintrat, &  
quasi penetratur. Secundam Democriti, & Leucipi potentium  
eosdem poros, sed plenos atomis, seu corpuseulis, quæ cum es-  
sent discontinua; aliquid vacui relinquebant, per quod moue-  
bantur, & per congregationem ipsorum fiebat generatio, & per  
disgregationem fiebat corruptio. Tertiam Parmenidis, & Mel-  
lissi, qui ponebant omnia esse vnum in mundo; segregari autem  
solum esse per vacuitates aliquas, & similiter vacuum require-  
bant, vt dari posset motus; nam si motus daretur per plenum, di-  
cebat fieri non posse absque corporum penetratione. Et quia  
Philosophi isti substinebant, non posse dari vacuum in rerum  
natura, coacti sunt asserere (vt illis attribuit Aristoteles) rem satis  
absurdam, scilicet, omnia esse vnum in mundo; sed etiam hoc  
vnum esse continuum, & immobile. Quod immobile esset, ita  
probant, motum dari non posse, nisi per vacuum, sed vacuum  
non est; ergo neque etiam erit motus. Quod esset tantum vnum,  
ita ostendebant; multa esse non possunt, nisi sit aliquid in ea se-  
gregans; sed hoc segregans non potest esse, nisi aliqua vacuitas,  
quæ non datur; ergo necessario omnia sunt vnum. Et quia posset  
aliquis occurrere, dari posse multa corpora, se tangentia, inter  
quæ nulla vacuitas intercedit. Respondebant, continuum, & se-  
tangens, in nullo differre, pro indeque eorum manere, omnia esse  
se vnum, idque immobile. Et si iterum occurreret, continuum  
esse diuisibile in plures partes, ac per consequens posse dari multa;  
negabatur assumpsum, propterea, quod non sit maior ratio,  
cur continuum per vnum indiuisibile, quàm per aliud diuida-  
tur, & cur vna pars vniuersi per interpositionem vacui maneat  
diuisa, quàm alia. Deinde collatis his sententijs inter se, & in quo-  
conueniant, & in quo differant, lato sermone examinato, Parme-



monidem, & Melissum coarguit, quòd inanium rationum specie delinſi, ea, quæ apparent, quali quodam plusquam in ſanità æſtu arrepti, non viderint; nam, præter negare motum, quem videmus, & conſequenter naturam, quæ eſt principium motus, quis enim (inquit Ariſtoteles), etſi mente captus ſit, idem putet, eſſe ignem, & glaciem, cum neque inſani de his, quæ ſenſu uſurpant, tale ferant iudicium? contra Empedoclem obijcit, ſuperflue poni hos poros, ſeu vacuitates, (quas ita aborret natura) ad agendum, & patiendum, uam, vel corpuscula intrantia tangunt partes ſolidas, vel non; ſi non tangunt: ergo neque intra illas vacuitates agunt; ſi tangunt, etiam ſine poris ab extra approximata tangunt, & conſequenter agent contra Democritum, & Leucippum ponentes etiam poros ad agendum, & patiendum neceſſarios, ſed non vacuos, ſicut ponebat Empedocles, ſed plenos atomis, ſeu corporibus indiuiſibilibus. Plura obijcit Ariſtoteles, ſed præcipue hæc duo. Primum, ſecundum iſtos Philoſophos ad actionem, & paſſionem requiritur vacuum: ergo corpuscula atomi non poſſunt inter ſe agere, & pati. Secundum, omne, quod agit, eſt molle, vel durum, vel aliqua ſimili qualitate affectum; ſed corpus indiuiſibile, ſeu atomum, neque eſt durum, neque molle, aut alia ſimili qualitate affectum: ergo neque agit, neque patitur. Concludit Ariſtoteles, hos meatus ſuperuacaneos eſſe ad agendum, & patiendum; nam, vel actio ſit per ſolum cõtractum, vel non; ſi ſit, non igitur iſti meatus, ſeu pori neceſſarij ſunt; ſi non ſit: ergo, quamuis agens, poros ſubintrat, non idcirco agens; quia ingredi non eſt agere, ſed rem applicari, vt agat.

In nono capite, ex propria ſententia proponit conditiones ad actionem, & paſſionem inter agens, & paſſum requiſitas. Prima, quòd agens, quatenus tale, ſit in actu, & paſſum, quatenus tale ſit in potentia, v. g. vt ignis calefaciat, debet eſſe actu calidus, & vt lignum caleſcat, debet eſſe in potentia ad recipiendam calorem. Secunda, quòd agens, & paſſum ſe tangant, vel immediate, ſi ſit agens vltimum, & immediate; vel mediate, ſi ſit remotum, ſicut ſol mediante aëre tangit terram. Tertia, quòd agens, & paſſum non ſint continua, quòd intelligendum eſt, non de qualitate continuitate quantitatis, ſed de ea, quam comitatur ſimilitudo affectionum, ita vt non ſolum partis, quæ debet agere, & pati, quæ debet pati, extrema, ſeu termini ſint vnum; ſed etiã ambæ participant qualitatem eiudem ſpeciei, & in eodem gradu intentionis. Licet enim mathematico modo continentur; ſi tamen altera calida ſit, altera frigida, vel ſi vtraque calida, vel frigida, ſed non in eodem gradu intentionis, poterit optime inter

ter ipſas dari reciproca actio, vt videri eſt in partibus eiudem animalis, quæ non obſtante, quòd mathematicè continentur, inuicem agunt, & patiuntur. Quarta, quòd ſint in debita propinquitate, id eſt, vnum intra ſphæram actiuitatis alterius. Excludit autem quintam conditionem, quam aliqui poſuerunt, ſcilicet, quòd paſſum non ſecundum omnes partes patiatur; ſed ſolum ſecundum partes poroſas, docens poſſe paſſum ſecundum ſe totum pati; quia ſicut totum agens poteſt eſſe in actu ad agendum; ita & patiens poterit totum eſſe in potentia ad recipiendam agentis impreſionem. Demum reprobat ſententiam Democriti, (capite præcedenti relata) ponentis, actionem, & paſſionem fieri non poſſe abſque ſectione partium, & mutationem penenſum, contactumque illorum corpusculorum ſubintratiũ meatus, ſeu poros, neque alterationem, neque augmentationem tueri, ſed potius eas è medio tollere. Videmus enim, idem corpus, ſeruata continuitate, partibusque ſibi mutuò coherentibus, nunc humeſcari, nunc ſiccari. Item in augmentatione oportet, quamlibet partem rei, quæ augetur, augeri, vt ſupra capite de augmentatione dictum eſt; id enim ſi atomorum additione præſtandum eſſet, non augmentatio, ſed vnus corporis ad alterum appoſitio diceretur.

In decimo, & vltimo capite huius libri diſſerit Ariſtoteles de miſtione; de qua quinque potiſſimum ſibi diſcutienda eſſe ait. Primum, quid ſit miſtio; Secundum, quid ſit miſcibile; Tertium, quibus rebus competat miſtio; Quartum, qua ratione fiat; Quintum, vtrum miſtio ſit in rerum natura? Et ab hoc vltimo incipiendo, reſert aliquorum ſententiam, qui miſtionem denegabant, hoc argumento. Aut ea, quæ miſcentur, ambo conſeruantur, vel vnum corrumpitur, & alterum manet, vel vtrumque interit. Si primum, non magis dicentur miſtionem ſubiſſe, poſtquam in vnum conuenerint, quam antea, cum eodem modo ſe habeant. Si ſecundum, idem erit dicendum. Non enim dici poteſt id, quod manet, miſceri corrupto: cum corruptum non exiſtat, & id, quod manet, mutatum non ſit. Si tertium, idem ſimiliter pronuntiandum erit; nam quæ non ſunt, miſta eſſe non poſſunt. Quare nulla omnino in rebus miſtio eſſe videtur. Vt huic argumento occurrat, explicandum ſibi ait, quo pacto miſtio differat, tam à generatione, quam ab alijs motibus; nam à ſimplici generatione diſſert; quia in ſimplici generatione totaliter aliquid corrumpitur, non ex concurrentia plurium, & cum virtuali eorum permanentia; ſicut in miſtione contingit. Ab augmentatione verò, & ab alteratione; quia



tam id, quod augetur, quam id, quod alterationem subit, integra manent, cum tamen, ea, quæ miscentur, non ita se habeant. Ob quam etiam rationem, neque accidentia cum subiectis, vt albedo cum corpore, neque ipsa accidentia cum alijs accidentibus, vt albedo cum dulcedine misceri queunt; siquidem huiusmodi accidentia post mutam cõiunctionem in se ipsis perseverant. Dissoluit propositam controuersiam statuens dari veram misionem; quia ad misionem, etsi requiratur, quòd in misto aliquo modo maneat miscibilia, alias mistio non distingueretur à simpliciter generatione, sed non requiritur, quòd maneat actu, & formaliter, sed quòd maneat potentia, & virtute, & per hoc differt ab alteratione, & augmentatione, in quibus ea, quæ augetur, vel alterationem subeunt, actu, & formaliter perseverant. Ex quo patet, argumentum factum in contrarium nihil concludere; nã in dicta combinatione eorum, quæ miscentur, deficit quarta cõbinatio, scilicet, eorum, quæ etiam si per misionem corrumpantur; non tamen omninò pereunt, quia etsi non maneat in misto, quod ex ipsis generatur, actu, & formaliter; manent tamè potentia, & virtute. Transit ad declarandam penultimam quætionem, quo, scilicet, modo fiat mistio? & refert sententiam aliquorum, qui ex istimabant, misionem fieri, cum inter se cocunt res; ita minutè concisæ, vt præ exiguitate à sensu, nec percipi, nec discerni possint, vt tritici, ordeique farina. Hanc sententiam ex duplici hypothesis confutat. Vna est, non esse idem compositionem, & misionem; nam vinum aqua temperatum mistum esse dicimus, non compositum. E contra verò domum ex lignis, & lapidibus compositam; non verò mistam vocamus. Altera est, nullum corpus diuidi in partes minimas, sed in infinitum posse progredi in diuisione, vt in 6 Physicorum demonstrauerat. Hinc colligit, quàm falsum sit id, quòd affirmabat supra allata sententia; tum, quia coitio plurium, & distinctum partium in loco, potius compositio, quam mistio est, cum oporteat ad misionem, quòd qualibet pars misti sit. Nec obstat, quòd hæc pluralitas, & distinctio partium ad sensum non appareat; aliàs res, quæ respectu non habentis acutum visum, esset mista; Lynceo mista non esset; tum etiam, quia prædicta sententia supponit falsum, in minores secari, seu diuidi non posse. Vt ex propria sententia declarer, quo pacto fiat mistio? & similiter quid sit; prius exponit, quæ dicantur miscibilia, & quibus rebus mistio competat. Et primo docet, quædam corpora esse actiua, & quædam passiuia; sed non omnia hæc misceri posse, cum præter hoc oporteat habere cõmunem materiam, vt superius dictum fuit; imò etiam requiri, vt

facile diuidi, & comminui possint, idèòque lapidem cum ferro non misceri, licet in aceruum, aut alterius generis compositione coire valeant. Secundo docet, ad misionem requiri, ne vnum alterum magno excessu vincat; aliàs non mistio fiet, sed cõuersio in id, quòd potētius est, veluti cum vini gutta in decies millenas mensuras aquæ iniicitur. Tertio docet, minuta promptiora esse ad misionem, quam magna; quia, quæ miscentur, mutuo se se infinuare debent, quæ minora facilius præstant, quam magna. Quarto docet, humida, quæ faciliè terminos alienos admittunt, paruoque negotio in minores partes secantur, optimè commisceri, nisi tenacia sint, & vitiosa, vt oleum mel, pinguedo, &c.; quo fit, vt non veram misionem, sed ad ampliorem rei molem efficiendam cocant. Vltimò docet, quæ ita sunt affecta, vt vnum dumtaxat patiatur, nullo modo misceri. Cum verò vnum vehementer agit, alterum nimis patitur, & agit remissè, tunc, vel nullam dari misionem, vel perexiguam, vt cum æs, & stannum pariter liquefiunt. Ex his ad primam, & secundam quætionem eorum, quas in initio capituli proposuit, scilicet, quid sit mistio? & quid miscibile? respondet: *Miscibile est, quod cum facile diuidi queat, passiuum est, & actiuum.* Mistio verò, *miscibilium alteratorum vno.*

### ANNOTATIONES CIRCA LITTERAM huius libri.

**L**ITTERA huius libri plures, & graues difficultates; continet, quæ plusquam commento indigent. Et idèò seruato ordine, quem seruat Aristoteles, ipsam septem disputationibus declarabimus. Prima, *de generatione entis naturalis.* Secunda, *de eius corruptione.* Tertia, *de alteratione.* Quarta, *de augmentatione, & nutritione.* Quinta, *de rarefactione, & condensatione.* Sexta, *de actione, & reactione.* Septima, *de misione.*



## DISPUTATIO PRIMA.

## De generatione entis naturalis.

**N**OMEN generatio tripliciter usurari solet, tam apud Aristotelem, quam apud alios Philosophos. Primo *ample*, scilicet, ad significandum quaecumque productionem dependentem à subiecto, siue terminus productus sit substantia, siue sit accidens, quo sensu in hoc libro textu 11. Aristoteles concedit, accidentia generari, & hanc generationem accidentium vocare solet generationem secundum quid, ad distinctionem generationis substantiæ, quam vocat generationem simpliciter, ut videre est 5. Physicorum textu 7. & alibi sæpe. Secundò *strictè*, scilicet, ad significandam generationem vitalem, qua vnum viuens nascitur ex alio, & ponitur vna ex operationibus animæ vegetatiuæ; de qua generatione agendum est cum Aristotele in libris de anima, quæ sic definitur solet, *Est origo viuents à viuente, à principio coniuncto in similitudinem nature.* Tertiò *proprie*, scilicet, ad significandam omnem, & solam productionem substantiæ, quæ sit dependens à subiecto. In hac ergo disputatione nomen generatio solum sumitur in tertiam istam, & propria acceptione; quia, ut sic sumitur ab Aristotele in isto libro: de qua quatuor discutienda sunt. Primum, *an detur in rerum natura generatio simpliciter?* Secundum, *quid sit generatio simpliciter?* Tertium, *quid sit eius subiectum?* Quartum, *quid sit eius terminus ad quem?*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Utrum detur in rerum natura generatio simpliciter?*

**I**DEM est inquirere, *utrum detur in rerum natura generatio simpliciter?* ac inquirere, *utrum detur in rerum natura generatio substantialis?* nam, cum substantia appelletur ab Aristotele ens simpliciter, productio, quæ

per se terminatur ad substantiam cum dependentia à subiecto, generatio simpliciter appellatur. Sicuti est contra, quia accidens dicitur ens secundum quid; productio, quæ per se terminatur ad accidens, dicitur generatio secundum quid,

vt

ut ex Arist. supra notabamus. 2. Sententia fuit antiquorum Philosophorum, non dari generationem simpliciter, seu generationem substantialem; sed omnes esse generationes accidentales, & secundum quid. Ita Parmenides, Melissus, Anaxagoras, Democritus, & plures alij antiquiores Aristot. quos ipse refert cap. 1. & 2. huius libri. Fundamentum ipsorum erat, quia vidimus 1. libro Physic. disp. 4. q. 1. num. 4. Isti Philosophi negabāt, dari formas substantiales; sed totā substantiam entis naturalis esse materiam, quæ transmutabatur in diuersa corpora, seu entia naturalia ex varijs accidentibus, quæ illi adueniebant, v. gr. qui dicebant, hanc materiam esse plura, seu infinita corpuscula, quæ ipsi atomos appellabant propter ipsorum indiuisibilitatem, dicebant huiusmodi corpuscula fieri diuersa entia naturalia pro varietate situs, figuræ & ordinis. Qui verò dicebant, hanc materiam esse vnā, aërem, scilicet, & ignem, aut aquam; dicebant hanc materiam fieri diuersa entia naturalia ex diuersitate rarefactionis, vel condensationis, illi aduenientium.

3. Sed indubitabiliter tenendum est cum Aristotele, nō solum hic cap. 3. sed etiam libro 3. de cælo, quem omnes Philosophi, & Theologi sequuntur, dari in rerum natura genera-

tiones, & corruptiones simpliciter, id est, generationes, & corruptiones substantiales, quibus materia eadē numero manens ab vna forma substantiali ad aliam transmutatur. Et probari potest primò, quia experientia constat, quòd si lignū applicetur igni, definit substantialiter esse lignū, & fit substantialiter ignis, quod fieri nō potest, nisi quia per generationē ignis in eadē materia producit formam substantialis ignis, & corrumpit formam substantialis ligni. Secundò, quia falsum omnino est id, in quo nititur opposita sententia, scilicet, nō dari formas substantiales. Nam lib. 1. Physic. disp. 4. q. 1. late, & ex professo contra Philosophos oppositæ sententiæ demonstrauimus, dari formas substantiales, quæ simul cum materia component, & constituunt entia naturalia, quæ formæ (excepta anima rationali) sunt in potentia materiæ, & per virtutem agentis naturalis (præuia aliqua alteratione, tanquam dispositione requisita) educuntur ex tali potentia ad actum, quæ educio, seu productio formæ substantialis in materia erit necessaria generatio simpliciter, seu substantialis; sicut & definitio formæ præexistentis in materia ad aduentum nouæ formæ, & tibi incompossibilis, dicitur corruptio simpliciter, seu corruptio substantialis.

B

4 Ne.



4. Neque video, quid possit obijci contra hoc, nisi id quod sibi ex mente antiquorum Philosophorum obicit Aristoteles, nimirum ens simpliciter, vt est substantia, non potest fieri, nisi ex nō ente simpliciter, sed nihil fieri potest ex nō ente simpliciter; nam non ens simpliciter nihil est, & ex nihilo nihil fit: ergo substantia, seu ens simpliciter fieri non potest, & consequenter, neque dari poterit generatio substantialis, seu simpliciter.

5. Sed ad hoc facile cum ipso Aristotele respondemus, ens simpliciter, vt est substantia, nō debere fieri ex nō ente simpliciter qualicumque; sed ex nō ente simpliciter in actu, quale est compositum substantiale, vel forma illius: tamen ex ente simpliciter in potentia, quale est materia prima, bene potest fieri ens simpliciter. Vnde non sequitur, substantiam, seu ens simpliciter debere fieri ex nihilo; nam materia prima, ex qua fit, etiam si non sit ens simpliciter in actu, non tamen est nihil, cum sit ens simpliciter in potentia.

### QVÆSTIO. II.

Quid sit generatio simpliciter?

1. TRIBVS definitionibus conatus est Aristoteles, naturam generationis simpliciter entis naturalis nobis declarare. Prima tradita in hoc

1. lib. cap. 5. his verbis: *Generatio est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu.* Secundam tradidit 8. Physic. cap. 7. sub his verbis: *Generatio est mutatio ex non ente ad ens.* Tertiam tradidit hoc in libro capite 4. verbis istis: *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem.*

2. Ad explicandas has definitiones Aristotelicas, duo dubitant auctores. Primum, an verbum *mutatio*, quod in eis ponitur loco generis, significet aliquod pradicatum essentialiter, & intrinsecum generationi entis naturalis, & quod habeat veram rationem generis respectu illius.

3. Partem affirmatiuam tenent aliqui recentiores. Probant primum ex Aristotele, qui 5. Physicorum, textu 7. distinguens essentialiter generationem simpliciter ab alijs motibus, ponit nomen *mutatio*, vt verum genus, in quo generatio simpliciter essentialiter conuenit cum alijs motibus, his verbis: *Quæ igitur ex non subiecto est in subiectum mutatio, secundum contradictionem, generatio est.* Secundo probant hac ratione ex Aristotele 1. lib. Physicorum, tria sunt principia ad generationem entis naturalis per se, & essentialiter requisita, videlicet, materia prima, tanquam subiectum; priuatio formæ generandæ, tanquam terminus à quo, & forma, quæ generatur, tanquam terminus ad quæ: ergo repugnat dari

VC;

veram generationem sine his tribus principijs, ac per consequens sine mutatione; siquid est impossibile est, quod materia transeat ex priuatione, quæ habet ad formam, cuius est priuatio, sine reali sui mutatione.

4. Sed nobis dicendum est, verbum *mutatio* positum ab Aristotele in definitionibus generationis entis naturalis supra alaris, et si significet aliquid necessarium concomitantis generationis entium naturalium, quæ sunt potentia ordinaria; nō tamē significare aliquod pradicatum essentialiter generationi entis naturalis; & quod induat veram rationem generis respectu illius. Hæc est expressa sententia Scoti in 1. dist. 5. q. 2. §. *Idem tenentis.* Vbi ad ostendendum productionem Verbi diuini esse verum, & propriè generationem, non obstant, quod nō sit mutatio, expressè asserit, quod etiam si in creaturis nomen generatio duo dicat, scilicet, productionem substantiæ, seu entis naturalis, & mutationem; tamen rationes formales productionis substantiæ, & mutationis esse diuersas, & sine implicatione separabiles ad inuicem, quod esset impossibile, si ex mente Scoti ratio formalis mutationis esset de essentia productionis substantiæ: ex aliquo sui præsupposito, & consequenter generatio, & verum genus respectu illius: verba Scoti sunt: *Generatio in creatis duo dicit, productionem, &*

*mutationem, & istorum rationes formales diuersæ sunt, & sine contradictione separabiles ad inuicem. Productio enim formaliter est ipsius producti, quod est compositum ex Aristotele 7. Metaph. & accidit sibi, quod fiat cum mutatione alterius partii constituti; mutatio vero formaliter est actus mutabilis, quod quid est de priuatione transit ad formam; quid clarius? Et insuper ad assignandam rationem, cur in generationibus creatis, quæ sunt potentia ordinaria, necesse est mutatio ipsas comitetur, non recurrit ad inclusionem essentialem mutationis in ipsis generationibus, vt substantient recentiores oppositæ sententiæ; sed ad impotentiam, quæ habet agens naturale producendum terminum secundum totum suum esse, & sic aliquid eius præsuppositum (scilicet, materiam primam) transfmutat illud ad aliam partem ipsius, & sic interueniente mutatione producit totum compositum; nam si generans creatum esset producens perfectum, ita, vt nō indigeret materia, de qua, vel in qua ageret, sed posset esse, (id est, ex sua substantia) producere totum esse compositum, tunc daretur vera generatio absque vlla mutatione: verba Scoti sunt: *Concomitatur autem mutatio productionem in creatis, propter imperfectionem potentie productiue, quæ non potest dare esse totale termino productionis; sed aliquid eius præsuppositum transfmutat ad aliam partem ipsius, & sic producit compositum. Si enim generans creatum esset**

B 2

per,



perfectum agens, & nõ exigeret materiam, de qua, vel in quam ageret, sed possit producere effectum per se, & ex se, tunc esset productio sine mutatione; igitur sine contradictione possunt separari, & realiter separantur, comparando ad potentiam productivam perfectam. Hæc Doctor subtilis.

5. Et præter rationem à priori, quam subtilis Doctor in verbis relatis demonstrat, verbum, *mutatio* positum ab Aristotele in definitionibus generationis entis naturalis, et si significet aliquid necessariò cõcomitans generationes entium naturalium, quæ sunt potentia ordinaria; nõ tamen significare aliquid prædicatũ essentiale ipsi, & quod induat veram rationem generis respectu ipsarum. Potest etiã hoc ipsum demonstrari à posteriori hoc discursu. Si mutatio esset de essentia, & quidditate generationis, & cõsequenter verũ illius genus, implicaret contradictionem, dari verã, & propriam generationẽ entis naturalis sine mutatione; sed dari verã, & propriam generationem entis naturalis sine mutatione, non implicat: ergo mutatio non est de essentia, & quidditate generationis entis naturalis, & cõsequenter, neque verũ illius genus. Maior est certa; minor probatur instãtia productionis entis naturalis, in casu, quo Deus educeret formã substantiale ex aliqua materia in eodẽ instanti, in quo illam

creavit. (vt de facto contigisset in prima productione calorũ, & elemẽtorũ, latè probauimus.) 1. Phisic. disp. 4. q. 3. ) Nã talis educio esset generatio; siquidẽ non esset creatio, & inter creationẽ, & generationẽ entis naturalis, non est dari mediã productionẽ; & tamen cũ illa materia tempore nõ antecederet cum priuatione formæ educatæ ad ipsam educationẽ, nõ posset dici, illam materiam mutatam fuisse per educationem formæ. 6. Nõ melatet, aliquos ex aduersarijs ad hanc instãtiã respõdit, quod in dicto casu prædicta productio entis naturalis, neque esset creatio, cum esset ex aliquo termino producti præsupposito, scilicet, ex materia prima; neque etiã esset generatio ex defectu mutationis, sed esset quædam productio entis substantialis innominata, & generationem, & generationem. Sed hæc responsio non solum est ficta ad fugiendam difficultatẽ, sanè cõtra antiquorum Theologorum, & Philosopherum consensum, qui vnanimiter affirmant inter creationẽ, & generationem entis naturalis, nõ dari productionem mediã innominatam; sed etiã inconuenienti maximo non vacat; nam stãdo in his principijs, necessarius ex ipsis sequitur, productionem diuini Verbi non esse veram generationem appellandam, sed collocandam esse

esse inter inominatas productiones, medias inter creationem, & generationem, quod est plusquam absurdũ. Sequela patet, quia sicut productio entis naturalis in casu assignato, excluditur ab ipsis à ratione generationis, & ponitur productio innominata media inter creationem, & generationem, non ex alio capite, nisi quia in ea non interuenit mutatio, cum in productione diuini Verbi, etiã non interueniat mutatio, cõsequenter debent affirmare productionem diuini Verbi, non esse generationem, sed esse quãdam productionem innominatã, mediã inter creationem, & generationem, quod, vt dixi, est plusquam absurdum.

7. Ad auctoritatem Aristotelis ex 5. Phisicorum adductã respõdemus, Aristotelem, tam ibi, quã alijs locis numero 1. citatis, conatum fuisse naturam generationis entis naturalis, & distinctionẽ eius ab alijs mutationibus, quæ sunt propriè motus, quales sunt alteratio, augmentatio, &c. declarare; nihilominus in prædictis definitionibus posuisse loco generis verbum *mutatio*; non quia existimauerit mutationẽ esse prædicatum essentiale, & quidditatiũ productionis substantialis, quæ dicitur generatio entis naturalis, & cõsequenter verum genus, in quo cum alijs motibus conueniebat;

nam, vt rectè notauit Scotus in prioribus verbis, num. 4. citatis, generatio, seu productio substantialis, & mutatio formaliter consideratæ, non solum sunt diuersæ, cum productio substantialis, seu generatio passiuè sumpta solum conueniat, & prædicata de termino producto, seu genito ex Aristotele 7. Metaph. mutatio verò solum conueniat, & prædicatur de subiecto; (scilicet, de materia prima) quod ex priuatione formæ transit ad illã; sed etiã absque implicatione possunt ad inuicem realiter separari, vt patet ex dictis numero 5. sed quia, vt docet idẽ Scotus in verbis posterioribus prædicto numero citatis, in generationibus creatis; quæ sunt potentia ordinaria, propter impotentiam agentis naturalis, quod non potest producere compositum naturale, nisi ex aliquo illius præsupposito, scilicet, ex materia, mutatio concomitatur generationem, seu productionem substantialem. Imò ob hanc causam coactus est Aristoteles ponere generationes entium naturalium ab æterno.

8. Ad rationẽ dicimus, principia, quæ intrinsecè connotat generatio entis naturalis, & sine quorum connotatione, non solum non potest esse, sed neque essentialiter definiri, esse quidem tria, videlicet, *materiam primam*, tanquam subiectum:



*formam*, tanquam terminum ad quem formalem, & *causam formam generandam*, tanquam terminum à quo. Quod autem ista carentia, quæ dicitur terminus à quo, præcedat in ipsa materia aliqua prioritate temporis ipsam generationem, & consequenter induat rationem priuationis, nullatenus esse necessarium ad intrinsecam, & essentialem rationem generationis entis naturalis; nam sufficit, quòd existat extra subiectum, & quòd induat rationem puræ negationis formæ generandæ, vt numero 5. ostensum, & exemplificatum est. Quod si Aristoteles, & cõmuniter Philosophi hanc carentiam, quæ est terminus à quo generationis entis naturalis, appellant priuationem, nõ est; quia hoc requiratur ad intrinsecam, & essentialem rationem generationis entis naturalis; sed quia in generationibus entium naturalium, quæ sunt potentia ordinaria semper (imo attenda impotentia agentis naturalis necessarii) caretia formæ generandæ existit in materia, aliqua prioritate temporis, & consequenter semper induit rationem priuationis.

9. Secundum, quod dubitant auctores ad explicandas res supra allatas definitiones generationis entis naturalis, traditas ab Aristotele, est. An reliquæ particule, quæ ponuntur in eis loco differentie signifi-

cent aliquid intrinsecum, & essentialia prædictæ generationi? Et breuiter respondemus, particulas, quæ ponuntur in prima definitione, significare absque dubio differentiam essentialem, & intrinsecam, perquam generatio entis naturalis differt à cæteris mutationibus, seu motibus. Et ratio est, quia significat, generationem consistere in cõnotatione materiæ primæ, carentiæ, vel priuationis formæ substantialis generandæ, & ipsius formæ substantialis, quæ generatur, quæ sunt propria, quæ primò, & perse respiciuntur à generatione, & ex quorum connotatione sumit suam specificationem. Assumptum patet; nam hæc definitio, *generatio est mutatio à substantia in potentia, ad substantiam in actu*, reddit hunc sensum, generatio est mutatio materiæ primæ carentis formæ substantiali (hoc enim significat substantia in potentia) ad ipsam formam substantialem. Et hoc idem dicendum est, de particulis positis in secunda definitione loco differentie, cum eundem sensum reddant, ac primæ definitionis, sic enim sunt intelligendæ, *generatio est mutatio ex nõ ente ad ens, id est, ex non ente simpliciter in actu, quale est materia prima carens forma, ad ens simpliciter in actu, quale est forma substantialis, quæ per generationem producitur, vel saltem vnitur ma-*

materiæ ad cõstituendum cõpositum substantiale. De particulis verò, quæ ponuntur in tertia definitione loco differentie, quæ sunt, *causam totum, nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem*, dicendum est, et si explicet id, quod in generationibus entium naturalium de facto contingit; non tamen explicare habitudinem ad terminum à quo, quæ est de intrinseca ratione generationis; sed potius de intrinseca ratione conuersionis: sicut enim de intrinseca ratione conuersionis est, quòd eius terminus à quo sit quid positum, scilicet, totum ens naturale, quod conuertitur in aliud; ita de ratione intrinseca generationis est respicere, vt terminum à quo, nõ totum cõpositum, quod corrumptur; sed priuationem formæ substantialis generandæ, quæ est in materia totius, quod corrumptur.

### QVÆSTIO III.

Quod sit subiectum generationis?

**R**atio dubitandi est, quia à generatione substantiali plura subiecta realiter denominantur, & non denominatione extrinseca, & ad modum, quo paries denominatur vitis, vel columna denominatur dextera; sed denominatione intrinseca, & ad modum, quo (in peripatetica doctrina)

duo alba eiusdem intensiõis denominantur similia, & duæ lineæ eiusdem lõgitudinis denominantur æquales. Et cum manifestum sit, nullum subiectum posse realiter, & intrinsece denominari, nisi à forma reali ipsam actu, & formaliter efficienti, seu in ipso, actu, & formaliter inherente; videtur manifestè inferri, in omnibus subiectis, quæ à generatione realiter, & intrinsece denominantur, ponendam esse generationem realem, quæ ipsa, actu, & formaliter, efficiat, aut in ipsa actu, & formaliter inherere. Ponere autem eandem numero generationem in pluribus, & diuersis subiectis, ipsa actu, & formaliter efficiemem, seu in ipsis actu, & formaliter inherentem, omnium calculum, per absurdum est. Assumptum nõ melius probari potest, quàm inductione; nam in primis, à generatione entis naturalis, si actiue, & quatenus actio est, consideretur, multas denominationes non solum reales, sed etiam intrinsecas accipit principium affectuum illius, nimirum, *generantis, educentis formam ex potentia materia* (excepta solum generatione hominis) *inducentis, seu viuientis formam in materia. Transmutantis materiam ex priuatione formæ ad ipsam formam.* Si verò generatio passiuè, seu in quantum passio est, consideretur, etiam plures denominationes, non solum rea-



les, sed etiam intrinsecas tribuit alijs subiectis. Nam ab ipsa terminus productus denominatur *genitus*, & forma illius non solum denominatur *educta de potentia materiae*, sed etiam denominatur *educta, seu vnita materiae*, & ipsa materia denominatur, *transmutata ex priuatione forma ad ipsam formam.*

2 Communiter Thomista, vt huic rationi dubitandi satisfaciunt, distinguunt in generatione entis naturalis triplex subiectum, scilicet, subiectum denominationis, subiectum inhaesionis, seu informationis, & subiectum, circa quod versatur generatio, & hac distinctione supposita, respondent, subiectum, circa quod versatur generatio, esse materiam primam, subiectum vero denominationis, si generatio actiue, id est, quatenus actio est, consideretur, esse principium effectiuum illius; nam hoc denominatur (vt ratio dubitandi affirmat) *generans, educens formam ex potentia materiae, inducens, seu vnians formam cum materiae, & transmutans materiam ex priuatione forma ad ipsam formam.* Si vero generatio passiuè, id est, vt est passio, consideretur, habere plura subiecta; nam totum productum denominatur *genitus*; forma eius denominatur (seclusa generatione hominis) *educta de potentia materiae, & similiter inducta, seu vnita materiae, & ipsa mate-*

ria denominatur *transmutata ex priuatione forma ad ipsam formam*; in assignando autem subiectum inhaesionis, seu informationis, non est apud ipsos vnianis consensus; nam Baiez 1. lib. de generatione cap. 4. quaest. vltima, Ioannes à Sæcto Thoma hic quaest. 5. art. 5. dicunt, esse totum compositum, quod generatur. Caictanus vero 3. part. quaest. 35. art. 1. & plures alij, quos citat, & sequuntur Patres Carmelitani hic disp. 2. quaest. 5. dicunt esse materiam primam.

3 Hac Thomistica doctrina tantum abest, vt difficultati tateat in ratione dubitandi satisfaciatur, vt potius ipsam confirmet. Si enim verum est (ipsis Thomistis consentientibus) id, quod assumitur in ratione dubitandi, scilicet, ab eadem generatione substantiali plura, & diuersa subiecta realiter denominari, & non denominatione extrinseca, sicut paries denominatur visus, & columna dextera; sed denominatione intrinseca, non lecus, ac duo alba eiuſdem inhaesionis (in peripatetica doctrina) denominantur similia, & duæ lineæ eiuſdem lōgitudinis denominantur æquales. Et insuper manifestum sit, nullum subiectum posse realiter, & intrinsecè denominari, nisi à forma reali ipsam actū, & formaliter afficiente, seu in ipso actū, & formaliter inhaerente, videntur etiā

manifestum di, quod inferitur in ratione dubitandi, scilicet, concedendum esse in omnibus subiectis, quæ à generatione realiter, & intrinsecè denominantur, ponendam esse generationem realem, quæ ipsa subiecta actū, & formaliter afficiat, seu in ipsis actū, & formaliter inhaereat, ponere autem eandem numero generationem in pluribus, & diuinis subiectis, ipsa actū, & formaliter afficietem, seu in ipsis actū, & formaliter inhaerentem, absurdū est, neque à Thomistis affirmatur. Hæc ergo difficultas aliter enodanda est; nam ex doctrina tradita à Thomistis nullatenus enodatur, sed potius relinquatur in sua vi.

4 Vt ergo ex principijs Scoti propositæ quaestioni respondeamus, & difficultati tactæ in ratione dubitandi satisfaciamus, notandum est Scoto in 4. dist. 13. q. 1. à litt. H. id, quod tetigit in Logica, cap. 9. & 10. de sex vltimis predicamentis, disp. vnica, q. 2. sect. 2. scilicet, generationem entis naturalis, siue actiue, siue passiuè sumatur, esse nomen æquiuocū, plura, & diuersa significans; nā primò accipi solet, si actiue sumatur, pro relatione reali producentis ad productum, in qua acceptione ignis (ex epli gratia) quando generat alium ignem in ligno libi approximato, formaliter, & intrinsecè denominatur *produccens, seu gene-*

rans ignem, etsi sumatur passiuè, pro relatione reali producti ad producens, in qua acceptione sumitur, quauddo ignis, qui producit, formaliter, & intrinsecè denominatur *productus, siue genitus.*

5 Secundo accipi solet, si actiue sumatur pro relatione eductis adeductū, in qua acceptione, ignis in exēplo adducto formaliter, & intrinsecè denominatur *educens formam ignis ex potentia materiae ligni, etsi sumatur passiuè pro relatione reali educti ad educens, in qua acceptione forma ignis, quæ educitur ex potentia materiae ligni, formaliter, & intrinsecè denominatur educta.*

6 Tertiò accipi solet, si actiue sumatur, pro relatione reali inducētis, siue vnians formam, quæ educitur de potentia materiae, cū ipsa materia, in qua acceptione ignis in exēplo adducto, formaliter, & intrinsecè denominatur *inducens, seu vnians formam cum ipsa materia, etsi sumatur passiuè pro relatione reali inducē, seu vnita effectiue ad ipsam inducens, seu vnians, in qua acceptione forma, quæ inducitur, seu vnitur materiae, denominatur formaliter, & intrinsecè inducta, seu vnita in genere causæ efficientis cum materia, & dico notanter in genere causæ efficientis, nam si sermo foret de vnionibus, à quibus in genere causæ formalis, forma-*



denominatur vnita materię, & materia denominatur vnita formę, etſi iſte vniones in ſententia Scoti relationes ſint, ſed valde diuerſę, & alterius rationis à relatione, qua in genere cauſę efficientis forma denominatur inducta, ſeu vnita cum materia; nam hæc eſt relatio intrinſecus adueniens, ſpectans ad prædicamētum relationis; illa verò ſunt relationes extrinſecus aduenientes ſpectantes ad prædicamenta actionis, & paſſionis, vt latè diximus lib. 1. Phyſicorum, diſput. 3. quaſt. 2.

7. Quātō accipi ſolet, ſi actiue ſumatur, pro relatione reatiter tranſmutantis ad tranſmutatum, in qua acceptione ignis in exemplo adducto formaliter, & intrinſecè denominatur tranſmutans effectiue materiã ligni, quando generat ignem, & ſimiliter forma ignis, qui de nouo generatur, & iam denominatur tranſmutans materiã ligni in genere cauſę formalis. Etſi ſumatur paſſiue pro relatione reali tranſmutati ad tranſmutans, in qua acceptione materia ligni in exemplo propoſito denominatur formaliter, & intrinſecè tranſmutata in genere cauſę efficientis ab igne generante, & in genere cauſę formalis à forma ignis geniti: & ſolum eſt aduertendum relationes iſtas tranſmutantis ad tranſmutatum, & tranſmutati ad tranſmutans, nō

eſſe relationes intrinſecus aduenientes, & ſpectantes ad prædicamētum ad aliquid, vt ſunt relationes enumeratę productis ad productum, producti ad producēs, educētis ad educētum, educētis ad educens, inducētis ad inductum, inducti ad inducens; ſed potius ſunt relationes extrinſecus aduenientes ſpectantes ad prædicamenta actionis, & paſſionis, vt ex Scoto docuimus in Logica loco ſupra citato.

8. Quātō, & vltimò accipi ſolet pro forma fluenti, id eſt, pro re, quę generatur, dum eſt in fieri, & in ſtatu imperfecto, tendentique ad ſui perfectionem, in quo ſenſu ſumpſit Ariſtoteles actionem, & paſſionē 3. Phyſicorum, dum loquens de motu materialiter ſumpto, id eſt, non pro fluxu, ſed pro forma fluente, expreſſe affirmat, actionem, & paſſionem eſſe idem realiter cum motu; habere tamen aliud, & aliud quiddid erat eſſe, id eſt, diuerſas definitiones, ſeu quidditates. Eadē enim entitas, quę in quantum eſt actus entis in potentia actiua, dicitur actiue; dicitur etiam paſſiue, in quātō eſt actus entis in potentia paſſiua, & ſimiliter dicitur motus, in quantum eſt actus entis in potentia obiectiua vt latè expendimus 3. Phyſicorum, diſput. 1. quaſt. 1. vbi ex proſſo definitionem motus tradidit ab Ariſtotele complexiuius. Et

in iſta acceptione (quę eſt in qua nomen generatio ſumitur ab Ariſtotele his libris) etſi generatio, vt eſt actio conſiderata, ſit conditio per ſe prærequiſita ad hoc, vt reſultent relationes intrinſecus aduenientes actuales, quę fundantur in potentia actiua, & ſimiliter conſiderata, vt paſſio, ſit conditio per ſe prærequiſita ad hoc, vt reſultent relationes intrinſecus aduenientes actuales, quę fundantur in potentia paſſiua (vt ex dictis in Logica cap. de ad aliquid id, diſp. 2. quaſt. 1. ſect. 2. latius conſtat) nihilominus nō eſt relatio; ſed aliquid abſolutum ſpectans reductiue ad prædicamentum ſubſtantię, non ſecus, ac ſpectat ad prædicamentum ſubſtantię, eius terminum ad quem. Nam motum (vel mutationem) materialiter ſumptum, ſcilicet, pro forma fluenti, & terminum ad quem illius, etſi realiter diſtinguantur, ſed non, vt duę res, ſed vt eadē res ſub diuerſis modis eſſendi, quales ſunt eſſe in fieri, & in factō eſſe, copioſe ostendimus lib. 3. Phyſicorum, diſput. 1. quaſt. 3. & conſequenter motum materialiter ſumptum nō collocari per ſe in prædicamento, ſed reductiue poni in prædicamento ſui termini ad quem.

9. Ex his, quę ex doctrina Scoti prænotauimus, manifeſtum eſt, ad præſentem quaſtionem, in qua inquiritur, quid

ſit ſubiectum generationis ſubſtantialis; non eſſe reſpondendum per diſtinctionem triplicis ſubiecti, ſcilicet, ſubiecti denominationis, in hæſionis, & circa quod, vt communiter reſpondēt Thomiſtę num. 2. citati, ſed potius per diſtinctionem nominis generationis, quod æquiuocum eſt, & plura, & diuerſa ſignificans. Nam in primis, ſi nomen generatio, actiue ſumptum accipiat, pro relationibus productis ad productum, educētis ad educētum, inducētis ad inductum, ſive vnientis ad inductum ſive vnium, tranſmutantis, in genere cauſę efficientis ad tranſmutatum, in omnibus his acceptionibus dicendum eſt, ſubiectum generationis, tam in hæſionis, quàm denominationis realis, & intrinſecè, eſſe principium productiuium, ſeu effectiuium ipſius generationis. Et ratio manifeſta eſt, quia prædictę relationes realiter inſerunt in principio productiui, ſeu effectiui generationis, & ab ipſis formaliter, & intrinſecè denominantur, producens, educens, inducens, & efficienter, tranſmutans. Et dixi notanter tranſmutantis in genere cauſę efficientis; nam ſi generatio accipiat pro relatione tranſmutantis in genere cauſę formalis, generationis, vt ſic acceptę ſubiectum, tam in hæſionis, quàm denominationis, non erit principium productiuium, ſeu effectiuium, ſed formalis, in qua inquiritur, quid



geniti; quia prædicta relatio non in principio effectiuo, sed in forma substantiali entis naturalis geniti subiectatur, seu inhæret, vt per se perspicuum est.

10. Deinde, si nomen generatio, passiuè sumptum, accipitur pro relatione *producti, seu geniti ad producentem*, seu *generans* subiectum, tam inhæssionis, quàm denominationis, generationis, est ens naturale, quod producitur, seu generatur; si verò accipitur pro relatione *educti ad educens*, aut pro relatione *inducti*, seu *vniti ad vnians*, seu *inducens*, in vtraque ista acceptione subiectum, tam inhæssionis, quàm denominationis est forma substantialis entis naturalis geniti. Et demum si accipitur pro relatione *transmutati ad transmutans*, siue efficienter, siue formaliter, subiectum generationis, tam inhæssionis, quàm denominationis est materia prima. Et ratio huius doctrinæ, etiam est manifesta; nam manifestum est, relationem *producti* inhære in ipso ente naturali, quod producitur, & relationes *educti, & inducti*, seu *vniti* inhære in forma, quæ educitur de potètia materia, & inducitur, seu vnitur illi: relationes verò *transmutati* ad *transmutans*, siue efficienter, siue formaliter inhærent in materia prima.

11. Demum si nomen generatio accipitur pro forma

fluenti, id est, pro re, quæ generatur, dum est in fieri, & in statu imperfecto tendente ad sui perfectionem, quæ est acceptio, in qua Aristoteles in his libris sumit generationem. Maior difficultas esse potest in assignando, quid sit eius subiectum inhæssionis, seu informationis; nam vt ex dictis num. 2. constat, Magister Bañez, & Magister Ioânes à Sãcto Thoma contendunt, subiectum inhæssionis generationis, vt sic acceptæ, non esse materiã primam, sed potius totum compositum, quod per generationem producitur. Et probant primò, quia in vnuerſum subiectum inhæssionis, vel informationis alicuius formæ est etiam subiectum denominationis formalis ab illa forma prouenientis; sed subiectum, quod denominatur formaliter genitum, non est materia prima; sed totum compositum, quod per generationem producitur, & nõ materia prima, erit etiam subiectum inhæssionis, seu informationis generationis. Secundo probant, quia materia prima nõ est subiectum inhæssionis accidentiũ, sed potius totum compositum (vt ex professo disputatione sequenti, quæst. 5. demonstrabimus) sed generatio in ista acceptione sumpta, est accidens; nam si actiuè, seu, vt actio

est,

est, consideretur, spectat ad quantum prædicamentũ, quod dicitur actio, etsi consideretur passiuè, seu, vt passio est, spectat ad sextum prædicamentũ, quod dicitur passio: ergo nõ potest subiectari per inhæssionem in materia prima; sed potius in toto composito, sed nõ in composito, quod corrumpitur; quia in eodem instanti temporis, in quo est generatio, est simul corruptio illius: ergo in toto composito, quod in illo instanti de nouo generatur. 12. Sed his nõ obstantibus, tenendum est cum communi sententia (quam tenent Scotus in loco citato, Diuus Thomas, Caietanus, & alij, quos referunt, & sequuntur Patres Carmelitani in 2. quæst. 5. §. 2.) generationis sumptæ pro forma fluenti, id est, pro fieri entis naturalis, seu pro re, quæ generatur, dum est in fieri, seu, via, & transitu ex non esse ad esse, subiectum inhæssionis, seu informationis esse materiã primam, & non totum compositum, quod per generationem producitur. Hæc est expressa Aristotelis sententia, tam in primo libro Physicorum, vbi explicans, quæ sint principia intrinseca generationis, seu fieri entis naturalis, non solum affirmat esse tria, videlicet, formam, priuationem, & materiam; sed etiam docet, generationem, seu fieri entis naturalis respicere priuationem, vt ter-

minum à quo formam, vt terminum ad quem; materiam verò, vt subiectum eius, quàm in isto primo libro, nam in fine capitis 4. ponit hæc verba: *Est autem, & materia maxime quidem, & proprie subiectum generationis, & corruptionis susceptibile; quid clarior?*

13. Et ratio efficax est, quia forma fluens, id est, forma, dum est in fieri, seu in via, & transitu, ex non esse ad esse (quæ est acceptio generationis, de qua nunc cum Aristotele loquimur), & forma in facto esse, seu, in termino sunt eadem res, & solum differunt secundum diuersos, & reales modos essendi, quales sunt, esse in fieri, seu in via, qui est modus essendi imperfectus, & esse in facto esse, seu in termino, qui est modus essendi perfectus, vt latè ostendimus 3. lib. Physicorum, disput. 1. quæst. 3. sed formæ in facto esse, & in termino subiectum informationis est materia prima: ergo etiam materia prima erit subiectum informationis, seu fieri formæ, dum est in fieri, seu in via, & transitu ex non esse ad esse, & consequenter generationis, de qua nunc loquimur.

14. Et confirmatur, quia expressè Aristotele eodem numero entitas (vt num. 8. dicebamus), quæ in quantum est actus entis in potètia actiua, dicitur actio, seu generatio actiua, dicitur passio, seu generatio passiuæ, in quantum



quantum est actus entis in potentia passiva, & similiter dicitur mutatio, in quantum est actus entis in potentia obiectiva, id est, in quantum per ipsam formam, quæ non erat in materia actualiter existens, sed solum erat possibilis, & in potentia obiectiva, transit ad esse actualis existentiæ; sed subiectum in hæssionis, seu informationis entitatis, quæ dicitur mutatio, non est compositum; sed materia prima, aliàs non materia prima; sed ipsam compositum denominaretur mutari: ergo neque etiam subiectum in hæssionis, seu informationis entitatis, generationis, de qua nunc loquimur, siue actiue, siue passiuè sumatur, erit compositum; sed potius materia prima, aliàs eadem numero entitas in hæret, seu informaret diuersa, & distincta realiter subiecta, quod est absurdum.

15. His accedit, generationem sumptam pro forma fluente, id est, pro termino ad quem, dum est in fieri, & in statu viæ; seu fluxus, esse natura priorem ipso composito: ergo necessarium subiectum, in quo in hæret, seu quod informat, debet esse premium saltem natura ad ipsam compositum, quod non appareret, quid esse possit, nisi materia prima.

16. Ad primam rationem ex adductis in contrarium respondemus, auctores, qui illa videntur, valde allucinari, dum in

ipsa, vt certum præsupponunt, formam a qua aliquid denominatur formaliter genitum, seu productum, esse generationem sumptam in acceptione, de qua nunc loquimur, scilicet, pro fieri entis naturalis; seu quod idem est, sumptam pro ente naturali in fieri, cum re vera sit generatio in alia valde diuersa acceptione, sumpta, scilicet, pro respectu, seu relatione reali, & intrinsecus adueniente, quam res, quæ generatur, seu producitur, dicit ad generans, seu produccens. Unde in forma respondemus, verissimum esse id, quod assumitur in maiore illius, scilicet, subiectum in hæssionis, seu informationis alicuius formæ, esse etiam subiectum denominationis formalis ab illa forma prouenientis; nam vt optimè dixit Scotus loco citato, §. *Sed contrarium, &c. omnino irrationabile videtur, quod forma sit in aliquo, & non constituat ipsum informatum secundum ipsum.* Et similiter esse verissimum id, quod assumitur in minori, scilicet, subiectum, quod denominatur formaliter genitum, non esse materiam primam, sed compositum. Sed negamus, formam, a qua compositum formaliter denominatur genitum, esse generationem sumptam pro fieri entis naturalis, quæ est acceptione generatiouis, de qua nunc loquimur, sed relationem realem, & intrinsecus aduenientem, quam dicitur compositum, quod

quod generatur ad ipsum generans, quæ in alia diuersa acceptione dicitur etiam generatio, vt manifestè constat ex dictis num. 4. ex doctrina Scoti. Imò hinc ratio facta ab aduersarijs potest in contrarium retorqueri; nam, cum generatio sumpta pro fieri entis naturalis in generationibus, quæ sunt potètia ordinaria, necessario inuoluat mutationem; nam ex Aristotele principia, seu connotata intrinseca illius sunt *subiectum*, quod mutatur; *prius*, a qua mutatur, & *forma*, ad quam mutatur, ex præmissis assumptis ab aduersarijs in sua ratione, necessario inferitur, illud esse subiectum in hæssionis, seu informationis generationis sumptæ pro fieri entis naturalis, quæ est, de qua nunc loquimur, quod formaliter denominatur ab ipsa mutatum; sed quod in generatione entis naturalis formaliter denominatur mutatum, non est compositum, quod producitur, sed solum materia prima; erit ergo materia, & non compositum subiectum in hæssionis, seu informationis generationis, sumptæ pro fieri entis naturalis, seu quod idem est, pro ente naturali, dum est in fieri.

17. Ad secundam rationem respondemus, solum habere vim contra aduersarios; & alios Thomistas, qui sustinent, generationem, & quamcumque aliam actionem sumptam pro-

via, seu fieri termini, esse accidens prædicamentale spectans, si actiue sumatur, ad quintum prædicamentum, quod dicitur actio, et si sumatur passiuè, ad sextum prædicamentum, quod dicitur passio; non vero contra nos, qui cum Scoto statuimus in Logica disputatione vnica de sex ultimis prædicamentis, q. 2. sect. 1. & 2. & alibi sæpè, actionem, & passionem, quæ constituentur quintum, & sextum prædicamentum, consistere formaliter in aliquo ex respectibus extrinsecus aduenientibus, nimirum, actionem in respectu transmutantis ad transmutatum; passionem verò in respectu transmutati ad transmutans; actionem verò, & passionem sumptas materialiter, id est, non pro respectibus intrinsecus aduenientibus, quos fundant, & quos dicunt pro formali; sed pro forma fluente, id est, pro ente naturali, dum est in fieri, & in esse imperfecto fluxus, seu tendentiæ ad sui perfectionem, cum sit ens imperfectum, non collocari potest in aliquo ex decem prædicamentis; sed collocari reduciue in prædicamento sui termini; nam, cum terminus, ad quem generationis substantialis sit, substantia; etiam & ipsa generatio in ista acceptione sumpta, substantia erit; yndè ex eo, quod subiectetur in materia prima, nimirum inferitur, aliquid accidens subiectari in materia pri-



ma, vt argumentum contende-  
bat.

**R**e Ad rationem dubitandi in principio huius questionis ad-  
ductam, patet ex dictis, solum  
militare cōtra Thomistas, qui  
vt ipsi satisfaciant, non recur-  
runt ad distinctionem diuersarum  
acceptationum huius nomi-  
nis *generatio*; sed ad distin-  
ctionem trium subiectōrū eius-  
dem numero generationis; nō  
verō militare contra nos, qui  
vt ipsi satisfacere mus, recurri-  
mus cum Scoto ad distinc-  
tionem diuersarum acceptationum  
huius nominis *generatio*, & iuxta  
istas diuersas acceptiones, vni-  
cuique earum suum propriū,  
& distinctum subiectum, tam  
inhærensionis, seu informationis,  
quàm denominationis realis,  
& intrinsecæ assignauimus.

#### QVÆSTIO IV.

*Quid sit terminus, ad quem genera-  
tionis substantialis?*

**R**atio dubitandi est, quia  
in generatione substanti-  
ali, sumpta, vt hic sumitur,  
scilicet, pro fieri rei, quæ gene-  
ratur, seu quod idem est pro re,  
quæ generatur, dum est in fieri,  
tria inter alia nos possumus  
considerare, de quibus dubitari  
potest, quodnam ipsorum  
induat rationem termini, ad  
quem primò, & per se, prædi-  
cæ generationis? Primum est  
forma substantialis, quæ simul

cum materia concurret ad cō-  
stitutionem essentialē com-  
positi substantialis, quod gene-  
ratur, & aliquando per ipsam  
generationem educitur de po-  
tentia materia; aliquando ve-  
rō nō educitur de potentia ma-  
terix, sed præsupponitur ad ip-  
sam generationem, saltē prio-  
ritate nature facta per creatu-  
ram, vt cōtingit in generatio-  
ne hominis. Secundum est *vnio*  
formæ substantialis ad ipsam  
materiā, quæ in nostra, & Sco-  
ti doctrina non est aliqua entis  
modalis absoluta, medians  
inter materiā, & formā, ad  
modum, quo in continuo re-  
quiruntur indiuisibilia, vt ipsi  
mediantibus partes eius copu-  
lentur, seu uniantur; sed vt ex  
professo docuimus i. Physico-  
rum, disp. 5. quæst. 2. in respec-  
tibus transmutantis in genere  
causæ formalis ad transmuta-  
tum, & transmutati ad trans-  
mutans in eodem genere cau-  
sæ, quibus ad inuicem formā,  
& materia referuntur, & for-  
maliter denominantur vnitæ,  
& sunt respectus extrinsecæ ad-  
uocientes spectantes ad quin-  
tum, & sextum prædicamen-  
tum. Tertium est, ipsum *totum*,  
seu *compositum* substantiale, quod  
generatur, quod non consistit  
in materia, & forma vnitis, sed  
in entitate per se vna, ex vnio-  
ne formæ, & materiæ resultantē,  
vt latè cum Scoto docui-  
mus i. Physicorum, disp. 5.  
quæst. 3. sect. 1. Quod totum

ad.

adhuc dupliciter considerari  
potest; primò prout dicit præ-  
cisè entitatem quandam phy-  
sicam totalem, compositā ex  
materia, & forma, indiuiduā,  
& actualiter existentem, qua  
ratione non supponitur, sed  
natura indiuiduā, & actualiter  
existēs appellatur, estque prin-  
cipium, quod elicitationum suarum  
operationum. Secundò  
prout ultra hoc dicit substan-  
tiam, à qua habet, quod sit sup-  
positum, vel persona, id est,  
quod incommunicabiliter ex-  
istat, siue hæc substantia solum  
consistat in duplici negatione  
actuali, scilicet, & aptitudinali,  
communicationis, vt *quod*, & *vr*  
*quod*, quæ necessariò sequitur  
ad supradictam naturam indi-  
uidualiter, & actualiter ex-  
istentem; siue in aliqua entitate  
positiua, ei superaddita, ad quā  
non solum dicit supradictæ ne-  
gationes cōmunicationis; sed  
etiam tertia negatio; videli-  
cet, repugnantia consequan-  
tur, iuxta ea, quæ latè discuti-  
mus i. Physic. disp. 6. q. 3.

2. Circa propositam quæstio-  
nem varij sunt philosophandi  
modi; nam in primis aliqui  
auctores, quos supresso nomi-  
ne citant Conimbricenses hic  
cap. 4. quæst. 15. art. 1. susti-  
nent, in generatione entis na-  
turalis dari duas actiones ma-  
terialiter sumptas, vnā, per  
quam producit formā, quā-  
do educitur de potentia mate-  
riæ, & aliam, per quam produ-

citur compositum, & prioris  
actionis terminum per se esse  
formam substantialem; poste-  
rioris verò esse compositū, qui  
consequenter in generatione  
hominis vbi forma, scilicet,  
anima rationalis, nō educitur  
de potentia materia, sed crea-  
tur, debent asserere, dari etiam  
duas actiones, vnā, per quam  
anima vnitur corpori, & alia,  
per quam producit homo, &  
prioris terminum per se esse  
vnionem; posterioris verò esse  
hominē, cuius sententia fun-  
damentū est; quia forma, vnio,  
& compositum re ipsa inter se  
distinguantur, ergo ex possunt  
actiones ad sui productionem  
re ipsa inter se distinctas; patet  
consequentia, quia cum actio  
materialiter sumpta, nihil aliud  
sit, quàm res in fieri, actiones  
diuersæ nihil aliud erunt, quàm  
diuersæ res in fieri. Et confir-  
matur, quia cum actio mate-  
rialiter sumpta, & eius termi-  
nus sint idem realiter, si forma,  
vnio, & compositū essent ter-  
mini eiusdē numero actionis,  
identificarentur realiter cum  
illa, & consequenter inter se;  
quia, quæ sunt eadem vni ter-  
tio, sunt eadem inter se.

3. Sed hæc sententia meritò re-  
ijcitur ab omnibus; nā nititur  
salso fundamento, scilicet, in  
generatione entis naturalis, di-  
uersa actione materialiter sum-  
pta produci totum compositum  
ab illa, qua forma vnitur ma-  
terix; nam eadem numero

C actio



actione materialiter sumpta, qua forma vnitur materiæ, siue prædicta actio sit simul educitiua formæ de potentia materiæ, vt contingit in omnibus generationibus, excepta humana; siue solum sit vnitua, vt contingit in generatione hominis, generatur etiam compositum, cum sit impossibile dari materiam, & formam unitas, & quod compositum ex ipsis nõ ex istat. Nec obstat, quod hæc actio varijs nominibus appelletur, scilicet, *educitio, vnitio, generatio, &c.* nam hoc non prouenit; quia diuersæ sint actiones, sed quia eadem numero actio secundum diuersas connotationes; est ratio fundandi diuersas relationes, vt quæstione præcedenti visum est.

4. Ad fundamentum in contrarium adductum, concessio antecedenti, negamus consequentiam; nam sunt nonnulla, quæ etiam si realiter differant, ita subordinantur in suo fieri, vt fieri vnius sit etiam fieri alterius, vt in præsentibus contingit, fieri enim vniõnis formæ cum materia, est etiam fieri totius compositi, quod ex vniõne formæ cum materia resultat. Neque absolute verum est, res diuersas in fieri, esse actiones realiter diuersas, sed solum in casu, quo, quælibet ipsarum rerum per se fiat, & vna alterius productione non simul producat, vt sæpè contingit. Ad confirmationem dicimus, fal-

sium omnino supponere, scilicet, actionem materialiter sumptam, & eius terminum, ad quæ, esse idem realiter; nam distincti realiter, licet non, vt diuerses, saltem, vt eadem res, sub diuersis, & realibus modis essendi, quales sunt esse in fieri, & in factu esse, latè ostendimus cum Scoto super 3. Physicorum disp. 1. quæst. 3.

5. Sed quamuis sententia communis subsistat id, quod stabilitum est, scilicet, eadem numero actione materialiter sumpta produci, seu generari, non solum formam, quando educitur de potentia materiæ, sed etiam vniõnem formæ cum materia, & consequenter totum compositum, quod ex vniõne formæ cum materia resultat. Et similiter affirmari, in quacunque actione generatiua materialiter sumpta, duplicem esse assignandum terminum per se, & intrinsecum, vnum totalem, & perfectum, qui ideo appellari solet terminus *qui*, & alium formalem qui appellari solet terminus *quo* generationis, eo quod non est id, quod principaliter per ipsam inuenitur, seu producit, sed, quo habet esse in genere, causæ formalis id, quod principaliter intenditur, seu producit per ipsam generationem; nihilominus adhuc est disidium inter auctores in assignando, quinam sit terminus per se, & intrinsecus totalis, & quinam sit terminus

mus per se, & intrinsecus formalis in quacumque generatione substantiali?

6. Loquedo de termino totali, & adæquato, & qui dicitur terminus *qui*, cursus Carmelitani hic disp. 2. q. 3. art. 3. & Magister Ioannes à Sæcto Thoma q. 1. art. 4. sustinent terminum totalem, & adæquatam per se, & intrinsecum generationis substantialis, esse solum suppositum, id est, naturam singularem, quæ ex materia, & forma, tanquam ex partibus essentialibus coalescit, non solum, vt existens est, sed etiam, vt est subsistens, & consequenter suppositum: quam sententiam tribuunt non solum Diuo Thoma, & eius asseclis, sed etiam Aristotelicis infra referendis.

7. Fundamentum ipsorum sunt duo principia apud ipsos celeberrima. Primum, existentiam esse modum realiter distinctum ab essentia actuali. Secundum, existentiam primo, & per se solum competere suppositis; naturis verò, siue partialibus sint, vt sunt materia, & forma; siue sint totales, vt sunt compositæ ex materia, & forma, solum competere per accidens, & ratione suppositorum, in quibus sunt. Ex suppositione ergo istorum principiorum, sic argumentantur. Generatio per se, & intrinsecè tendit ad constituendum in actuali existentia id, quod ante ipsam solum erat in potentia obiectiua, seu

in esse puræ possibilitatis; ergo illud erit totalis, & adæquatus per se, & intrinsecè terminus generationis, cui primo, & per se cõpetit modus actualis existentia: sed in istorum principijs, hoc solum est suppositum, & non natura, etiam totalis; ergo in istorum principijs, solum suppositum, & non natura, etiam totalis, erit terminus totalis, & adæquatus per se, & intrinsecè generationis substantialis. Et confirmatur ab ipsis; generatio primo, & per se tendit ad constituendam naturam, quæ generator, in esse integro, & perfectò, sed natura, quæ generator, non habet esse integrum, & perfectum seclusa substantia: ergo sola natura, dū est subsistens, & consequenter suppositum erit terminus totalis, & adæquatus; primarius per se, & intrinsecè generationis.

8. Loquedo verò de termino formali, & qui dicitur terminus *quo*, Petrus Hurtado, & nonnulli ex recentioribus affirmant, terminum formalem intrinsecum, & per se generationis substantialis, non esse formam substantialem, vt cõmunitè asseritur; sed vniõnem materiæ, & formæ. Fundamentum ipsorum est; quia totum compositum substantiale, quod in omnium sententia est terminus ad quem totalis, & adæquatus generationis substantialis, nihil aliud



est, quam materia, & forma simul sumptæ, & vnita; sed materia, & forma solum habent ab vnione, quod sint vnitæ in genere causæ formalis: ergo sola vnio erit terminus formalis in generatione totius compositi substantialis, non secus, ac in calefactione terminus formalis est calor, & in frigidatione frigus, &c. Et confirmatur, quia cum omnis generatio sit productio, de ratione intrinseca termini generationis, siue sit totalis, siue formalis, erit, quod sit per ipsam productus; sed ad generationem substantialem non semper est necessarium, quod forma producat, vt patet in generatione hominis; semper tamen requiritur, quod producat vnio: ergo terminus formalis per se, & intrinsecus generationis non erit forma, sed potius vnio. Quibus accedit, omnium productionem sumere speciem a suo termino formalis; sed generatio, & resurrectio, eiusdem entis naturalis sunt productiones specie differentes; ergo habent diuersos terminos formales; sed non respiciunt diuersas in specie formas, sed diuersas in specie vniones: ergo vnio, & nō forma est terminus formalis generationis substantialis.

9 Sed in hac re dico primò, terminus ad quem totalis, & adæquatus generationis sub-

stantialis, non est forma, neque vnio, sed compositum substantiale, ex vnione materiæ, & formæ coalescens, seu resultans. In hac cōclusionē omnes Peripatetici conueniunt; nec video, quomodo possit aliquis ab ea dissentire. Quia vt benè animaduertit Scotus in l. distinct. 5. quæst. 1. littera B. est expressa Aristotelis doctrina, non solum 1. Physico-rum, vbi tex. 64. ait, *omne, quod sit, semper compositum est*: sed etiam 7. Metaphys. tex. 27. vbi non solum affirmat, terminum totalem, & adæquatum generationis esse compositum; sed etiam ab esse talis excludit formam, non solum physicam, qualis est altera pars compositi substantialis, sed etiam metaphysicam, qualis est quidditas totalis rei, prout abstrahit a singularibus, seu indiuiduis, in quibus actualiter existit: verba Aristotelis sunt: *Neque species sit, nec quodcumque oportet nominari formam, que in sensibili est; neque eius est generatio, nec quod quid erat esse: quod non solum de substantijs, sed etiam de accidentibus esse intelligendum, explicat, text. 3. 2. his verbis: Non autem de substantia solum ostendit ratio non fieri formam; sed de omnibus predicamentis communis est ratio, vt pura, quantitate, qualitate, & alijs. Vnde cōcludit, non sit qualitas, sed quale lignum, nec quantitas, sed quantitas.*

*tum lignum, &c.* Et ratio effica est, quia terminus totalis, & adæquatus cuiuscumque productionis, dicitur ille, qui est vltimus finis illius, & ad quem consequendum cetera, quæ cōcurrunt in productione, diriguntur. Sed in generatione substantiali finis vltimus nō est forma, neque vnio; sed totum compositum substantiale; quia hoc solum est, quod per generationem primò intenditur, & ad quod consequendum, tam productio formæ, quam vnionis prædictæ formæ cum materia diriguntur: ergo generationis substantialis terminus totalis, & adæquatus, neque erit forma, neque erit vnio; sed totum compositum substantiale, ex vnione formæ cum materia coalescens, seu resultans.

10 Dico secundo, licet de facto generatio substantiali semper terminetur ad compositum, non solum in quantum dicit naturam actualiter existentem, sed etiam subsistentem; nihilominus substantia non est in prædicta natura condita per se, & intrinsecè requisita ad hoc, vt compositum substantiale sit terminus totalis, & adæquatus generationis substantialis; sed sufficit, quod prædicta natura sit singularis, & actualiter existens.

11 In priori parte huius asserti nulla potest esse controuersia; siquidem omnes fatentur, subsistentiam, quæ est forma, à

qua natura substantialis denominatur subsistens, seu suppositum (siue cōsistat in negatio, siue in positio) et si non sit idē realiter cum natura singulari, à qua profuit (aliàs neque per potentiam absolutam Dei possent separari, vt de facto separata est natura humana Christi à sua propria substantia in mysterio incarnationis) nihilominus in existendo, ita illam comitari, vt pro eodem instante temporis, in quo verificatur de natura, quod actualiter existit, etiam verificetur, quod actualiter subsistat: ergo sicut de natura singulari, quando actualiter existit, verificatur, quod terminet generationem; etiam idē de ipsa verificabitur, quando actualiter subsistit, licet cū hoc discrimine, quod existentia actualis requiritur in natura singulari ad terminandā generationem, vt quid per se, & intrinsecè requiritur, subsistentia verò non per se, & intrinsecè, sed vt quid naturaliter consequens, & concomitans.

12 Posterior verò pars huius asserti directè militat contra Thomistas num. 6. relatos; sed eam amplècti tenentur innumerum auctores, qui loquētes de principio quod elicitio suarū operationum, cum Scoto sustinent, et si de facto sit compositum, non solum in quantum dicit naturam singularē actualiter existentem, sed etiam subsistentem; nihilominus subsi-



stentiam non esse conditionem per se, & intrinsicè requisitam in prædicta natura ad hoc, vt sit principium elicitiuum suarum operationum; sed solum ad hoc concurrere per accidens, & purè concomitanter; & consequenter ad hoc dicitur, actiones esse suppositorum denominatiuè, non verò elicitiuè; quia hoc pacto solum sunt naturarum singularium actualiter existentium. Nam sicut se habet substantia respectu principij, quod elicitiui suarum operationum; ita proportionabiliter se debet habere respectu termini quod intrinseci, & per se earundem operationum. Neque auctoritates Aristotelis ad hæc ductæ num. 9. in ali. quo fauēt auctoribus oppositæ sententiæ; sed potius sunt contra ipsos; nā (omisso, quod plures adstruūt, & mihi valdè aridet, scilicet, neque Aristotelem, neque aliquē ex Philosophis ante mysterium Incarnationis, habuisse cōceptum suppositi, vt quid distinctum à natura singulari, quæ eo ipso, quod est substantia totalis, & singulariter existens, seclusa quacumque alia entitate positiua, habet, quod denominetur suppositum, vel persona, à duplici negatione, quæ necessariò ad ipsam sequitur, actualis, scilicet, & apriorum communicationis, vt quo, & vt quod, vt latius super 2. Physicorum, disp. 6. quæst. 3. sect. 2. explicuimus) ex dictis

auctoritatibus solum habemus, terminum totalem, & adæquatam generationis substantialis non esse formam, siue forma sumatur physice, id est, pro entitate partiali, quæ simul cum materia constituit compositum siue forma sumatur metaphysicè, id est, pro tota quidditate rei, in quantum est abstracta à suis inferioribus, vt indiuiduis, denominaturque species; sed potius esse compositum, id est, naturam singularem, & indiuiduam, quæ ex materia, & forma coalescit, & in qua forma metaphysica essentialiter includitur, & à qua sicut forma metaphysica accipit actualiter existere, ita & generari, seu produci.

13. Et ratio efficax huius posterioris partis nostri secundi asserti est; quia si substantia esset conditio per se, & intrinsicè requisita in natura, quæ generatur, ad determinandam totaliter, & adæquatè generationem substantialem, neque ad hoc sufficeret, quod prædicta natura sit singularis, & actualiter existens, & implicaret contradictionem dari veram, & adæquatam generationem substantialem, & non terminari ad naturam, non solum singularem, & existentem; sed etiam substantentem, sed non implicat dari veram, & adæquatam generationem substantialem, quæ etsi terminetur ad naturam compositam singularem, & existentem;

tem; non tamen terminetur ad substantiam eius; ergo signū eiusdem est, substantiam in natura, quæ generatur, non esse conditionem per se, & intrinsicè requisitam ad terminandam veram, totalem, & adæquatam generationem substantialem. Discursus est optimus, maior assumpta ex ipsis terminis est manifesta; minor probatur instantia generationis, qua Beata Virgo genuit Christum, quæ fuit vera, totalis; & adæquata generatio, & tamen per ipsam Beata Virgo solum attingit naturam humanam Christi in indiuiduo, & actualiter existentem, non verò illius substantiam; nam de fide est, naturam humanam Christi non habere propriam substantiam. Neque obstat, quod aliqui respondent, scilicet, naturam humanam Christi, etsi non subsistat propria substantia, subsistere tamen substantia diuini Verbi; nam, cum generatio Beate Virginis nullo modo attingat substantiam Verbi; quia nec attingit illam producendo, neque ipsam vniendo, seu comunicando naturæ humanæ, argumentum factum manet in sua vi.

14. Quod si ab aduersarijs placeat, nos interrogare, quomodo saluari possit, Beatam Virginem verè genuisse Deum, seu esse Matrem Dei; si verum est, quod supponimus, scilicet,

per generationem, qua genuit Christum, solum attingisse humanitatem Christi indiuidualiter existentem, non verò personalitatem diuini Verbi, qua prædicta humanitas subsistebat? Nobis etiam placebit ab aduersarijs inquirere, quo modo saluari possit, Iudæos verè crucifixisse Deum, seu fuisse crucifixores Dei, supposito, quod actio, qua crucifixerunt Christum, solum attingit humanitatem Christi indiuidualiter existentem, non verò personalitatem diuini Verbi, qua prædicta humanitas subsistebat? Quod si nobis respondere optime saluari, Deum crucifixum fuisse à Iudæis, & consequenter Iudæos verè Deum crucifixisse, seu fuisse Dei crucifixores, non obstat, quod actio crucifigendi solum fuerit per se terminata ad naturam humanam Christi, & non ad personalitatem diuini Verbi; quia cum illa natura subsisteret in persona Verbi, omnia prædicta, quæ formaliter, & intrinsicè conueniebant illi naturæ, sumpta in concreto extrinsecè, & (vt dici solet) per communicationem idiomatum eniciantur de diuino Verbo. Ita & nos ipsis respondemus, optime saluari, Deum fuisse genitum ex Virgine Maria, & consequenter Virginem verè genuisse Deum, seu esse Matrem Dei, non obstante, quod eius generatio solum fuerit per se, & in-



trinfecè terminata ad naturam humanam Christi indiuidualiter existentem, & non ad personam diuini Verbi; quia cum dicta natura in eodem instanti, in quo terminauit generationem Virginis, fuerit uero diuino Verbo, & consequenter subsisteret subsistentia ipsius; omnia prædicata, quæ formaliter, & intrinsecè illi adueniunt pro illo instanti, sumpta in concreto extrinsecè, & (vt dici solet) per communicationem idiomatum, uerè enütari debuerunt de diuino Verbo, inter quæ vnum est, esse genitum ex Virgine, & consequenter Virginem esse Matrem Dei. Et ex doctrina huius responsionis, quæ communis est apud Theologos, potest amplius confirmari nostrum secundum assertum, scilicet, quòd etiam si generatio substantialis de facto semper terminetur ad naturam compositam, non solum existentem, sed etiam subsistentem; nihilominus subsistentiam non esse conditionem in prædicta natura ad generationem terminandam per se, & intrinsecè requisitam, sed solum per accidens, & concomitanter.

15 Ad fundamentum Thomistarum num. 7. adductum respondemus, inniti duobus principijs falsis. Primum, existentiam esse modum realiter distinctum ab essentia actuali, cuius oppositum latè ostendimus I. Physicorum, disput. 6.

quæst. 2. sect. 2. Secundum, existentiam, primò, & per se solum competere suppositis; naturis uerò, siue parciales sint, vt sunt materia, & forma; siue totales, vt sunt compositæ ex materia, & forma, solum competere per accidens, & ratione suppositorum, in quibus sunt; nam uicini quæ rei, sicut conuenit sua propria essentia: ita competere suâ propriam existentiam, etiam ostendimus loco citato sect. 3. Ad confirmationem, concessa maiori, negamus minorem, scilicet, naturam, quæ generatur, seclusa subsistentia, non habere esse integrum, & perfectum. Est enim natura substantialis singularis, & actualiter existens ante aduentum subsistentiæ, in esse nature ultimæ completa, & perfecta. Aliàs natura humana in Christo Domino, non esset ultimæ completa, & perfecta. Etsi instes, saltem in ratione suppositi natura non est completa ante aduentum subsistentiæ, cum in ratione talis per subsistentiam constituitur. Benè quidem, sed non ad rem; nam nos non negamus, naturam constitui in esse suppositi per subsistentiam; sed generationem per se, & intrinsecè terminari ad naturam, in quantum subsistens, & suppositum est; sed solum intrinsecè, & per se terminari ad naturam singularem, & existentem; ad supposititalitatem autem, seu subsistentiam.

stentiam, solum per accidens, & concomitanter.

16 Dico tertio, & ultimo, terminus formalis, & vt quo per se, & intrinsecus generationis substantialis non est vniò, sed forma. Hoc assertum directè militat contra sententiam Petri Hurtado, & aliorum recentiorum num. 8. relatum; est tamen communiter receptum in scholis, tam Scotistarum, quam Thomistarum, imò videtur expressum apud Aristotelem, qui, vbi cumque loquitur de termino specificatio, seu formali generationis substantialis, numquam dixit, esse vniònem, sed formam substantialem. legatur 2. Physicorum, cap. I. tex. 14. vbi explicans, quid sit generatio substantialis, affirmat, esse *viam ad naturam*, vbi nomine nature, omnium calculo, formam substantialem intelligit: & I. Physicorum, postquam conclusit, tantum esse tria, nec plura, nec pauciora principia, seu cònotata intrinsecè, & essentialia fieri, seu generationis entis naturalis, nullatenus inter illa, vniònem numerauit, sed *materialiam*, tanquam subiectum; *primariònem*, tanquam terminum à quo, & *formam*, tanquam terminum ad quem.

17 Sed ne in intelligentia huius nostri tertij asserti in æquiuoco laboremus; annotandum est, totum, seu compositum substantiale, quod cum

Aristotele, & communi sententia num. 9. statuimus, esse terminum, ad quem totalem, & adæquatam per se, & intrinsecum generationis substantialis, v. gr. in generatione hominis *hic homo*, Petrus, scilicet, vel Ioannes, dupliciter potest considerari. Primò, vt est, quoddam totum, seu compositum physicum, constans, scilicet, hoc corpore; tanquã materia, & hac anima rationali, tanquam forma. Secundò, vt est quoddam totum, seu compositum metaphysicum, constans ratione quidditatiua hominis, tanquam forma, & principio indiuiduationis contraheo quidditatem hominis ad esse huius, Petri, scilicet, vel Ioannis, tanquam materia; iuxta illud Aristotelis asatum I. de celo tex. 95. *Cum dico celum, dico formam; cum dico hoc celum, dico materiam.* (legite, quæ diximus I. Physicorum, disput. 6. quæst. 1. sect. 2. à num. 106.) Ad rem ergo: cum in hoc tertio, & ultimo asserto dicimus, terminum formale, & vt quo, per se, & intrinsecum generationis substantialis, non esse vniònem, sed formam substantialem, intelligendum est, (proportionè accommodata) tam de forma physica, quæ dici solet partialis, quàm de forma metaphysica, quæ dici solet totalis.

18 Hoc prælibato, assertum nostrum præbatur vnica, sed effi-



efficaci ratione. In vera, & recepta sententia, terminus formalis, & *ut quo* intrinsecus, & per se, cuiuscunque productionis, dicitur ille, à quo terminus totalis, & adequatus per se, & intrinsecus productionis, in genere causæ formalis recipit esse, & à quo productiones specificationem recipiunt. Sed in productione substantiali, quæ dicitur generatio, v. gr. in generatione Petri, hic homo Petrus, qui est terminus totalis, & adequatus per se, & intrinsecus prædictæ generationis, non accipit esse in genere causæ formalis ab vnione, qua anima vnitur corpori, neque ab ipsa generatio accipit specificationem; sed potius à forma cum proportione debita, v. gr. si hic homo Petrus consideretur; vt est quoddam totum, seu compositum. Physicum à forma physica, & partiali, qualis est anima illius; si verò consideretur, vt est quoddam totum, seu compositum metaphysicum à forma metaphysica, & totali, qualis est quidditas, & essentia hominis: ergo firmiter tenendum est, terminum formalem, & *ut quo* generationis substantialis, non esse vnionem, qua vnitur forma cum materia; sed formam substantialem, vel physicam, & partialem, si terminus totalis, & adequatus consideretur, vt totum, seu compositum physicum; vel metaphysicum, & totalem, si consideretur, vt

totum, vel compositum metaphysicum. Vniones enim materię, & formę, etsi indispensabiliter interuenire debeant in generatione substantiali; sed interueniunt, non vt termini illius, nec totalis, nec formalis, sed vt quid simpliciter requisitum ad causalitates materię, & formę, vt latè explicauimus super secundum librum Physicorum, disp. 3. q. 3. n. 4.

19. Solum restat his, quæ n. 8. in fauorẽ sententię Petri Hurtado adduximus, satisfacere. Ad fundamentalem rationem dicimus, falsum esse, quod supponit, scilicet, totum substantiale, nihil aliud esse, quàm materiam, & formam simul sumptas, & vnitas, cum potius sit, & consistat in quadam entitate per se vaa, ex vnione materię, & formę coalescente, seu resultantē, vt cū Scoto ex professo statuimus super secundum Physicorum, disp. 5. quæst. 3. sect. 1.

20. Ad confirmationem respondemus, ex eo, quòd omnis generatio sit productio, solum inferri, de intrinseca ratione termini totalis, & adequati illius esse, quòd sit per ipsam productus, non verò id inferri de termino formali illius; nam sufficit, quòd per ipsam termino totali, & adequato realiter communicetur, vt contingit non solum in generatione hominis, & eius resurrectione, sed etiam in generatione diuini

Ver-

Verbi, in qua, etsi terminus totalis, & adequatus illius, scilicet, Persona Filij sit verè productus; tamen terminus illius formalis, (qualis est in recepta, & Scoti sententia, in 1. dist. 5. quæst. 2. §. *Contra istam opinionem*, diuina essentia) nullatenus productus est, sed solum realiter communicatus Personę Filij.

21. Ad secundam confirmationem (quæ si vim haberet, concluderet etiam contra ipsum Petrum Hurtado, vnionem materię, & formę non posse esse terminum formalem generationis, vt ipse contendit; siquidè perspicuum est, vnionem, qua in generatione hominis anima vnitur corpori, non esse distinctam in specie ab vnione, qua in resurrectione eiusdem hominis eadem numero anima vnitur eidem numero corpori) respondemus (ex his, quæ latè docuimus super 5. Physicorum, disp. 2. q. 1.) generationem, & resurrectionem eiusdem hominis dupliciter considerari posse. Primo materialiter, id est, pro fieri rei, quæ producitur, seu quod idem est, pro re, quæ producitur, dum est in fieri, quæ est consideratio secundum quæ hic agitur de generatione. Et in hac consideratione falsum omninò est, generationem, & resurrectionem eiusdem hominis esse diuersas productiones in specie, cum habant eum-

dem terminum, tam totalem, quàm formalem, non solum in specie, sed etiam numero, & vt sæpè dictum est, omnis productio, siue sit successiua, siue instantanea, sumpta materialiter, nõ ponitur per se in aliquo determinato prædicamento; sed reducitur non solum ad prædicamentum, sed etiam ad speciem sui termini. Secundo possunt considerari formaliter, id est, vt sunt *actus entis in potentia secundum quod in potentia*, & in quantum sunt actus entis in potentia actiua dicuntur actiones, & in quantum sunt actus entis in potentia passiuua, dicuntur passionēs, & in quantum sunt actus entis in potentia obiectiua, dicuntur mutationes. Et in hac consideratione fateor libentissimè cum Scoto in 4. distinct. 43. quæst. 1. §. *Alier ponitur*, littera E. generationem, & resurrectionem eiusdem hominis esse mutationes specie diuersas: neque obstat, quòd terminus, ad quem earum, tam totalis, quàm formalis, in effecti, sit idem in specie. Nam secundum Diuum Augustinum 3. de Trinitate cap. 9. (inquit Scotus) idem secundum speciem potest generari vnionem, & æquiuocè, v. gr. calor genitus ab igne, & calor genitus à sole, & tamẽ generationes istæ formaliter, & in quantum motus, seu mutationes sunt considerate, diuersa sunt in specie. Et similiter idem numero *ubi*,

in



in esse rei consideratum potest terminare motum localem rectum, & circularem, & tamen motus rectus, & circularis, formaliter, & ut motus sunt considerati, specie differunt; aliās non inter motus incomparabiles in velocitate, & tarditate Aristoteles enumeraret, sicut enumerat 7. lib. Physicorum, cap. 4. tex. 22. Et ratio à priori huius discriminis est; quia generatio, & resurrectio formaliter, & in quantum sunt mutationes consideratæ, et si specificentur à terminis ad quem, sed non à terminis ad quem in esse rei consideratis (sicut dictum est specificari, quando materialiter sumuntur, scilicet, pro

fieri rei, seu pro re dum est in fieri) sed consideratis formaliter, & in quantum induunt rationem terminandi: consistat autem, eundem numero hominem induere diuersam in specie rationem terminandi, dum terminat generationem, ac induit, dū terminat resurrectio- nem, non secus, ac idem in specie ubi induit diuersam in specie rationem terminandi, dum terminat motum circularem, ac induit, dum terminat motum rectum. Sed de hac re legitur, quæ super 5. Physicorum loco citato diximus, dum examinauimus, unde motus uitate, & diuersitatem specificam accipiant?

## DISPUTATIO SECUNDA.

### De corruptione entis naturalis.

**C**IRCA corruptionem entis naturalis sex veniunt examinanda. Primum, quid sit corruptio entis naturalis? Secundum, quo pacto generatio, & corruptio comparentur inter se? Tertium, in quo sensu verificetur, generationem unius esse corruptionem alterius? Quartum, in in uentibus præter animam de qua forma mixti, seu corporeitatis? Quintum, utrum accidentia subiectentur in materia prima, an in toto composita? Sextum, an in corruptione, & noua generatione entis naturalis fiat resolutio usque ad materiam primam?

QVÆ.

## QVÆSTIO PRIMA.

### Quid sit corruptio entis naturalis?

**V**T explicemus, quid sit corruptio entis naturalis, aliqua prius examinanda sunt. Primum est, an corruptio sit actio positua; id est, an sit influxus habens aliquam physicam, & realem entitatem? Et respondetur, absque dubio, non esse actionem, seu mutationem posituam; sed potius esse actionem, seu mutationem negatiuam, & non habentem aliquam physicam entitatem: cuius ratio est, quia etiam si ad corruptionem entis naturalis, ferè semper necessarium sit, producere in materia illius aliquam formam substantialem incompositibilem in eadem materia cum forma præexistente, tamè hæc productio non est formaliter corruptio; sed solunt causaliter; corruptio enim formaliter consistit in suspensione, seu negatione influxus, quo medio ens naturale, quod corrumpitur, in suo esse conseruabatur. Et confirmatur; quia, ut sæpè dictum est, actio, seu mutatio materialiter sumpta, id est, pro fieri sui termini, non constituitur per se in aliquo prædicamento; sed reducitur ad prædicamentum, & speciem sui termini; sed terminus cor-

ruptionis est priuatio: ergo etiam ipsa corruptio in priuatione formaliter, & specificè consistit, & non in aliquo influxu positiuo physico, & reali, sicut consistit generatio.

2 Secundum examinandum est, an corruptio habeat idem subiectum, & uersetur inter eosdem terminos, ac generatio? & respondetur, quod, cum oppositorum eadem sit ratio; & corruptio sit priuatiue opposita generationi; habebit absque dubio idem subiectum, ac generatio, & uersabitur inter eosdem terminos; sed cum ista differentia (quæ est, quæ declarat oppositionem, quæ uersatur inter generationem, & corruptionem) quod id, quod est terminus à quo generatio- nis, erit terminus ad quem corruptionis: & contra id, quod est terminus à quo corruptio- nis, erit terminus ad quem generationis. Unde sicut disputatio- ne præcedenti, quæst. 3. n. 12. cum Aristotele, Scoto, & alijs statuimus, subiectum genera- tionis materialiter sumptæ, id est, pro re, quæ generatur, dum est in fieri, esse materiam primam; ita nunc cum eisdem aucto- ribus idè affirmamus de cor- ruptione materialiter sumpta, id



id est, pro non esse rei, quæ corruptur, dum est in fieri.

3. Similiter, sicuti disputatio, præcedenti, quæst. 4. diximus, in generatione dari duos terminos ad quos, vnum totalē, & adæquatum, nimirum compositum substantiale, qui ideò talis dicitur; quia est vltimus finis generationis, & ad quem consequendum cetera, quæ concurrunt in generatione, dirigitur; & alium formalem, nimirum, formam, à qua terminus totalis, & adæquatus in genere causæ formalis recipit esse; & insuper de ratione intrinseca termini formalis non esse (sicuti est de intrinseca ratione termini totalis, & adæquati) quod per generationem producat, sed sufficere, quod per generationem communicetur termino totali, ipsum constituendo in suo esse, in genere causæ formalis, vt de facto contingit in generatione hominis. Ita proportionabiliter nunc dicimus, in corruptione entis naturalis dari duos terminos ad quos, vnum totalē, & adæquatum, nimirum non esse compositi substantialis, quod corruptur, qui ideò talis dicitur; quia est vltimus finis corruptionis, & ad quem consequendum cetera, quæ concurrunt in corruptione, dirigitur; & alium formalem, nimirum non esse formæ, à qua compositum substantiale, quod corruptur, in genere causæ

formalis recipiebat esse. Et insuper de ratione intrinseca termini formalis corruptionis non esse (sicuti est de ratione intrinseca termini totalis) non esse formæ absolute; sed sufficere non esse communicationis, seu in formationis talis formæ, etiã si talis forma in suo esse separata maneat, vt contingit de facto in hominis corruptione.

4. Ex dictis constat, corruptionem substantialem in omnibus generationem æmulari, & consequenter definiendam esse eisdem verbis, licet modo opposito, quibus Aristoteles locis citatis in disputatione præcedenti, quæst. 2. num. 1. generationem substantialem definiuit; nimirum corruptio substantialis est mutatio ex ente simpliciter in actu, ad non ens simpliciter in actu; vel clarior, & in idē incidit, est mutatio a substantia in actu ad substantiam in potentia, id est, est mutatio materie primæ à forma substantiali, quæ simul cum ipsa componit totum substantiale, ad priuationem prædictæ formæ; & consequenter ad non esse compositi substantialis, quod ex ipsa, & forma consistebat. In qua definitione loco generis ponitur mutatio, & per hoc differt ab annihilatione; sicut enim creatio mutatio non est, ita neque annihilationis; quia in neutra datur commune subiectum; quod transiitum à non esse ad esse, vel ab esse ad non esse in se recipiat; quod

quod ad mutationem per se requisitum est, & conuenit nõ cum generatione, nam sicut dictum est, etiam si generatio sit mutatio; sed non negatiua; sicut est corruptio, sed positiua; sed cum corruptionibus accidentalibus, à quibus differt, per reliquas particulas, quæ ponuntur loco differentia; nam etiã si corruptiones accidentales sint mutationes ex se in actu ad nõ esse, vel ex forma ad priuationem eius; sed non ex esse simpliciter, vel ex forma substantiali in materia prima; sed ex esse secundum quid, vel ex forma accidentali in toto composito.

5. Sed dubitant auctores, an corruptio sit dicenda, rei, quæ corruptur, naturalis? Ad quæ dubitationem, sub distinctione respondendum est. Nam duobus modis potest corruptio dici rei, quæ corruptur, naturalis. Primò, quia res, quæ corruptur, dicit inclinationē, seu appetitum innatum ad illam, in qua acceptione, motus deorsum dici solet naturalis grauius, & motus sursum naturalis leuius, & forma substantialis dici solet naturalis materia primæ; quia vt dixit Aristoteles, materia appetit formam, sicut turpe appetit pulchrum; & in hoc sensu dicendum est, corruptionem non esse naturalem rei, quæ corruptur; cuius ratio est, quia sicut agentia per cognitionem, non

habent appetitum elicatum circa rem, quam apprehendunt ipsis disconuenientem; ita agentia absque apprehensione non dicuntur habere inclinationē, seu appetitum innatum circa rem ipsius disconuenientem; sed nihil magis disconueniens alicui rei excogitari potest, quàm eius corruptio; ergo nulla res potest dicere inclinationem, seu appetitum innatum ad eius corruptionem; & consequenter in hoc sensu, nulla corruptio poterit dici naturalis rei, quæ corruptur.

6. Secundo modo potest corruptio dici naturalis rei, quæ corruptur, nimirum; quia etiam si sit disconueniens rei, quæ corruptur, oritur tamen ex intrinsecis principiis eius, & in hoc sensu, in omnibus rebus substantialibus, quæ dicuntur corruptibiles, potest, & debet corruptio appellari ipsis naturalis; nam oritur ex principiis intrinsecis, & essentialibus ipsarum, cum non solum consent formis separabilibus à materia, iuxta exigentiam dispositionū, quas in dies recipiunt, sed etiam consent materia, quæ cum esse dicit inclinationem, & appetitum innatum ad recipientas, non simul, sed successiue omnes formas substantiales, vt possit frui forma substantiali, quæ caret eadem formæ, quæ actu possidet, machinatur, & ideò appellari solet malefica.

7. Dubitant etiam auctores,



an corruptio rerum naturalium sit intenta à natura? cui dubitationi, vt satisfaciamus, aduertendum est, duobus modis posse aliquid appellari intentum à natura, scilicet, primario, & secundario. Illud dicitur primario intentum à natura, quod est finis, & terminus per se suarum operationum. Illud vero dicitur intentum à natura secundario, quod licet non sit finis, & terminus per se suarum operationum, habet tamen connexionem cum fine, & termino per se. Hac distinctione supposita, ad dubitationem propositam respondemus, corruptionem rerum naturalium non esse intentam à natura primario; bene tamen secundario; cuius ratio est, quia etiam corruptio non sit finis, & terminus per se alienius operationis naturalis; quia vt num. 1. statimus, non est formaliter sumpta mutatio positua, sed negatiua; habet tamen connexionem in non viuentibus, cum forma producta, & in viuentibus cum vltima dispositione contraria formæ viuentis; quæ sunt fines, & termini per se operationum naturalium; cum nunquam corrumpatur in non viuentibus aliqua forma, nisi per productionem alterius formæ incompossibilis in eadem materia cum formæ præexistente, quæ corrumpitur; & in viuentibus per productionem dispositionum contrariarum dispo-

sitionibus, quæ ad obseruationem formæ viuentis præexistens, & quæ corrumpitur, vel desinit informare corpus organicum, naturaliter requiritur iuxta doctrinam Scoticam infra, quæst. 4. huius disputationis stabilendam.

## QVÆSTIO II.

*Quo pacto corruptio, & generatio comparentur inter se?*

**I** Dupliciter possunt generatio, & corruptio ad inuicem comparari. Primo, quoad vnitatē. Secundo, quoad prioritatē. Circa primū, sunt, qui existimant, generationem, & corruptionem esse eandem numero actionē, quæ in quantum nouam formam inducit in aliqua materia, dicitur generatio, & in quantum expellit formam, quæ præexistebat in eadē materia, dicitur corruptio. Ita Marsilius, quæst. 5. de generatione, & Albertus de Saxonia, quæst. 4. & clarius hoc docuit Bañez 1. de generatione, cap. 3. §. *Circa illam c. e-bren, & c. conclusionē 1. & Caietanus 1. 2. quæst. 113. art. 6. ad secundum. Et probari potest à simili de motu locali, qui vnicus tantum est, quo accedimus ad vnum locum, & quo recedimus ab alio: ergo similiter erit eadem numero actio, seu mutatio, qua accedimus ad vnam formam illam generando,*

ando, & recedimus ab alia, illam corrumpendo.

2 Sed tenendum est cum eōmuni sententia, generationem nouæ formæ, quæ educitur, & inducitur in aliqua materia, & corruptionem formæ, quæ præexistebat in eadem numero materia, etsi naturaliter, in non viuentibus, necessario eōmitemitur, non tamen esse eandem numero actionem, seu mutationem, sed esse actiones, seu mutationes pluraquam genere diuersas; siquidem generatio est actio, seu mutatio positua, & verus influxus; corruptio vero est actio, seu mutatio negatiua, potius in negatione influxus, quàm in aliquo vero influxu consistens, vt ex dictis in hac disputatione quæst. 1. num. 1. constat. Et manifestum est ens, & non ens, etsi aliquando concomitetur, non tamen posse realiter identificari.

3 Est autem maxime aduertendum, quod ipsam generatio, & corruptio non sint eadem realiter actio, seu mutatio; non idē esse affirmandū in generatione, & corruptione interuenire duas actiones, seu mutationes; quia actio, seu mutatio absolute prolata supponitur pro actione, seu mutatione positua, & corruptio, vt sæpe dictum est, non est actio, seu mutatio positua. Et hoc fortassis solum est, quod attendunt auctores oppositæ

sententiæ, scilicet, in generatione, & corruptione solum interuenire vnicam actionem, seu mutationem posituam, & quæ verè, & propriè nomen actionis, seu mutationis mereatur, quæ formaliter, & per se solum terminatur ad formam, quæ de nouo generatur, seu inducitur in materia, & concomitanter ad corruptionem, seu expulsionem formæ præexistentis à prædicta materia, eo quod forma, quæ de nouo generatur, seu inducitur in materia, & est terminus formalis, & per se prædictæ actionis, seu mutationis posituæ, cum naturaliter sit incompossibilis in eadem materia cum forma præexistente, naturaliter etiam expulsiua, vt agens, quod præexistens formam conseruabat in prædicta materia, desinat ipsam conseruare, non aliquid efficiendo; sed potius deficiento; seu suspendendo influxum, quo ipsam conseruabat; & hoc tantum probat argumentum desumptum à simili de motu locali, scilicet, in generatione, & corruptione substantiali solum interuenire vnicam actionem, seu mutationem posituam, & quæ verè, & propriè nomen actionis, seu mutationis mereatur, quæ accedimus ad formam generandam, & recedimus à forma, quæ corrumpitur: sicuti in motu locali, quo accedimus



ad vnum locum, & relinquimus alium, solum intercedit vnus motus localis positiuus; nam si non solum sit sermo de motu positiuo, sed etiam de negatiuo, respondendum est, quod quando accedimus ad vnum locum, & recedimus ab alio, ibi esse duos motus, vnum positiuum quo acquiritur nouum, *vbi*, & alium negatiuum, quo prius *vbi* definit esse, seu corrumpitur, non secus, ac philolophatum est in generatione, & corruptione.

4 Circa secundam comparisonem, scilicet, quoad prioritatem, distinguendum est, quod dupliciter potest aliqua res dici prior alia, videlicet, vel tempore, vel natura. Illa res dicitur prior tempore alia, quæ existit tempore priori illo, quo existit alia; illa vero dicitur prior natura alia, quæ est causa existentie alterius, etiam si in eodem instanti temporis vtraque incipere existat. Ad rem ergo, si sermo sit de prioritate temporis, nulla potest esse controversia. Nam perspicuum est, in eodem instante temporis, quo generatur in materia ligni (exempli gratia) forma ignis, corrumpi in eadem materia formam ligni, & consequenter generationem ignis, & corruptionem ligni ad inuicem comparatas, non esse vnam

priorem tempore alia; sed potius vtramque esse simul tempore: assumptum patet, nam si prius tempore generaretur forma ignis, quam corrumpetur forma ligni, darentur simul pro aliquo tempore in eadem numero materia duæ formæ substantiales; est et cõtra prius tempore corrumpetur forma ligni, quam generaretur forma ignis, darentur pro aliquo tempore materia prima denudata ab omni forma substantiali, quorum vtrumque naturaliter est impossibile.

5 Si vero sermo sit de prioritate nature, seu causalitatis, vera, & communis sententia affirmat, generationem esse priorem natura corruptione. Et ratio efficax est, quia expulsio (exempli gratia) formæ ligni ab eius materia, & consequenter corruptio ligni, penderet ab inductione formæ ignis in dicta materia, & consequenter à generatione ignis, tam in genere causæ formalis, quam in genere causæ efficientis; in genere causæ formalis, quia est effectus formalis formæ ignis genitæ, licet non primarius, saltem secundarius. Et quamuis non habeat causam immediatam efficientem, sed potius deficientem (causatur enim immediate non per influxum, sed potius per defectum, seu sus-

suspensionem influxus, quo à Deo conferuatur forma ligni) tamen, quia Deus non suspendit concursum, quo formam ligni conferuabat, nisi ad exigentiam formæ ignis de nouo productæ in prædicta materia; ideo causa immediata effectiua formæ ignis dicitur etiam, licet mediata, & remota causa effectiua expulsionis formæ ligni ab eius materia, & consequenter corruptionis ligni.

6 Sed quamuis in isto asserto omnes conueniant, differunt tamen in explicando, an in alio genere causæ, generatio dependeat à corruptione, & consequenter generatio, & corruptio dici possint mutuo priores, & posteriores natura in diuersis generibus causarum? communiter Thomistæ affirmant generationem pendere à corruptione formæ præexistentis in materia, tanquam à dispositione vltima, requisita ad introductionem formæ genitæ, & consequenter in genere causæ materialis, corruptionem esse priorem natura ipsa generatione, non secus, ac generatio est prior natura corruptione in genere causæ formalis, & efficientis, ideoque dicendum esse, generationem, & corruptionem esse mutuo priores, & posteriores in diuersis generibus

causarum. Ita Bañez hic capite 4. quæstione 10. artic. 2. Ioannes à Sancto Thoma quæstione 2. artic. 2. in solutione argumentorum, §. *Ad quartum respondeo*. cursus Carmelitæ tanus disputatione 2. quæstione 8. & disputatione 3. quæstione 5. citant probæ sententiam vniuersi solùm Diuini Thomam varijs in locis, sed etiam omnes auctores, qui sustinent, actum contritionis, qui peccator disponitur ad suam iustificationem, procedere in genere causa efficientis à gratia habituali, cuius est dispositio. Et fundamentum ipsorum est, quia nullum reputant in conueniens, quod idem respectu eiusdem sit causa, & effectus, & consequenter prius, & posterius, dummodo hoc contingat in diuersis generibus causarum; imò quod causa possint esse sibi inuicem causæ, & effectus, dicunt esse commune proloquium desumptum ex Aristotele, non solum in 2. Physicorum textu 30. sed etiam 5. Metaphysices capite 2. vbi ponit hæc verba: *Sunt enim quedam ad inuicem causæ, vt laborare causa est bonæ habitudinis, & hæc laborandi; sed non eodem modo, sed hoc quidem, vt finis, illud autem, vt principium motus; hæc Aristoteles.*

7 Nos autem (qui 2. Physicorum, disputatione 7. quæ-



fontem i. à humero 31. vsque ad vltimum, circa celebrem illam quæstionem, *verum cause sint sibi inuicem cause* : iuxta principia Scoti, & cum communiore sententia duo stauimus. Primum, idem respectu eiusdem, secundum diuersas rationes, seu modos essendi posse esse simul causam, & effectum in diuersis generibus causarum, & consequenter natura prius, & posterius. Et in hoc sensu intelligendum esse illud commune proloquium desumptum ex Aristotele locis citatis: *Cause sunt sibi inuicem cause* ; & hoc tantum probare exemplum fanitatis, & laboris adductum ab Aristotele ; fanitas enim, quæ vt habet esse in intentione, est causa finalis laboris, est simul effectus laboris in genere causæ efficientis, vt habet esse in executione, quod esse diuersæ rationis est ab esse, quod habet in intentione. Secundum, implicationem inuolueri, quod idem respectu eiusdem secundum eandem rationem, seu modum essendi sit simul causa, & effectus, & consequenter natura prius, & posterius (non solum in eodem, sed etiam in diuersis generibus causarum) consequenter debemus dicere, sicut de facto asserimus, implicare contradictionem, generationem pendere à cor-

ruptione formæ præexistentis in eadem materia in genere causæ materialis, & consequenter, quod in genere causæ materialis corruptio sit natura prior ipsa generatione, quæ in omnium sententia, est prior natura ipsa corruptione, tam in genere causæ formalis, quam efficientis.

8 Et ratio est, quia in dicta hypothesi, non solum idem respectu eiusdem esset causa, & effectus, & consequenter natura prius, & posterius, sed etiam hoc eueniret secundum eandem rationem, seu modum essendi. Nec refert, quod hoc eueniat non in eodem, seu in diuersis generibus causarum ; quia vt lococitato dicebamus, non minus necessarium est, quod aliquod præsupponatur, & præsupponatur ad causandum, & causari in diuersis generibus causarum, quam in eodem : ergo si propter istam mutam prioritatem, & posterioritatem (quædo est secundum eandem rationem, seu modum essendi) implicat, quod idem respectu eiusdem sit causa, & effectus in eodem genere causæ ; etiam implicabit ei propter eandem mutam prioritatem, & posterioritatem naturæ, quod sit causa, & effectus respectu eiusdem, secundum eandem rationem, seu modum essen-

di

si in diuersis generibus causarum.

9 Id autem, quod supponunt auctores oppositæ sententiæ, scilicet, corruptionem formæ præexistentis in materia esse dispositionem requisitam ad introductionem formæ genitæ ; falsum omnino est ; licet enim inductio formæ genitæ in materia (in non viuentibus) & corruptio formæ præexistentis in eadem materia naturaliter concomitentur in eodem instanti temporis ; tamen hoc non prouenit, quia corruptio formæ præexistentis sit dispositio ad introductionem formæ genitæ ; sed quia corruptio formæ præexistentis in materia est effectus formalis formæ, quæ de nouo inducitur in materia, licet secundarius, naturaliter tamen inseparabilis ab ea. Similiter aliud, quod supponunt, scilicet, actum contritionis, quo peccator disponitur ad iustificationem, procedere in genere causæ efficientis à gratia habituali, cuius est dispositio, etiam falsum est ; nam implicare contradictionem, quod actus contritionem, qui iuxta mentem Concilij Tridentini est dispositio ad iustificationem impij, procedat efficienter à gratia habituali, cuius est dispositio ; non solum defendunt Scotus, & eius schola, sed communiter alij auctores ; sed solum dicunt pro-

cedere effectiue à voluntate humana, ex speciali concurrentia Dei suppletis casualitatem, quam alias preteraret habitus.

### QUESTIO III.

*In quo sensu sit verum, generationem vnius esse corruptionem alterius?*

1 **Q**uia Aristoteles capite 3. huius libri non aliunde probauit, generationes, & corruptiones esse perperuas, quam ex hoc principio, *generatio vnius est corruptio alterius*, & insuper cum triplici modo possit intelligi, generationem vnius esse corruptionem alterius, scilicet, vel formaliter, vel identice, vel casualiter, seu vt alij dicunt, & in idem incidit, per concomitantiam illatiuam ; ideo merito dubitant auctores, in quo ex prædictis tribus sensibus sit intelligendum assatum Aristotelicum.

2 Dicendum est cum communi, & vera sententia, quam tenet subtilis Doctor in 2. distinctione 1. quæstione 3. s. ad illud primum de generatione, littera P. num. 21. prædictum Aristotelis assatum, *generatio vnius est corruptio alterius*, non esse intelligendum in sensu formalis, neque in sensu identice ; sed solum in sensu casuali, seu, vt alij dicunt, & in idem incidit, per concomitantiam



illatiam. Et in primis generationem, & corruptionem non esse idem, neque formaliter, neque identice, & consequenter prædictum assertum non posse intelligi, neque in sensu formalis, neque identico, patet ex dictis quaest. 1. huius disputationis num. 1. & quaest. 2. n. 2. & expressè docuit Aristoteles, dum 3. Physicorum enumerat, tanquam mutationes diuersas, illam, quæ est à non subiecto in subiectum, quæ, vt ipse sibi explicat, dicitur generatio; & illam, quæ est à subiecto in non subiectum, quæ etiam secundum ipsum, dicitur corruptio. Deinde esse prædictum assertum intelligendum in sensu causali, seu vt alij dicunt, per concomitantiam illatiam, non solum inferitur ex dictis quaest. 2. n. 3. vbi statimur, expulsiõne formæ (exempli gratia) ligni ab eius materia, & consequenter corruptionem ligni causari ab inductione formæ ignis in prædicta materia, & consequenter à generatione ignis, tam in genere causæ formalis, quam efficientis, sed etiam inferitur ex inconuenientibus, quæ sequerentur, ex eo quod admitteremus, generationem vnus, & corruptionem alterius non concomitari concomitantiam illatiuam, nimirum, vel quod daretur simul (vt quaest. 2. num. 4. dicebamus) duæ formæ, non per se subordinatæ in eadem numero materia, vt in casu, quo

ad generationem formæ ignis in materia ligni non sequeretur corruptio formæ ligni, vel quod daretur materia prima denudata omni forma, vt in casu, quo corrumpretur forma ligni præexistens in aliqua materia, & non ex vi nouæ formæ productæ in eadem materia, quorum vtrumque naturaliter est impossibile.

3. Sed quamuis conueniant omnes, assertum Aristotelicum, generatio vnus est corruptio alterius, solum esse intelligendum, vt dictum est, in sensu causali, seu per concomitantiam illatiuam, differunt tamen in explicando, an in dicto sensu sit verum in omni euentu, generationem vnus esse corruptionem alterius. Et vt cum claritate procedamus in huius explicacione, distinguendum est inter generationem, & corruptionem accidentis, & inter generationem, & corruptionem substantiæ.

4. Si de generatione, & corruptione accidentis sermo sit, dicendum est, adhuc in sensu explicato, non esse verum in omni euentu generationem vnus esse corruptionem alterius, aut e contra corruptionem vnus esse generationem alterius, sed solum in casu, quod accidens, quod producitur supponat in subiecto aliud accidens sibi in eodem subiecto impossibile, aut e contra, accidens, quod corrumpitur, desinat esse per-

pro-

productionem accidentis sibi impossibilem in eodem subiecto. Nam si accidens, quod producitur, non supponat in subiecto aliud accidens sibi impossibilem in eodem subiecto, vt contingit in productione lucis, & in productionibus specierum sensibilium, dabitur absque dubio generatio vnus accidentis sine corruptione alterius: & e contra si accidens, quod corrumpitur, desinat esse absque productione accidentis sibi impossibilem in eodem subiecto, vt sæpe contingere in corruptione impulsus, & similiter sonus, latè ostendimus super 8. Physic. disput. 2. quaest. 4. dabitur manifestè corruptio vnus accidentis absque præuia generatione alterius.

5. Si sermo sit de generatione, & corruptione substantiæ, quæ est, de qua loquitur Aristoteles, adhuc distinctione opus est. Nam esse potest sermo de generatione, & corruptione solius formæ substantialis, vel de generatione, & corruptione totius compositi substantialis.

6. Si sit sermo de generatione, & corruptione solius formæ substantialis, dicendum est, hoc assertum Aristotelicum, generatio vnus est corruptio alterius, adhuc in sensu explicato, non esse verum in omni euentu. Nam in sententiâ Thomistarum (qui vt videbimus quaestione te-

quenti, non admittunt in viuētibus, præter animam, formam corporeitatis) in morte hominis generatur forma cadaueris, sive corporeitatis; & tamen ibi non intercedit corruptio aliquidis formæ substantialis, cū anima rationalis non corrumpatur, sed immobilis sit. Et in sententiâ Scotistarum (qui, vt videbimus quaestione sequenti, tenent cum Scoto in viuētibus, præter animam, dari etiam aliam formam substantialem, quæ tribuit esse corporeum) in morte animalis irrationalis, corrumpitur anima, quæ dabat animali esse viuētis sensitiui, & tamen non generatur alia forma substantialis, sed maneat eadem forma substantialis, quæ dabat animali esse corporeum. Et similiter in generatione animalis irrationalis, quædo inducitur forma, seu anima in corpore, quæ dat illi esse viuētis sensitiui, generatur illa anima, & tamen non corrumpitur in dido corpore forma substantialis, quæ tribuit illi esse corporeum, sed simul cum anima persueurat.

7. Demum si sermo sit de generatione, & corruptione totius compositi substantialis, Thomistæ, qui negant in viuētibus dari duplicem formam substantialem subordinatam, scilicet, corporeitatis, & animam, consequenter affirmant naturaliter loquendo prædictum axioma, generatio vnus est corruptio



*tio alientis*, in sensu explicato esse verum in omni euentu. At Scotista, qui cum Scoto sustinemus, & quaestione sequenti probauimus, dari in viuentibus duplicem formam substantialem per se subordinatas in ratione actus, & potentia, vnam corporeitatis, à qua habent esse corporeum, & aliam, vel vegetatiuam, vel sensitiuam, vel rationalem, quæ appellatur anima, à qua solum habent, quòd sint, vel vegetatiua, vel sensitiua, vel rationalia, consequenter sustinemus, assatum Aristotelis adhuc in sensu exposito, non esse verum in omni euentu, sed solum esse verum in generationibus, & corruptionibus compositorum substantialium in animatorum; secus vero in generationibus, & corruptionibus viuentium; quia in his, cū detur simul duplex forma substantialis in ratione actus, & potentia per se subordinata (vt quaestione sequenti demonstrabimus) datur generatio ipsorum sine corruptione alterius compositorum substantialis, & similiter corruptio sine noui compositorum substantialis generatione, absque eo, quòd detur materia prima sine vlla forma substantiali, vel materia informata duplici forma, quæ nullam habeant subordinationem inter se actus, & potentia; quæ erant inconuenientia, propter quæ diximus, esse necessariū, quòd

generatio vnius semper concomitetur, & inferat corruptionem substantialem alterius.

#### QUESTIO IV.

*An in viuentibus, præter animam, detur forma corporeitatis?*

**I** VNA ex præcipuis difficultatibus, quæ in hac disputatione exagitari solent, est, *an in corruptione entis naturalis fiat resolutio vsque ad materiam primam*; ita, vt ex his, quæ erant in ente naturali, quòd corrumpitur, nihil remaneat in genito, præter solam materiam primam: sed quia solutio huius difficultatis maxime pedit ex solutione aliarum duarum, videlicet, *an in viuentibus, præter animam, detur etiam forma corporeitatis?* & similiter, *an accidentia subiectionis in toto composito; an in sola materia prima?* Ideò, antequam accedamus ad resoluendam prædictam difficultatem, has duas quaestiones, examinabimus. Solent autem, quæ istæ quaestiones ab alijs auctoribus exagitari; prima libro 2. de anima; secunda in disputatione sequenti de alteratione, dum agunt de illius subiecto.

2. Circa primam difficultatē, quæ est, quam in hac quaestione examinādam suscepimus, variæ sunt sententiæ. Prima sententia est Ianduni, qui 2. Metaph. quaest. 10. & 1. de anima

ma quaest. 8. affirmat, in quocumque composito, tam animato, quàm inanimato, tot esse formas substantiales, quot sunt prædicata quidditatiua illius, v. gr. in Petro, aliam esse formam, qua est homo, & alia, qua est animal, & aliam, qua est viuens, & aliam, qua est corpus, & sic de alijs prædicatis quidditatiuis ascendendo vsque ad genus generalissimum.

3. Hanc singularem sententiam probat Iandunus, primò ex Aristotele, qui 2. Metaphysices cap. 2. ex eo probat, non dari processum in infinitum in causis formalibus; quia non datur talis processus in prædicatis quidditatiuis: sentit ergo Aristoteles, tot esse formas substantiales in vnoquoque composito, quot sunt in illo prædicata quidditatiua. Item idē Aristoteles 7. Metaph. capite 10. ait, quòd definitio est oratio longa, seu habens partes, & quòd partibus definitionis correspondent partes rei definitæ: ergo, cum homo, v. gr. definiatur, quòd sit animal rationale, dabitur in homine pars aliqua physica, quæ respondeat animali, & pars alia, quæ respondeat rationali: sed pars physica correspondens animali, non potest esse sola materia prima; quia animal est ens completum, materia autem est ens incompletum, & ideò non per se, sed reductiuè ponitur in prædica-

mento substantiæ: ergo erit quid compositum ex materia, & forma distincta à forma, ex qua componitur pars physica correspondens rationali.

4. Secundo probat rationibus; prima, idem non potest esse simile, & dissimile alicui secundum eandem formam; sed homo, secundum quod animal, est similis equo, & secundum quòd homo, est ei dissimilis: ergo non est eadem forma, qua est animal, & qua est homo. Secunda, quia ex opposita sententia, sequeretur, quòd risibile inest omnibus brutis animalibus, quòd est absurdum; sequela patet, quia risibile inest hominibus per formam hominis; ergo si eadem est forma, qua homo est animal, & qua est homo, risibile etiam conueniet homini, vt est animal; sed quòd inest homini, vt est animal, inest etiam omnibus brutis animalibus: ergo risibile inest ex opposita sententia omnibus brutis animalibus.

5. Sed hæc sententia Ianduni, merito, vt falsa ab omnibus rejicitur, & ratio à priori est, quia cum prædicata metaphysica essentialia, vt sunt genera, & differentia, non sumantur à forma physica compositorum substantialis, sed à tota entitate illius, secundum diuersas formalitates, seu realitates, quæ sunt in illa; genera à formalitatibus, seu



realitatibus, quæ sunt quid potentiale, & contrahibiles; & differentia à formalitatibus, seu realitatibus, quæ sunt quid actiuans, & contrahens (vt ex professo docuimus in Logica cap. de differentia disputat. 1. quæst. 4.) nõ erit necessarium, multiplicare formas phycas ad multiplicanda prædicata metaphysica essentialia, & quidditaua, quæ ab aliquo composito physico per intellectum abstrahi possunt.

6 Et cõfirmatur primò, quia si in compositis substantialibus essent multiplicanda formæ phycæ ad multiplicationem prædicatorum quidditauorum, quæ ab illis abstrahi possunt, hoc etiam consequenter esset fatendum, tam in Angelis, quàm in formis accidentibus, vnde cum ab Angelis possint abstrahi plura prædicata quidditaua, & idem contingat in formis accidentalibus, dicendum esset consequenter, in Angelis, & in formis accidentalibus esse plures formas phycas realiter distinctas, quod est absurdum. Confirmatur secundo, quia si homo v. gr. per vnã formam esset homo, & per aliã realiter distinctam esset animal; animal non posset in recto prædicari de homine, & consequenter non esset eius genus: sequela patet; nam in dicto casu, animal esset pars distincta realiter ab homine, & pars, quando est realiter distin-

cta à toto, non potest prædicari de illo in recto, sed in obliquo; non enim dicimus, homo est corpus, homo est anima, sed homo constat corpore, & anima.

7 Neque ea, quæ obijciat Iandunus, alicuius sunt momenti. Nam ad primam auctoritatem Aristotelis respondemus, ibi Aristotelem argumentari à maiori ad minus. Probat enim, non dari processum in infinitum in formis, ex eo quod non datur in prædicatis quidditauis; non quia existit aucterit, tunc esse formas in vno composito, quot sunt prædicata quidditaua; sed quia, cū semper sint plura prædicata quidditaua, quàm formæ; bene infertur, quod si in prædicatis quidditauis, quæ plura sunt, non datur processus in infinitum, neque etiam dabitur in formis, cum pauciores sint.

8 Ad secundam auctoritatem eiusdẽ Aristotelis dicimus, verum esse dictum eius, scilicet, definitionem esse orationem longam, seu habentem partes, & similiter partibus definitionis correspondere partes rei; sed hoc est cum proportione debita intelligendum. Nam si definitio est metaphysica; partes rei, quæ partibus definitionis correspondent, non erant realiter, sed formaliter distinctæ; sicut nec distinguuntur realiter, sed formaliter solum, partes definitionis, at si definitio

tio sit physica, sicut est ista, *homo est constans corpore, & anima rationali*, partes rei, quæ correspondunt partibus definitionis, erunt realiter distinctæ, sicut & sunt partes definitionis.

9 Ad primam rationem dicimus, non esse necessarium ad hoc, vt aliquid sit simile, & dissimile alicui, quod habeat formas distinctas realiter, sed sufficere, quod in vna forma sint assignabiles diuersæ rationes formales. Vnde ex hoc, quod homo sit similis equo, in quantum animal, & dissimilis in quantum homo, non infertur constitui in esse animalis per formam distinctam realiter à forma, per quam constituitur in esse hominis; nam sufficit ad hoc, quod in illa forma, per quam habet, quod sit physice animal, & homo, sint diuersæ rationes formales, vt sunt sensitiui, & rationalis.

10. Ad secundam negamus sequelam; & ad probationem dicimus, verum esse risibile conuenire homini per eandẽ formam, per quam etiam habet, quod sit animal; sed non per rationem formalem sensibilem, quæ est ratio communis omnibus brutis animalibus; sed per rationem formalem rationalem, quæ est ratio specialis hominis; & idẽ non sequitur, risibile conuenire animalibus brutis, vt contendeat argumentum.

11 Secunda sententia affir-

mat, in quocumque composito substantiali, tam animato, quàm inanimato, præter formam substantialem specificã, dari etiam aliam formam substantialem omnibus communem, cocuam, & inseparabilem à materia prima, quæ simul cū agente extrinseco concurrat ad productionem formarum substantialium, quæ in omni generatione educuntur de potentia materiae. Et idẽ appellari debet ratio seminalis, seu inchoatio formarum. Huius sententiæ, suppresso nomine auctoris meminit Scotus in 2. distinct. 18. quæst. vnica, §. *Responsio*, &c. & à Marginistis tribuitur Henrico, & Alberto magno; ab alijs autẽ tribuitur Aucenæ primo libro sufficientiarum cap. 2. & fundamentum istorum erat; quia ad saluandum, generationes substantiales non esse creationes, & similiter ad saluandum, prædictas generationes esse mutationes naturales putabatur esse simpliciter necessarium, ponere in materia istam formam substantialem, seu rationem seminalem cocuam, & inseparabilem à materia. Nam si non præcederet in materia ista forma substantialis, generationes formarum substantialium, essent ex nihilo ipsarum, & consequenter creationes. Et insuper si ad productiones, seu generationes formarum substantialium, ista forma, seu ratio seminalis non con-



concurreret simul cum agentibus extrinsecis; essent mutationes omnino ab extrinseco provenientes, & consequenter non essent naturales; nam, vt mutatio naturalis dicatur, debet esse à principio intrinseco.

12 Sed cuiuscumque sit ista sententia, merito ipsam rejicit Scotus loco citato; & nos etiã ex professo rejecimus 1. Physicorum, disp. 3. quæst. 1. conclusione 3. num. 19. & pro nunc rejici potest, quia vt loco citato num. 26. dicebamus, in materia prima nullum indicium est istius formæ coeue, & inseparabilis à materia, quæ appellatur ratio seminalis: & insuper nullus est assignabilis effectus, ad quem necessaria sit: ergo sine fundamento, vel necessitate fingitur.

13 Prior pars antecedentis patet, quia ista forma nullam habet qualitatem sibi propriam, per quam indicari possit, neque ex transmutatione substantiali potest colligi; quia ex transmutatione substantiali solum colligitur id, quod intulit Aristoteles, scilicet, præter formam; quæ de nouo generatur, & eius priuatione, dari aliquod subiectum substantiale, vtrique commune; quod sit pura potentia, id est, ex se nullam includens formam substantialem.

14 Posterior pars antecedentis probatur; quia si aliqui es-

sent assignabiles effectus, ad quos necessaria esset in materia ista forma, quæ dicitur seminalis, coeua, & inseparabilis à materia, maximè, qui in suo fundamento assignantur à contrarijs, scilicet, vt saluenter generationes substantiales, non esse creationes, & insuper esse mutationes naturales. At hæc ridicula sunt; nã ad hoc, vt productio alicuius formæ dicatur generatio, & non creatio, non est necessarium, quòd præcedat aliqua pars prædictæ formæ; sed sat est, quòd producat, ex aliquo præsupposito subiecto, id est, quòd ex potentia illius subiecti educatur: & ita militer ad hoc, quòd generatio dicatur mutatio naturalis (sumpto naturali, vt opponitur violento) non est necessarium, quòd principium intrinsecum illius motus sit actiuum, sed sufficit (sicut in doctrina Scoti, quam tradidimus 2. lib. Physicorum disp. 1. quæst. 4. necessariò requiritur) quòd sit passiuum.

15 Tertia sententia vniuersaliter affirmat, in nullo ex entibus naturalibus, suæ inanimata sunt, siue animata, dari plures formas substantiales, sed vnicam tantum, quæ in non viuentibus retinet nomẽ formæ substantialis, talis, vel talis speciei, aquæ, scilicet, vel ignis; in viuentibus autem dicitur anima, vel vegetatiua, vel sensitua, vel rationalis, iuxta diuersum esse

viuæ, quòd tribuit entinaturali. Hæc est sententia Diui Thomæ, non solum in 2. dist. 1. 8. quæst. 1. art. 2. sed etiam 1. p. quæst. 76. art. 3. 5. & 4. quem sequitur Caietanus ibidem, & omnes alij Thomistæ; tam veteres, quam recentiores, quos refert, & sequitur Rubius lib. 2. de anima, tractatu de modo, quò anima informat corpus, quæst. 6.

16 Probari potest hæc sententia primo auctoritatibus Aristotelis. Nam capite 2. 3. & 4. huius libri duo ex professo asserit, & probat contra Philosophos antiquos. Primò, quòd subiectum generationis substantialis non sit ens actiuum, quia si esset ens actiuum, nulla daretur generatio simpliciter, seu substantialis, sed omnes essent generationes secundum quid, seu accidentales. Secundum, quòd subiectum, quod mutatur per generationem, est simplex materia, id est, nuda omni forma substantiali. Ex his enim Aristotelis testimonijs conatur asseclæ huius triæ sententiæ probare, non dari in viuentibus formam substantialem, quã Scotus appellat formam corporeitatis (vt statim dicam) constituentem vnum ens simpliciter, seu substantiale, quale est corpus; quæ non solum antecedit ad introductionem animæ, sed etiã post introductionem animæ simul cum illa persisteret in composito substan-

tiali viuente, quod ex anima, & corpore refuit; nam si hoc contingeret, subiectum, quod per generationem substantialem mutatur, in viuentibus, nõ esset simplex, & nuda materia, nec ens in potentia; sed potius esset ens in actu ex materia, & forma substantiali cõpositum, contra ea, quæ expressè docet locis citatis Aristoteles.

17 Secundò probari potest hæc tria sententia simpliciter: prima, vnius entis simpliciter, & per se, vnicum tantum esse esse; sed vnum esse est ab vnica forma: ergo vnius entis simpliciter, & per se, siue sit inanimatum, vt est ignis, vel aqua, siue sit animatum, vt est homo, vel leo, vnica tantum erit forma. Secunda, id, quod aduenit entis completo, & constituto in actu, substantiale est accidens, ac per consequens, non valens vnum, per se cum illo constituitur; sed si forma substantialis corporeitatis informaret materiam cuiuscumque viuentis, constitueret cum illa vnum ens in suo esse substantiali (scilicet, corporis) actuali, & completo: ergo anima, quæ per generationem viuentis producit, vel saltè vnitur prædicto corpori, adueniret entis completo, & constituto in actu substantiali, & consequenter esset accidens, nec valens vnum per se: cum corpore cõstituitur, quòd est absurdum. Tertia, & vltima; pluralitas non est admittenda.



sine necessitate; sed nulla est necessitas admittendi in viuētibus, præter animam, formam substantialem corporeitatis: ergo non est admittenda. Minor patet, nam cum anima sit forma superior ad formam corporeitatis, eminenter continebit illam; ac per consequens poterit præstare, quidquid illa præstare potest.

18 His tamen non obstantibus, amplectenda, & defendenda est sententia Scoti, qui in 4. distinct. 11. quæst. 3. art. 2. ponit in solis viuētibus duplicem formam substantialem, scilicet, animam, per quam habet compositum substantiale, quod sit viuens, & formam corporeitatis, per quam habet materia prima, quod sit corpus, sumpto corpore, non pro trina dimensione; quia ut sic corpus spectat ad prædicamentum quantitatis; neque pro corpore, quod est, quoddam genus in serie prædicamentali substantiæ; quia corpus in ista acceptione est quid completum, & desumitur, non ab aliqua parte; sed à tota entitate physici compositi, secundum quandam gradum superiorem metaphysicum, qui ab illa abstrahi potest per intellectum; sed sumpto corpore pro altera parte compositi physici, quæ simul cum anima constituit viuens. Itaque secundum Scotum in vnoquoque composito substantiali examinatis, seu viuētibus, duplex

est forma substantialis, quæ subordinatæ sunt; & vna respectu alterius se habet, vt actus, & potentia. Altera, quæ simul cum materia prima constituit corpus, quod est altera pars viuētis, quæ etiam si respectu materiæ sit actus, tamē respectu animæ, & viuētis, quod ex corpore, & anima componitur, est quid incompletum, & habens rationem potentia, non secus, ac ipsum corpus, quod constituit; & altera, scilicet, anima, quæ simul cum corpore physice constituit, & componit viuēs, & hæc respectu prioris formæ habet rationem actus physici, non secus, ac respectu corporis, quod ex materia, & priori forma componitur. Appellat autem Scotus formam substantialem, quæ simul cum materia constituit corpus, formam corporeitatis; quia est forma constitutiva corporis, quod est altera pars compositi; & similiter appellat illam formam misti, quia corpus, quod est altera pars compositi, licet sit quid incompletum, & tendens ad vteriorē perfectionē, scilicet, ad esse viuētis; est tamen quid mistum, & compositum ex quatuor elementis. Differat autē valde hæc sententia Scoti à sententia Auicena, & aliorum, num. 11. citata. Primò, quia Auicena hanc formam (quam etiam ipse appellat non solum rationē seminalem, sed formam corporeitatis) dicebat

bar esse eorū materiam primam, & consequenter incorruptibilem, & ingenerabilem, sicut & illam. At Scotus non ponit hanc formam corporeitatis eorū materiam primam; sed separabilem, ac per consequens generabilem, & corruptibilem. Secundò, quia Auicena hanc formam corporeitatis constituebat in omnibus compositis substantialibus distinctam ab ipsa forma specifica. At Scotus in compositis substantialibus inanimatis non ponit formam corporeitatis, distinctam à forma substantiali specifica; sed solum in his admittit formam substantialem specificam, & ab illa sola dicit accipere compositum substantiale inanimatum, tam esse specificum, quæ esse corporeum; solum enim ponit formam corporeitatis in compositis substantialibus animatis, seu viuētibus, distinctam ab anima, quæ est forma specifica, à qua habent, quod sint viuētia. Hanc sententiam Scoti, sic explicatam defendunt omnes eius discipuli, præcipue Antonius Andreas 7. Metaph. quæst. 16. & 17. & Philippus Faber Theoremate 73. & à nobis, vt dixi, tenenda, & defendenda est.

19 Probari autem potest hæc nostra, & Scotica sententia multis, & validis rationibus. Prima, anima non tribuit composito substantiali, quod ex ipsa, & corpore coalescit, esse cor-

porum, sed solum tribuit illi, esse vegetatiuum, seu sentitiuum, vel rationale: ergo præter animam ponenda est in composito substantiali viuēti aliqua alia forma substantialis, à qua habeat esse corporeum. Antecedens probari potest multipliciter. Primò, quia nemo dat, quod non habet, sed animæ præcipue rationales, non sunt corporeæ: ergo non poterunt compositis ex ipsis tribuere esse corporeum.

20 Nec valet, quòd communiter respondēt aduersarij, scilicet, quòd etiam si animæ non sint formaliter corporeæ, sunt tamen eminenter. Primò, quia nulla forma continet eminenter effectum sibi repugnantem; sed esse corporeum repugnat animabus, præcipue rationalibus: ergo illum non continent eminenter. Secundò, & principaliter; quia etiam si ad causandum aliquem effectum in genere causæ efficiens non sit necessarium, quòd causa efficiens formaliter sit talis; sed sufficit, quòd sit talis eminenter, seu virtualiter; tamen ad causandum aliquem effectum in genere causæ formalis, nullus vnquam dixit, sufficere, quòd causa formalis sit talis eminenter, seu virtualiter; sed omnes simpliciter requirunt, quòd sit talis formaliter, & actu. Cuius discriminis ratio est, quia efficiens causat effectum producendo aliquid à se di-



distinctum, & ad hoc sufficit continentia virtualis effectus. At forma causat suum effectum, se ipsam communicando, & sic solum potest formaliter tribuere esse, quod formaliter in se habet. Vnde, quia forma solis non est formaliter calor, sed solum virtualiter, omnes affirmant non tribuere ipsi soli, cuius est causa formalis, quod sit formaliter calidus, sed solum quod sit calidus virtualiter. Et e contra de anima rationali omnes affirmant, esse formaliter, & non solum eminenter vegetatiuam, & sensitiuam, non alia ratione conuicti nisi, quia anima rationalis tribuit homini in genere causam formalem, quod sit vegetatiuus, & sensitiuus.

21. Secundum probari potest idem antecedens, scilicet, animas non tribuere uiuentibus esse corporeum, sed potius illud supponere, ex definitione anime tradita ab Aristotele in libris de anima, *anima est actus primus corporis physici, & organici, in potentia vitam habentis*; nam ex hac definitione euidenter sequitur sententia nostra; nam si anima est actus, seu perfectio corporis physici, & organici; ergo antequam anima informet corpus, iam est corpus per aliam formam substantialem constitutum in esse corporis physici, & organici, alias non recte diceret Philosophus, quod anima erat actus, seu perfectio corporis physici, & or-

ganici; sed quod anima causabat corpus physicum, & organicum. Et roboratur hoc magis ex secunda definitione anime, quam loco citato tradidit Aristoteles, que etiam si sit data per effectus formales illius; non tamen est data per tribuere effectum corporeum, non alia ratione, nisi quia esse corporeum non est effectus formalis anime. Definitio autem talis est, *anima est, qua primo nutrimur, sentimus, & intelligimus*. Vide, que dicimus lib. 2. de anima disput. 1. quest. 1.

22. Secunda ratio; operatio arguit formam; ergo si in composito animato, seu uiuenti sit aliqua operatio, que non possit prouenire, neque immediate, neque mediate ab anima, talis operatio arguet, esse in predicto composito aliam formam ab anima, a qua proueniat; sed in composito animato, seu uiuenti sunt aliquae operationes, que non possunt prouenire ab anima, neque immediate, neque mediate; ergo istae operationes arguunt manifeste in predicto composito esse aliam formam distinctam ab anima, scilicet, corporeitatis, seu misti. Minor patet, nam cum compositum animatum, v. gr. homo, praeter intentionem deiicitur ex turri, mouetur deorsum naturaliter, & a se ipso, non secus, ac moueretur lapis, & tamen manifestum est, hunc motum non esse ab anima,

ma, adhuc mediate; nam immediate est a grauitate, que repugnat animae; est ergo talis motus, saltem mediate ab alia forma substantiali, scilicet, a forma misti, seu corporeitatis, que mouet secundum qualitatem elementis praedominantis; ergo in uiuente concedenda est alia forma substantialis, praeter animam, que sit causa mediata, & radicalis huius motus deorsum.

23. Tertia ratio, quando moritur uiuens, etsi anima separetur a corpore, nulla tamen forma substantialis de nouo generatur, a qua corpus exanime (quod eo ipso, quod definit informari anima, denominatur cadauer) habeat esse corporeum; ergo signum euidentis est, quod forma substantialis, a qua habet illud esse corporeum, licet exanime, & cadauericum, erat simul cum anima, dum erat uiuens. Antecedens patet, quia si in morte uiuentis de nouo generaretur forma substantialis, per quam corpus exanime, seu cadauericum, quod remanet, substantialiter constitueretur in esse talis; haec forma non semper esset eiusdem speciei, eo quod uiuens interdum corrumpatur ferro, interdum abundantia frigoris, interdum abundantia caloris, & interdum pluribus alijs causis, & a tam diuersis causis introducentibus in passum, tam diuersas dispositiones, non potest produci forma eiusdem speciei;

constat autem experientia corpus exanime, seu cadauericum, a quibuscumque causis corrumpatur uiuens, semper esse eiusdem speciei, & consequenter non habere esse ab aliqua forma substantiali de nouo producta, sed potius ab eadem, que tribuebat ei esse corporeum, dum erat uiuens.

24. Quarta, & est ratio Theologica, qua etiam vsus est Scotus, desumpta ex incoueniencia maximo, quod ex opposita sententia sequeretur, nimirum, quod corpus Christi in sepulchro non fuerit idem numero, & specie corpus, quod erat uiuens; sequeretur, quia aduersarij affirmant, corpus uiuens accipere esse corporeum ab anima; mortuum autem accipere esse corporeum a forma cadaueris, que est forma non solum numero, sed etiam specie ab anima distincta, & cum vnitas, tam numerica, quam specifica in bona philosophia, praecipue desumatur a forma, non poterit compositum esse idem numero, & specie, si forma, a qua accipit esse, sit diuersa numero, & specie, etiam si caetera numero, & specie eadem sint.

25. Restat argumentis pro sententia Diui Thomae satisfacere. Ad primam auctoritatem Aristotelis dicimus, quod quando Aristotel. docet subiectum generationis non esse ens actu, loquitur de ente in actu completo, & perfecto; nam si ens actu sit



incompletum, & adhuc in potentia ad formam substantialem, ut est corpus, optimè potest esse subiectum generationis simpliciter, seu substantialis, cum adhuc sit in potentia, & quid perfectibile per formam substantialem. Ad secundam auctoritatem Aristotelis eiusdem, respondeamus, quòd quando Aristoteles docet, quòd subiectum, quod mutatur per generationem, est materia, loquitur de generatione inanimatorum; nam de subiecto, quod immediatè mutatur per generationem animatorum, potius docet esse corpus; nam definiens animam dicit, esse actum, non materiam primam, sed corporis physici, & organici.

26 Pro solutione primæ rationis advertendum est, quòd etiam si in viventibus sint plures formæ substantiales, nõ tamen facere plura entia; quia ut dictum est, sunt subordinatæ, & prior, quæ est corporeitatis, se habet respectu animæ, ut potentia, seu materia, quod docuit Aristoteles 4. Meteorum, dicens, solam postremam formam esse absolutè formam, & actum; inter medias vero esse materias. Ex quibus infertur in viventibus, etiam si sint plures formæ substantiales, solum esse concedendum vnum esse ultimatam, & simpliciter, quia ut commune axioma fert, *ubi vnum propter aliud, ibi tantum est vnum*; & similiter vnam formam ultimatam, & quæ sim-

placiter dicatur talis, quod exemplificari potest contra preterios in composito metaphysico, quod simpliciter est vnum; non obstante, quòd in ipso sint plures differentia, non alia de causa, nisi quia ita sunt subordinatæ in ratione actus, & potentia, ut differentia constituens speciem subalternam, scilicet, animatum, etsi sit actus. & quid cõtrahens respectu generis superioris, scilicet, corporis; est tamen in potentia, & quid cõtrahibile respectu differentia inferioris, scilicet, sensibilis, nõ fecus, ac est ipsa species subalternata, quam constituit. Nunc in forma ad primam rationem respondeamus, verum esse, quàm in ipsa assumitur, scilicet, vnius tantum simpliciter esse vnicum tantum esse ultimatam, & simpliciter; & similiter hoc esse debere provenire ab vnica forma ultimatam, & quæ simpliciter dicatur talis. Tamè ex hoc nõ sequitur, in entibus simpliciter, & per se viventibus non esse plures formas substantiales subordinatas, & quarum vna sit potentia, & quasi materia respectu alterius; sed quod infertur, est, in prædictis entibus non esse plures formas ultimas, & quarum vna sit potentia, & quasi materia respectu alterius, quod nos libenter concedimus.

27 Ad secundam rationem cõcedimus id, quod aduenit enti in actu substantiali, esse accidens illius,

illius, & non posse facere cum illo vnum perfecte, si illud, quod est in actu substantiali, sit in actu substantiali cõpleto, & perfecto; nam si sit in actu substantiali incompleto, & imperfecto, ac per consequens, simul habens esse in potentia ad hoc, ut ulterius substantialiter perfectiatur; sicut est corpus constitutum in esse talis per formam corporeitatis, nõ omne, quod ei aduenit, erit accidens, & nõ faciens vnum per se cum illo; quia potest esse anima, ad quam est in potentia passiva, iuxta illud Aristotelicum assertum in definitione animæ, *corporis physici, & organici, in potentia vitam habentis*, quæ substantia est, & valens vnum per se cum illo constituere.

28 Sed contra istam solutionem obijciunt nobis nõnulli ex aduersarijs. Id, quod est in specie atoma constitutum, est ens cõpletum, cum non possit ulterius specificè perfici; sed forma corporeitatis, si daretur, constitueret corpus in aliqua specie atoma: ergo prædictum corpus esset ens in actu completum, ac per consequens, non valens ulterius perfici substantialiter.

29 Ad hæc objectionem (quæ, si quid valeret, cõcluderet etiã, materiam primam, in veriori, & cõmuniore sententia, quæ subsistet, ex se, & seclusa forma, habere esse, tam essentia, quã existentia, esse ens cõpletum; siquidè, ut sic considerata est in specie atoma, nec potest ulterius

specificè contrahi, seu perfici) facile respondemus, sic obijcientes in sua objectione cõmittere fallaciã *accidèris*, cum esse cõpleto, & ultimatè perfecto in coordinatione metaphysica colligat ens cõpletum, & ultimatè perfectum in coordinatione physica. Vnde in forma dicimus, verum esse formam corporeitatis cum materia prima constituere aliquod ens contentum, non solùm sub aliquo genere, sed etiã contentum sub aliqua specie atoma, tanquam quoddam illius individuum: tamen ex hoc solùm sequitur, corpus compositum ex materia prima, & forma corporeitatis, nõ posse metaphysicè ulterius actuari, cum sit individuum cuiusdam speciei atomæ, ac per consequens includens vltimã actualitatè, quæ esse potest in serie prædicamentali, seu metaphysica; tamen quia hæc species atoma, cuius est individuum corpus, est in genere physico incompleta (nõ fecus, ac esset species huius materie primæ, si daretur separata ab omni forma) ideo in genere physico hoc individuum corpus non est ens in actu ultimato, & cõpleto, sed potius ens in potentia physica petens recipere aliam perfectiorè formam substantialem, scilicet, animam, & vnum per se in genere physico cum illa constituere, quale est viuens.

30 Ad tertiam, & vltimam rationem, concessa maiori, negamus minorè, videlicet, non esse nec-



cessitatem ponendi in viuētibus, præter animam, formam corporeitatis; quia, vt dictū est, cū anima non sit corporea formaliter, requiritur alia forma, à qua compositum substantiale viuēs habeat esse corporeū. Neque obstat, quòd anima sit superior ad formā corporeitatis, ac per consequens, quòd possit continere eminenter id, quod ipsa cōtinet formaliter; nam, vt dictū est, licet ad hoc, vt aliquid possit producere aliquem effectum in genere causæ efficiētis, non requiratur, quòd illum contineat formaliter, sed fat est, quòd illud cōtineat eminenter, seu virtualiter; tamē ad præstandum illū in genere causæ formalis non sufficit, illum continere eminenter, seu virtualiter; sed necessarium simpliciter est, illum continere formaliter, & actu.

31 Sed inquires pro complemento huius quæstionis, an forma ista corporeitatis, quā ponimus in viuētibus, præter animā, constet ex pluribus formis realiter, & specificè distinctis, ita, vt forma ossis sit realiter, & specificè distincta à forma carnis, & vtraque à forma nerui, &c? Scotus in 3. t. dist. 2. q. 3. quā dist. 4. in principio corporis quæstionis, et si attigerit difficultatē istā, tamē ipsam non resoluit, quia ad intentū quæstionum, quas ibi ex professo exagitat, nihil referebat, vnum, vel alterum affir-

mare. Tamen Antonius Andreas eius discipulus 7. Metaph. quæst. 17. & Philippus Fabrus theorematē 73. cap. 4. tanquā de Scoti mēte defendunt partē affirmatiuam, & merito, cū videamus os separātū à carne, habere idem esse, quod antea habebat, cum erat cōiunctum carni, quòd non possit continere, si esset eadē numero forma carnis, & ossis: & cōfirmatur; quia forma eiusdē speciei non potest informare materiā dispositam diuersis, & contrariis dispositionibus; sed materia ossis est disposita diuersis, & fortassis contrariis dispositionibus, ac materia carnis: ergo forma substantialis corporeitatis, quæ dat esse ossi diuersa est, non solum numero, sed etiam speciei ob ea, quæ dat esse corporeum carni, & idem argumentū fieri potest de neruis, de cerebro, de corde, &c.

32 Quod si aliquis obijciat, sequi ex dictis, corpus viuētis non esse vnū per se, sed potius vnum per accidēs, nō secus, ac est aeruum rerum diuersarum in speciei. Respondetur nihil minus: licet enim ex eo, quòd in corpore viuētis sint plures formæ partiales corporeitatis speciei differētes, optimè inferatur, corpus viuētis non esse vnū per se, neq; essentialē, nec integrale homogeneū; tamē quòd nō sit vnū per se integrale ethereogeneum, minimè inferitur; nā ad hoc nō requiritur, quòd par-

partes integrantes eius sint eiusdem speciei, imò potius requiritur oppositum, alias non esset corpus organicum, seu ethereogeneum; sed quòd requiritur est, quòd partes istæ etheregenæ, & diuersæ speciei, ita cōiungantur, & disponantur inter se, siue sit per continuationem, siue sit per contiguationem, vt faciant subiectum aptū, & dispositum ad hoc, vt actuari, & informari possit anima, quæ est actus corporis physici, non qualis eumque, sed (vt docet Aristoteles) organici, seu ethereogeni, quòd et si verificetur de corpore viuētis, sed non de aëro aliarum rerum diuersarum in speciei.

### QVÆSTIO V.

*Vtrum accidentia subiectentur in materia prima, an in toto composito?*

**S**olum est sermo in hac celebri quæstione de accidentibus corporalibus, vt sunt quætitas, & qualitates, quæ inhaerent in substantia media quantitate. Nam de accidentibus spiritualibus, vt sunt scientia, errores, charitas, intellectio, &c. nulli dubium, nō subiectari in toto composito; sed in altera illius parte, scilicet, in anima rationali, licet totum compositum, videlicet, homo denominetur ab his accidentibus spiritualibus, sumptis in

concreto, & ideo possit subiectum denominationis illorum appellari.

2 De quantitate ergo, & de cæteris accidentibus corporalibus, quæ media quætitate inhaerent in substantia, prima sententia affirmat, subiectum inhesionis immediatum ipsorū esse materiam primam; nō verò totum compositum, quòd ex materia prima, & forma substantiali coalescit. Ita Auerois in libro de substantia orbis, & primo libro Physicorū textu cōmēti 63. quibus locis docet, esse in materia prima dimēiones indeterminatas illi coeuas, & in re ipsa ingenerabiles, & incorruptibiles, & solum accidentaliter mutabiles. Vbi per dimēiones indeterminatas nihil aliud intelligit, quàm ipsam quætitatem, quæ, quantum est ex parte materiae primæ, nec certam aliquā densitatem, nec raritatem, nec definitum terminum magnitudinis, vel paruitatis, nec peculiarem aliquam figuram postulat, & ideo sicut materia prima de se informis dicitur, ita quantitas, vt illi coeua dicitur indeterminata, quamquam re ipsa, semper habeat aliquem terminum, vel figuram, iuxta indigentiam formæ, quæ informat, & actuat materiam. Eandem sententiam, quantum ad inhaerentiam quantitatē, & cæterorum corporalium accidentium in materia prima, tenent Sim-



philosophi 1. Physicorum, tex. 69. Philoponus 1. lib. de generatione tex. 33. & 40. & Ammonius in prædicamentis cap. de quantitate: & similiter auctores, qui absolute, & sine aliqua restrictione docent, eadem numero accidentia: quæ erant incorrupto, manere in genito; vultus Gregorius in 2. dist. 12. quæst. 2. art. 2. Aureolus apud Capreolum in 2. dist. 13. q. 1. Marsilius hic quæst. 7. Paulus Venerus summa de generatione, cap. 54. Egidius 7. Metaphysices, quæst. 4. Niphus 2. Metaph. disp. 4. Zimara theomate 46. & ex recentioribus non pauci, inter quos præcipuus est Suarez tomo 1. suæ Metaph. disp. 14. sect. 3.

3 Sed quamvis omnes isti auctores affirmant, quantitatem, & cætera alia accidentia, quæ inhærent in substantia, media quantitate immediate inhærente, seu subiectari in materia, & non in toto composito; differunt tamen in explicando istâ sententiam. Qui enim 1. Physicorum nobiscum sustinebât, materiam primam non solum habere ex se existentiam, sed etiam in existendo nullo modo pendere à forma; modo sustinent, materiam ex se, & sine adminiculo formæ esse subiectum quantitatis, & cæterorum corporalium accidentium, ac per consequens, licet nunc naturaliter, & de facto non sit subiectum quantitatis sine for-

ma substantiali: hoc dicunt esse per accidens; & quia naturaliter materia non potest esse sine forma; non verò, quia materia indigeat vilo modo forma ad sustentandum quantitatem, cæteraque accidentia. Vnde consequenter dicunt, quantitatem, & cætera accidentia non desinere esse in materia per separationem formæ substantialis ab illa; ac per consequens eadem numero quantitatem, & accidentia materialia, quæ erant incorrupto, manere in genito.

4 Qui verò primo Physicorum sustinebant, materiâ quidem habere ex se existentiam, sed ita imperfectam, vt non possit naturaliter esse in rerum natura, sed ad hoc indigere informari, & quasi fulciri forma substantiali; modo sustinent, materiam quidem esse subiectum immediatum quantitatis, & cæterorum accidentium corporalium; sed non nudam, sed informatam forma substantiali. Itaque auctores isti dicunt, re vera quantitatem, & cætera accidentia corporalia pendere à forma; sed non tanquam à subiecto, in quo inhærent, sed tanquam à causâ tribuente materiæ primæ, quæ est subiectum immediatum quantitatis, & cæterorum corporalium accidentium, esse requisitum ad naturaliter existendum, & consequenter ad sustentandum accidentia. Et quia hæc dependentia,

tia, quam habet materia à forma in sua existentia, suppleri potest à quacumque forma; ideo sustinent auctores huius sententiæ; eandem numero quantitatem, & accidentia, quæ erant incorrupto, manere in genito; siquidem forma genita tribuit materiæ corrupti in eodem instanti, in quo desinit esse forma corrupti, quidquid formæ corrupti tribuebat prædictæ materiæ necessarium ad existendum in rerum natura, & sustentandum quantitatem, & cætera accidentia corporalia.

5 Demum alij, etsi affirmant cum primis, & secundis auctoribus solam materiam primam esse subiectum quantitatis, & cæterorum materialium accidentium; dicunt tamen hoc competere materiæ dependenter à forma; sed non, vt attribuente materiæ esse existentie requisitum ad naturaliter existendum; & consequenter sustentandum quantitatem, & cætera materialia accidentia, vt dicebant secundi auctores; sed tanquam à causâ efficienti, à qua procedant quantitates, & cætera accidentia requisita ad cõseruationem formæ in materia. Itaque auctores isti sustinent, quantitatem, & cætera accidentia non posse esse naturaliter in materia sine forma, sed non ex defectu subiecti; nã hoc dicunt esse solam materiam, sed ex defectu causæ effi-

cientis, à qua profluunt, vel conferuntur quantitates, & cætera accidentia. Vnde cum effectus productus ab vna causa possit idem numero ab alia habente similem virtutem conferuari; ideo consequenter sustinent hi auctores, eandem numero quantitatem, quæ erant in materia corrupti, permanere in genito ex eadem materia, eo quod forma, quæ in illa generatur, de nouo habet virtutem sufficientem ad conferuandam quantitatem, quæ erant in materia corrupti, non secus, ac habebat forma corrupta. Et quod de quantitate dicunt, affirmant etiam de cæteris accidentibus, in quibus conueniunt corpora genita cum corruptis, de his vero, quæ dissimilia sunt, dicunt de nouo generari, & procedere à noua forma, sed subiectari in materia, & ideo neque omnia accidentia rei, quæ corrumpitur, permanere in genito, neque omnia esse numero diuersa.

6 Præcipuum assertum, in quo omnes isti auctores cõueniunt, scilicet, solam materiam primam esse subiectum inhaesionis quantitatis, & cæterorum accidentium, quæ insunt substantiæ media quantitate, probant auctores isti, & præcipue Suarez loco citato, num. 11. primò auctoritatibus Aristotelis; nam 7. Metaph. text. 8. (inquit Suarez) significat quantitatem primò inesse materiæ; &



in 3. Physicorum sentit quantitatem esse proprietatem ipsius materiae; & lib. 2. de generatione text. 6. sentit dispositiones ad formas substantiales, & alterationem, quae ad eas fit, proximè versari circa materiam, & in hoc 1. lib. de generatione text. 24. & 2. lib. text. 27. affirmat, quòd dum vnum elementum tranmutatur in aliud, non corrumpuntur omnia accidentia, sed permanere in genito illa omnia, in quibus assimilantur, & ponit exemplum in aqua genita ex aere, in qua permanent humiditas, & transparentia aëris: quod non posset verificari, sustinendo subiectum accidentium esse totum compositum, & non materiam primam, cum totum compositum corrumpatur in transmutatione vnius elementum in aliud, & corrupto subiecto, corrumpantur etiam accidentia, quae in illo inhærebant.

7. Secundò probant rationibus; prima desumitur ex sufficientia materiae ad esse subiectum inhaesionis, tam quantitatis, quam in cæterorum accidentium, quae media quantitate conueniunt substantiae; nam, vt vidimus in Physica lib. 1. disp. 3. q. 2. materia ex se, & seclusa forma, habet propriam entitatem actualem, & existentem existentia propria, & non mendicata à toto composito; quid ergo ei deficit ad esse subiectum inhaesionis quantitatis, cæterorumque accidentium; nam si hæc

sufficiunt ad sustentandam formam substantialem, cur non erunt sufficientia ad sustentandas formas accidentiales, cum accidentales formae minoris perfectionis sint?

8. Secunda, quantitas, quae est in homine, non subiectatur in anima, cum sit spiritualis, & indiuisibilis, neque in toto composito, ex anima, & materia resultantem; quia repugnat immediatè vniri, seu inhære in toto composito, quia immedietè etiam vnitur, seu inhæreat in partibus illius per modum vnus: constat autem repugnare quantitati, & accidentibus corporeis, attingere animam rationalem, & ei aliquo modo immediatè inhære: ergo solum restat, quòd subiectetur in materia prima.

9. Tertia, agens naturale corporum prærequirit passum extensum, & quantum; sed agens, à quo procedit generatio substantialis, est agens naturale corporeum, & agit circa materiam, tanquam circa passum, & proprium subiectum generationis: ergo generationi præsupponitur materia quanta, & extensa, non solum toto tempore alterationis præcedentium, in quo perseverat compositum corruptendum; sed etiam in instanti generationis, in quo iam non est compositum, quòd corrumpitur, sed sola illius materia: probatur consequentia, quia etiam pro illo instanti, agens naturale agit

circa materiam, cum pro illo instanti introducat in illam formam substantialem.

10. Quarta, agens naturale non introducit formam, nisi in materia iam determinata ad illam potius, quam ad aliam per dispositiones præuias; sed non potest materia esse disposita, nec determinata in instanti generationis, in quo introducitur forma substantialis, si accidentia, quibus disponitur, & determinatur, non sint in illa, tanquam in subiecto; ergo ita sentiendum est. Probatur minor, quia licet toto tempore alterationis præcedentis intelligi possit materia disponi per dispositiones receptas in composito corruptendo, sed non pro instanti generationis, in quo iam non est compositum, quòd corrumpitur, sed nuda intelligitur materia ab omni forma substantiali.

11. Quinta, & vltima desumitur ex multis experiencijs; nam in morte, & corruptione hominis videmus, & ex perimur, in cadauere remanere eandem quantitatem, figuram, organizationem, calorem, & cicatrices, quas antea habebat viuens: ergo hæc, & reliqua accidentia non subieciabantur in toto composito iam corrupto, sed in materia prima, quae eadem perseverat, aliàs accidentis migraret ex vno subiecto in aliud.

12. Nec valet (inquit Suarez) communis solutio, scilicet, quantitatem cadaueris, figuram,

calorem, & cicatrices esse re vera diuersas numero, à quantitate figura, calore, & cicatricibus, quæ erant in corpore viuò; iudicari tamè à sensibus eandem numero propter similitudinem, quam habent in specie, in quòd dicunt sensus decipi, & idè esse corrigendos ab intellectu, non secus, ac corrigitur visus, cum iudicat per deceptionem, solem minorè terra; nam hæc solutio est manifestum effugium, & ad libitum inuentum, & multis impugnari potest.

13. Primò, sensus circa proprium obiectum, seu sensibile: debetè approximatum non fallitur; sed in cadauere debetè approximato indicat visus eandem numero cicatricem permanere, & tactus eundem numero calorem: ergo iudicium, seu indicatio horum sensuum, non poterit esse falsum.

14. Secundò, quia si calor, & cicatrices, quæ sunt in cadauere, non sunt eadem numero cum calore, & cicatricibus, quæ erant in viuente corrupto, necessariò assignanda erit aliqua causa efficiens, à qua procedant; sed non est assignabilis causa: ergo non sunt diuersa numero. Probatur minor, nam in primis non sunt per naturalem resultantiam à forma cadaueris; quia huiusmodi qualitates, & aliae similes, non sunt illi connaturales, sicut sunt frigiditas aquæ, & caliditas igni; sed potius sunt



peregrina, & illi extranea, vnde fit, vt breui tempore paulatim amittantur, vt patet de calore, & alijs similibus.

15. Neque etiam fiunt ab extrinseco agente; quia interdum, nullum est circūstans, aut proximum agēs, quod possit producere aliquas qualitates, quæ manent in cadauer e; exempli gratia, cum homo moritur ex aere frigido ipsum circūstante, quæ est, quæso causa extrinseca, à qua procedit calor, qui manet in cadauere; & similiter cicatrices; item cum calor, & alæ similes qualitates, insensibiles, & remissibiles sint, & in super plures habeant contrarium, si fierent per extrinsecam alterationem, non fierent subito in gradu intenso, sed successiue, & in tempore; sed experimur, has qualitates manere in cadauere in instanti mortis in magna intensiōe; ergo non sunt de nouo productæ.

16. Nec demum dici potest, quod producatur à causis vniuersalibus; quia solum licet recurrere ad causas vniuersales in productione alicuius effectus, quando ille effectus est simpliciter necessarius ad coordinationem rerum naturalium, & nulla appareat causa particularis, à qua produci possit; constat autem non solum non esse necessarium ad coordinationem rerum naturalium, ponere in cadauere calorem, cicatrices, & alias similes qua-

litates, sed esse valde impertinens, cum nullo modo faciatur, nec requiratur ad formæ cadaueris conseruationem.

17. Secunda, & verior sententia per oppositum affirmatur, subiectum immediatum inhesionis quæritatis, & cæterorum accidentium corporalium, que mediante quantitate conueniunt substantiæ, non esse materiam primam, sed totum compositum, quod ex materia prima, & forma substantiali coalescit. Ita noster Scotus in 2. dist. 3. quæst. 4. vbi ad approbandum, quæritatem non posse esse principium indiuiduationis entis substantialis materialis, tam ex Aristotele, quam per rationes demonstrat, substantiam materialem indiuidualem, & consequenter compositam ex materia, & forma substantiali corporeitatis, seu misti, præcedere saltem naturam ipsam quantitatem, & cætera accidentia, quæ media quantitate in illa inhaerent. Et consequenter ad hæc docet §. *Sed ad conclusionem*, sub lit. K. n. 17. quod si corrumpitur forma corporeitatis, seu misti, non manet vllum accidens in genito, quod præfuit incorrupto, & Scotum sequuntur omnes discipuli, inter quos est Philippus Fabrus theoremate 73. in fine capituli 5. Est etiam expressa sententia Doctōris Angelici multis in locis, sed præcipue quæst. vniuersa de spiritalibus creaturis art.

art. 3. & 1. parte, quæst. 76. art. 6. & de ente, & essentia cap. 7. & ibi Caietanus quæst. 16. quæ omnes Thomistæ sequuntur; Bañez hinc capite 4. quæst. 9. Ioannes à Sancto Thoma, q. 9. artic. 1. Durandus in 1. dist. 8. quæst. 4. Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 1. artic. 3. Rubius hinc cap. 4. tract. 3. de alteratione quæst. 7. & quam plures alij.

18. Sed quamuis Scotistæ, & Thomistæ in supradicto asserunt conueniamus, scilicet, quæritatem, & cætera accidentia materialia, quæ media quantitate afficiunt substantiam, non subiectari immediatè in materia prima, sed in composito substantiali; valde tamen dissentimur in assignando in viuentibus compositum substantiale, in quo prædicta accidentia subiectantur, seu inhaerent. Nam Thomistæ, cum sustineant (vt quæstione præcedenti visum est) in viuentibus non esse duplicem formam substantialem, ac per consequens, neque duplex compositum, vnum ex materia, & forma corporeitatis, quod dicitur corpus physicum, & organicum, & aliud ex prædicto corpore, & anima coalescens, quod appellatur viuens; sed solum dicant, esse vnam formam substantialem, scilicet, animam, & vnum compositum ex materia prima, & ex ista forma, scilicet, anima resultans, non secus, ac contingit in inanimatis; consequen-

ter dicunt, quantitatem, & cætera omnia accidentia corporalia subiectari in hoc composito viuenti, quod, cum per mortem corrumpatur, sustinent consequenter, non esse eadem numero quantitatem, & figuram, cæteraque accidentia corporalia, quæ manent in cadauere, cum quantitate, figura cæterisque accidentibus, quæ erant in viuenti, sed numero distingui.

19. At Scotistæ, cum sustineamus in viuentibus esse duplicem formam substantialem, vnam alteri in ratione actus, & potètiæ subordinatam, videlicet, formam corporeitatis, quæ simul cum materia prima constituit quoddam compositum substantiale incompletum, quod dicitur corpus, & animam, quæ simul cum corpore constituit aliud compositum substantiale completum, & perfectum, quod dicitur viuens, consequenter dicimus, & sustinemus, accidentia corporalia, quæ conueniunt composito ex corpore, & anima, scilicet, viuenti, ratione animæ, vt sunt operationes vitales, videlicet, videre, audire, sentire, nutrire, &c. subiectari immediatè in composito perfecto, & composito ex corpore, & anima coalescente, quod dicitur viuens, & consequenter per corruptionem illius, quæ fit in morte viuentis, corrumpi hæc accidentia, nec manere in corpore



corpore cadauerico, quod relinquitur per mortem. At verò, accidentia corporalia, quæ cõueniunt composito ex corpore, & anima, non ratione animæ, sed ratione formæ corporeitatis, seu misti, vt sunt quantitas, determinata figura, cæteræque qualitates communes, tam rebus animatis, quàm inanimatis, vt sunt caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, colores, sapores, odores, &c. hæc omnia subiectari immediatè, non in composito ex corpore, & anima, quale est viuens, sed in composito ex materia prima, & forma corporeitatis, seu misti, quod dicitur corpus, & est altera pars compositi viuētis: & consequenter affirmamus, in morte viuēti permansere in corpore cadauerico, hæc omnia accidentia eadē numero, quæ erant in viuente; siquidem corpus, quod est eorū immediatum subiectum, idem numero manet, vt quæstione præcedenti ostensum est.

20. Porò accidentia corporalia non subiectari immediatè in materia prima, sed potius in toto composito ex materia, & forma substantiali, vel ex corpore, & anima, iuxta assignatam differentiam, probari potest. 1. ex Aristotele, qui supè hoc factus est differentis verbis. Nam in primis, capite de substantia, postquam probauit primas substantias, quæ in omnium sententia sunt composita

substantialia singularia, substantiare, tam secūdis substantijs, quàm accidentibus, subdit, quod destructis primis substantijs nihil potest remanere; quod confectarium esset falsum, nec illud inferre posset, si iudicaret, accidentia non in toto composito, sed in materia prima inhærere, seu subiectari.

21. Deinde hoc in libro cap. 4. textu 23. ponit discrimē inter generationem, & alterationem in hoc, quod subiectum alterationis est compositum, manens sub vtroque termino, id est, sub vno, & alio contrario accidenti, inter quæ versatur alteratio; subiectum verò generationis est materia prima, quæ manet sub forma, & eius priuatione, quæ sunt extrema, inter quæ versatur generatio: ergo sentit, quod sicut subiectum generationis, & formæ substantialis per ipsam productam est materia prima, ita subiectum proprium, & immediatum alterationis, & accidentium, quæ per ipsam producantur, esse totum compositum.

22. Respondent aliqui, subiectum alterationis, & accidentium, quæ per ipsam producantur, esse secundum Aristotelem totum compositum, sed non ratione sui, sed ratione partis, nempe materiæ primæ. Sed contra, id, quod est subiectum alicuius accidentis ratione partis, nõ dicitur subiectum inhæsi-

nis illius, sed solum denominationis, vt patet in crespidudine, quæ cum cõueniat homini ratione partis, scilicet, capillorū, non est homo subiectum inhæsiōnis illius, sed tantum denominationis; nam subiectum inhæsiōnis solum sunt capilli; sed cum Aristoteles docet, subiectum alterationis esse totum compositum; subiectum verò generationis esse materiæ primam, loquitur de subiecto inhæsiōnis: ergo existimauit, alterationem, & accidentia, quæ per se ipsam producantur, esse in toto composito, tanquam in subiecto ratione sui, & non ratione partis, scilicet, materiæ. Porò Aristotelem loqui de solo subiecto inhæsiōnis, manifestum est, cum dicat compositum transmutari per alterationem, & materiæ primam per generationem; constat autem nihil transmutari, nisi quod transmutationem, seu terminum eius in se recipit.

23. Denique hoc idem docuit clarius 5. libro Physicorū, cap. 1. text. 1. vbi explicans, quid sit proprium, & primum subiectum motus, simul cum terminis à quo, & ad quem illius, expressè affirmat subiectum calefactionis esse compositum substantiale, v. gr. lignum, & terminum à quo frigidum, & terminum ad quem calidum; verba Aristotelis sunt, *Alterum enim est, quod primò mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, vt*

*lignum, & calidum, & frigidum, horum autem aliud quidem quod, aliud verò in quod; aliud autem ex quo motus, manifestum est, quod in ligno est; quid clarius? His accedunt ea, quæ docet 1. Physicorum textu 81. & 82. scilicet, materiæ respicere per se primò substantialem formam: & 7. Metaph. textu 4. & 12. Metaph. textu 43. scilicet, substantiam esse priorē natura accidente, quæ verificari non possent, si quantitas esset cõcua, vel immediatè inhærens in sola materia.*

24. Secundo probari potest hæc nostra sententia rationibus cõficacibus. Prima, forma substantialis confert materiæ primæ primum, & simpliciter esse; forma verò accidentalis confert esse secundarium, & secundum quid: ergo prius natura vnitur formæ substantiali, & resultat totum compositum, quàm recipiat accidentia; ac per consequens accidentia non in materia, sed in toto composito ex materia, & forma coalescente subiectantur.

25. Et cõfirmatur, quia si quantitas prius materiæ inesset, quàm substantialis forma, sequeretur, formam substantialem vniri materiæ mediâ quantitate: sequele est manifesta, nam non alia ratione qualitates materiales dicuntur ab omnibus vniri substantiæ mediâ quantitate,



nisi, quia quando adueniunt substantiæ, supponunt illam habentem quantitatem, saltem prioritate nature: consequens autem esse absurdum multis ostendi potest. Primò, quia intior, magisque proprius actus materiæ primæ esset quantitas, quam forma substantialis. Secundò, quia non posset fieri vnum perse ex materia, & forma substantiali; siquidem non immediatè, sed medio quodam accidente vniuerſo. Vndè potius ex materia, & quantitate deberet fieri vnum perse, quam ex materia, & forma substantiali; nam potentia potius facit vnum perse cum suo primo, & immediato actu, quam cum secundario: neque intelligi potest, quòd vnitatis, seu compositio perse fundetur in vnitatem, seu compositione perse accidens. Et denique tertio, quia iam non solum materia prima, sed etiam quantitas esset principium materiale generationis substantialis; quæ omnia, quam absurda sint, quisque consideret.

26 Non me latet, recentiores illos, quos pro opposita sententia numero 2. adduximus, ad istam rationem, & eius confirmationes respondere, probare quidem contra Auerroem, & eius sectatores, quantitatem non esse coeum materię primæ, nec posse in illa inherere prius natura, quam vniatur formæ substantiali, & resultat compo-

sitionem: non tamen convincere, quantitatem, & cætera accidentia materialia, quando in posteriori naturæ adueniunt materiæ iam vnitæ formæ substantiali, inherere composito substantiali, ex illa vniuerſe resultate. Quia hæc præuia vniuerſe materiæ ad formam substantialem non requiritur (inquunt) ad hoc, vt materia prima sit subiectum aptum recipiendi in se immediatè quantitatem, cum ex se hoc habeat materia, sed ex alio capite, scilicet, quia materia non potest naturaliter existere sine forma substantiali, ob illas diuersas rationes, quas ex mente istorum recentiorum supra num. 3. 4. & 5. retulimus.

27 Sed miror sanè, quòd recentiores isti, propter rationem supra factam, & confirmationes eius libenter admittant, materiæ prius natura debere vniuerſe formæ substantiali, & resultatæ compositum, quam adueniant quantitas, & cætera accidentia materialia, & nihilominus contendant, ex hoc non convinci, prædictam quantitatem, & cætera accidentia materialia debere subiectari in toto composito, sed potius in materia prima. Primò, quia si materia prima (vt ipsi dicunt) ex se est subiectum sufficiens ad sustentandam quantitatem, & cætera accidentia materialia, vniuerſe autem formæ substantiali, & resultatæ compositum,

solum est ad hoc conditio per accidens requisita, videlicet, quia non potest materia naturaliter existere sine vniuerſe ad formam substantialem; & consequenter, neque munus sustentandi quantitatem, & cætera accidentia materialia exercere: & cum ex alia parte negari possit id, quod conuenit alicui ex se, prius natura illi competere, quam id, quod illi competit per accidens. Ex doctrina istorum recentiorum, etsi optimè inferatur, non posse materiam, naturaliter loquendo, actu esse subiectum quantitatis, & cæterorum accidentium materialium, quin etiam simul tempore vniuerſe sit formæ substantiali, & resultatæ compositum; non tamen inferatur, quòd ipsi contendant, ad effugiendam vim rationis supra factæ, & confirmatorium eius, scilicet, vniuerſe materiæ primæ ad formam substantialem, & resultantiam substantialis compositi esse prius natura, quam vniuerſe quantitatis, & cæterorum accidentium materialium cum materia; sed potius sequitur oppositum. Aut ergo recentiores isti sequantur sententiam Auerroistarum, quæ ponit materiam prius natura vniuerſe quantitati, & cæteris accidentibus, quam vniatur formæ substantiali, & resultatæ compositum; aut si hoc ipsi non placet, quia ratio supra facta, & eius confirma-

tiones, ipsis apparent oppositum convincere, fateantur, velint, nolint, etiam convincere materiam ex se (& consequenter, tam ante vniuerſe ad formam substantialem, quam post) non esse subiectum, vt quod quantitatis, & cæterorum accidentium materialium; sed hoc solum competere toti composito; materiæ verò, & formæ substantiali solum, vt quo, & ratione totius, quod essentialiter component.

28 Secundò, quia recentiores isti ad fugiendam difficultatem, non solum voluntariè supponunt, materiam ex se esse subiectum sufficiens ad sustentandam, vt quod quantitatem, & cætera accidentia materialia; sed etiam contra Aristotelem, qui vt num. 20. dicebamus, in capite de substantia hoc munus solis substantijs attribuit. Licet enim materiæ (quæ est pura potentia subiectiua) meritò concedamus esse principium, seu radicem, ob quam compositum substantiale habet, quòd sit potens recipere quantitatem, & accidentia materialia, non secus, ac formæ substantiali (quæ est actus) etiam meritò concedimus, esse principium actuum, & determinans istam capacitatem recipiendi quantitatem, & cætera accidentia materialia, quæ compositum recipit à materia, ad determinatam, & certam quantitatem, & ad certa



& determinata accidentia, & ob has causas, tam materia, quam forma dici possint (vna quæque in suo genere) subiectum quo, quantitates, & exterorum materialium accidentium; tamen rationem subiecti quod, (quæ est, de qua in præsentis est sermo) neque Aristoteles, neque vllus ex Peripateticis attribuit, neque materiam, neque formam substantiâli, sed potiùstoti composito, ex materia, & forma substantiâli coalescenti.

29 His accedit, quòd cum in nostra, & Scoti sententia, quam latè statuimus 1. Phisicorum, disp. 5. quæst. 3. sect. 1. totum, seu compositum substantiale consistat in quadam tertia entitate, & per se vna, quæ ex vniõne materiæ, & formæ resultat, & cui primò, & per se attribuantur, vt quod actiones, & passiones, erit impossibile, quòd alia quantitas adueniat materiæ, & formæ iam vnitis, & transactis in tertiâ illam entitatem, & quòd inhaereat in sola materia prima; sed simpliciter necessarium est, quòd inhaereat immediatè in ista tertia entitate per se vna, quæ ex materia, & forma coalescit; nam etiam si materia, & forma maneat actu, & formaliter in ista tertia entitate, sed non se iuncta, & vt plura, sed commista, & vnum per se constituentia.

30 Secunda ratio principalis

ad probandam nostram sententiam desumitur ex actibus sensuum externorum, vt sunt, videre, audire, &c. qui actus, cum sint accidentia corporea, seu materialia, ponuntur ab aduersariis in materia prima tanquam in proprio, & immediato subiecto. Quòd verò ponendi sint in toto composito ex corpore, & anima resultante, colligitur ex doctrina, quam tradidit Aristoteles 1. libro de anima textu 66. nimirum, hanc esse differentiam inter potètiâs sensitiuas, tam cognoscitiuas, quàm appetitiuas, ex vna parte, & intellectum, & voluntatè ex alia, quòd intellectus, & voluntas non sunt potètiâ organicæ, hoc est, in organo corporeo inhaerentes; sed spirituales, inhaerentes immediate in anima rationali: at appetitus sensitiuus, & sensus, quorum cognitionem consequitur, sunt potètiâ organicæ, hoc est, inhaerentes in quadam determinata parte totius compositi ex corpore, & anima, videlicet, in oculo, in auribus, &c. ex hac ergo doctrina sic desumitur argumentum. Actiones immanentes in hoc differunt à transcendentibus, quòd istæ, licet procedant ab aliquo agente, non tamen in eo recipiuntur, sed in alio subiecto diuerso ab ipso agente: at illæ in eodem agente, à quo procedunt, manent, & subiectantur; sed actiones potentiarum sensitiuarum sunt

sunt immanentes (vt cum Aristotele omnes fatentur) ergo tam ipsæ, quàm earum termini, recipiuntur, tãquam in subiecto in eodem principio adiuo, à quo prosuunt, sed principium, à quo immediatè proficiunt, ex doctrina Aristotelis adducta, non est materia, neque anima, sed potètiâ organica, id est, virtus existens in organo corporeo viuente, quæ nihil aliud est, quàm quadam pars compositi substantialis viuente, scilicet, oculus, auditus, &c. ergo actiones, seu actus potentiarum sensitiuarum non in materia prima; sed in toto composito, vel parte illius subiectantur, & consequenter idem erit iudicium de reliquis accidentibus corporeis, cum omnium eadem sit ratio.

31 Tertia, & vltima ratio pro nostra sententia desumitur ex augmentatione viuentium, de qua docet Aristoteles 5. Phisicorum, esse verè, & propriè motum per se terminatum ad quantitatem. Ex hac doctrina sic desumitur argumentum. Terminus motus debet fieri per motum, cuius est terminus per se: ergo si quantitas est terminus per se augmentationis, fiet proculdubio per augmentationem; sed qui sustinent, quantitatem esse in materia prima, tanquam in subiecto, non possunt sustinere, quantitatem fieri per augmentationem: ergo contradicunt

Aristoteli ponenti, quantitatem fieri per augmentationem. Probatur minor, nam qui ponunt, quantitatem subiectari in materia, verbi gratia, cibi, consequenter debent dicere, quòd sicut in nutritione permanet materia cibi, seu alimenti, ita & eius quantitatem permanere; ac per consequens per vnionem cum quantitate præexistente in materia viuente, quòd nutritur, augeri prædictum viuens; non verò per productionem alterius nouæ quantitatis. Et confirmatur, quia cum quantitas non habeat contrarium, non potest corrumpi, nisi per desitionem subiecti, sed materia est incorruptibilis: ergo qui ponunt, quantitatem solum subiectari in materia, debent consequenter affirmare, esse incorruptibilem, neque posse motum augmentationis ad ipsam per se terminari, cuius oppositum, vt dictum est, docet Aristoteles.

32 Non me latet, aduersarios ad istud argumentum respondere, admittendo quantitatem esse incorruptibilem, & ingenerabilem, neque secus, ac est incorruptibilis, & ingenerabilis materia prima, in qua subiectantur, ac per consequens nõ fieri de nouo per augmentationem, sed negat in hoc esse Aristoteli contrarios. Nam si Aristoteles docet, augmentationem esse motum terminatum



per se ad quantitatem, dicunt, hoc non esse; quia existimauerit, per augmentationem generari, de nouo aliquam quantitatem, sed quia per augmentatiouem, resultat quædam tertia quantitas maior facta ex vnioue quantitatibus viuētis, & quantitatis alimenti, quo nutritur. Sed quia hęc modus philosophi ad ex professo refutatus est à nobis 5. lib. Physicorū disp. 1. quæst. 2. & iterum refutatus est infra, disp. 4. de augmentatioue, & nutritione quæst. 2. ideo nunc ab eius confutatione supersedemus, ne idem pluries repetamus.

33 Restat argumentis adductis pro prima sententiâ satisfacere. Ad primam auctoritatem Aristotelis ex 7. Metaph. textu 8. respondetur, ineptè satis adducit ad probandum ex mente Aristotelis, quãtãtatem primã in esse materiæ primæ; tũ, quia Aristoteles in prædicto textu non loquitur ex propria sententiâ, sed ex mente antiquorū Philosophorum, qui non agnoscetes formas substantiales; id, quod nos appellamus compositum ex materia prima, & aliqua forma substantiali, v. g. ignem, vel aquam, ipsi materiã appellabant: tum etiam, quia per rationem, quam ibi adducit Aristoteles, solum cõtendebant Philosophi antiqui demonstrare, id solum esse substantiam, quod subest quantitati, ac per consequens ipsam

quantitatem, et si sit forma, sed non formam substantialem; verba, quæ ex mente antiquorū Philosophorum refert Aristoteles in prædicto textu hæc sunt, *Quantitas enim substantia rationem non subit, sed cut primo hæc insunt, id potius substantia est: ut vero longitudine, altitudine, ac latitudine sublata, nihil præter id, quod ab his definitur, restare videtur: quare si hoc considerauerimus, modo materiam solam substantiam videri necesse est.* Quæ verba exponens Angelicus Doctor sic affatur, *Decipit autē antiquos Philosophos, hanc rationem inducentes, ignorãtia formæ substantialis; non enim adhuc tantum profecerant, ut intellectus eorum se eleuaret ad aliquid, quod est supra sensibilia; & ideo illas formas tantum considerauerant, quæ sunt sensibilia propria, vel communia; huiusmodi autem manifestũ est, esse accidentia, ut album, & nigrum, magnum, & paruum; & huiusmodi: forma autem substantialis non est sensibilis, nisi per accidens, & ideo ad eius cognitionem non perueniunt, ut scirent, eam à materia distingueri, sed totum subiectum, quod nos ponimus ex materia, & forma cõponi, ipsi dicebant esse primã materiã, ut ærem, aut aquã, aut aliquid huiusmodi: formas autē dicebant esse, quæ nos dicimus accidentia, ut quãtãtates, & qualitates, quorũ subiectum propriũ non est materia prima, sed substantia composita.* Hęc D. Thomas ad intelligentiã auctoritatis Aristotelis (qua abusus est Suarez) satis præclara.

34 Ad secundam auctoritatẽ ex 3. Physicorū dicimus, quãtãtatem appellari ab Aristotele proprietatem materiæ, nõ quia sit accidens inhaerens immediatè in materia, sed quia materia, vt supra dicebamus, est radix, seu causa, ob quam cõpositum ex materia; & forma sit materiale, & consequenter aptum natum recipere quãtãtatem: non secus, ac calor appellari solet proprietatem formæ ignis, non quia immediatè inhaereat in forma ignis, sed quia forma ignis est radix, seu causa, ob quam compositum ex materia, & forma ignis sit aptum natum recipere calorem.

35 Ad tertiam auctoritatẽ ex lib. 2. de generatione, respondemus, ad hoc, vt verificetur, dispositiones ad generationem substantialem requisitas proximè versari circa materiã, seu quod idem est, solum disponere materiã, nõ esse requisitum, quod prædictæ dispositiones immediatè inhaereant materiæ primæ, seu, quod idem est, quod materia prima sit subiectum, vt quod ipsarum; sed satis est, quod materia mediatè, & vt quo ipsas recipiat. Nam cum nequeat materia recipere esse secundum quid (id est, formam accidentalem) prius natura, quã esse simpliciter (id est, quã formam substantialem) vt ostensum est, non potest aliter disponi ad generationem nouæ for-

mæ substantialis. Vide dispositiones præuie requisitas ad generationem immediatè, & vt quod subiectantur in toto composito corruptendo: dispositiones verò requisitas ad conservationem formæ generæ subiectantur immediatè; & vt quod in toto composito de nouo generis; mediatè verò, & vt quo, si sint dispositiones conuenientes composito ratione materiæ; vt sunt quantitas in ipsa materia; si verò sint dispositiones conuenientes composito ratione formæ, vt sunt qualitates, & etiam determinatio quantitatis in ipsa forma.

36 Ad vltimam auctoritatẽ desumptam, tam ex hoc primo libro de generatione, textu 24. quã ex 2. libro textu 27. optime respondet D. Thomas, quod cum Aristoteles docet in transmutatione vnius elementi in aliud, accidentia, in quibus corruptum, & genitum assimilantur, non corrupti, sed manere eadem in genito, quæ erant in corrupto, non loqui Aristotelem de identitate quoad numerum, sed solum quoad speciem. Quod si aliquis obiiciat, non sequi ex hoc id, quod ibi intendit Aristoteles, scilicet, elementa symbola facilius transmutari, cum oporteat in ipsis corrupti omnes qualitates, sicut corrumpuntur in transmutatione elementorum, quæ non sunt symbola. Respondet ip-



semet Diuus Thomas, nihil minus; quia cum qualitates elementorum cauescentur à formis substantialibus ipsorum, illa elementa, quæ maiorem conuenientiam habet in qualitatibus, necessàrio habet maiorem conuenientiam in formis substantialibus; ac per consequens in dispositionibus materie facilis ad inuicem transmutatur: & licet oporteat, ambas qualitates corrumpi; tamè quia qualitas symbola minus resistit, imò nullo modo; contraria verò resistit, ideo facilis est transitus.

37 Ad primam rationem dicimus, causam, ob quam materia non est capax recipiendi immediatè quantitatem, & cætera accidentia materialia, non esse defectum entitatis actualis, seu existentie: hanc enim habet materia ex se, seu independentè à forma; aliàs non posset in se formam substantialem recipere, sed causam esse: quia cum materia sit pura potentia subiectiua, petit informari aliqua forma, vt sit in actu formali, & necessarium simpliciter est, quòd prius natura, informetur forma substantiali, & resultet totum compositum (substantiale, quam à diueniant formæ accidentales; quia vt numero 4, dicebamus, forma substantialis tribuit materie primæ primum, & simpliciter esse formale; formæ verò accidentales tribuunt esse for-

male secundarium, & secundum quid.

38 Ad secundam respondemus, militare vtique contra Thomistas, & alios, qui cum reuolunt, in homine, & cæteris viuentibus admittere, præter animam, formam corporeitatis, dicunt consequenter in homine solum esse vnum compositum substantiale, scilicet, ipsum viuens, quod resultat ex materia prima, & ex anima, & hoc faciunt subiectum omnium accidentium, etiam corporalium, vt sunt quantitas, &c. non tamen militare contra nos, qui cum Scoto admitimus in homine, & quocumque alio viuente, præter animam, formam corporeitatis, & consequenter duo composita substantialia, vnum incompletum, & imperfectum, scilicet, corpus, quod componitur, non ex anima, & materia prima, sed ex materia prima, & forma substantiali corporeitatis, & aliud completum, & perfectum, scilicet, ipsum viuens, quod componitur ex corpore, & ex anima, & consequenter ad hæc sustinemus, quòd etiàs accidentia, quæ conueniunt homini, vel cuiuscumque alij viuenti ratione animæ, vt sunt operationes vitales, subiectentur in composito completo, & perfecto, vt est constans corpore, & anima; tamen accidentia, quæ conueniunt illi ratione formæ corpo-

porcitatis, vt sunt quantitas, & qualitates materiales, quæ adueniunt ei, media quantitate, suntque communes animatis, & inanimatis, non subiectari immediatè in composito viuenti ex corpore, & anima coalescenti, sed in composito incompleto ex materia, & forma corporeitatis resultante, quod dicitur corpus, & ratione illius competere composito viuenti.

39 Ad tertiam, distinguenda est maior; nam duo sunt generacionum, quas agens corporeum exercere potest circa passum. Primam est alterationum, quibus introducitur in passum dispositiones præuie requisitas ad introductionem in materiam nouæ formæ, & expulsiõem formæ præexistentis, & istæ, cum sint veri motus, semper versantur, imò necessarium est versari circa compositum substantiale, affectum quantitate, & alijs materialibus qualitatibus, & de hoc genere actionum, verum est ex vi ipsarum agens corporeum naturale, cum agit, præsupponere, & prærequirere passum, non solum extensam, & habens quantitatem, sed etiam affectum qualitatibus contrarijs his, quas introducere conatur. Secundum genus actionum est, earum, per quas agens corporeum naturale producit in passum, scilicet, in materia prima, non formas accidentales, sed formam sub-

stantialem, quæ eo ipso non alterationes, sed generationes substantiales appellantur: & de hoc genere actionum non est verum, agens naturale corporeum, quantum est ex vi ipsarum actionum, requirere passum extensum, & quantum, & dico notanter, quantum est ex vi ipsarum actionum; nam etiam si materia prima, circa quam versatur generatio substantialis, semper sit quanta, vel quantitate compositi corrupti, & antecedentis generationem substantialem, vel compositi geniti, & generationem consequentis; sed hoc non euenit, quia generatio, qua introducitur forma substantialis in materiam primam, requirit in illa talem extensionem; nam potius requirit illam nudam omni accidenti, vt sic possit esse illa immediatè viuere nouam formam substantialem; sed quia cum generatio fiat in instanti, semper illa materia est vnita alicui formæ substantiali, & consequenter componens aliquod substantiale compositum, quod cum sit quantum, & extensum, tribuit etiam materie, ex qua est compositum, extensionem quantitativam, quam in se habet.

40 Ad quantum dicimus, nõ esse necessarium ad hoc, vt materia dicatur determinata, & disposita ad hanc formam suscipiendam magis, quam ad aliam, quòd dispositiones, qui-



bus hoc fit, sint in illa, in inflati generationis, sed sufficit, & requiritur, quod præcesserint in illa tempore immediate antecedenti ad instans generationis. Et ratio est, quia hoc sufficit, & requiritur ad saluandum virtute dispositionum expulsum esse formam antecedentem, & introductam consequentem. Quod sic probatur: instans generationis, cum sit primum esse formæ genitæ, debet etiam esse primum non esse formæ expulsum (aliâs duæ formæ essent simul in eadem materia) ergo dispositiones, quibus est expulsa forma corrupta, & consequenter vltimate disposita materia ad introductionem formæ generandæ, suam causalitatem non exercuerunt in instanti generationis; siquidem pro illo instanti, iam erat expulsa forma expelenda per ipsas; sed illam exercuerunt tempore immediatè antecedenti instans generationis: ac per consequens tunc debuerunt esse in materia, & non in instanti generationis.

41 Ad quintam, & vltimam, quæ est Achilles auctorum opposita sententiæ, respondemus, efficacem sanè esse contra Thomistas, & alios, qui vt numero 18 dicebamus, etsi nobiscum affirmant, quantitatem, & cætera accidètia materialia subiectari non in materia prima, sed in composito substantiali; renouant tamen totis viribus as-

sentiri, dari in homine, & in cæteris viuentibus, præter animam, aliam formam substantialem, scilicet, corporeitatis, & consequenter in homine, & alijs viuentibus affirmant non dari duplex compositum substantiale, vnum ex materia prima, & forma corporeitatis coalescens, quod dicitur corpus physicum, & aliud ex vnione prædicti corporis, & animæ resultans, quod dicitur viuens; sed solum dari vnicam formam substantialem, scilicet, animam, & similiter vnicum compositum ex materia prima, & ex anima resultans, quod dicitur viuens, & in hoc subiectari omnia accidètia materialia, vt sunt quantitas, & alia, quæ ipsi conueniunt media quantitate; nam cum hoc compositum per mortem corrumpatur, coguntur asserere etiam corrumpi omnia accidètia illius, & consequenter dicere, seu respondere ad experientiam, qua experimur in morte hominis manere in corpore cadauerico, eandem quantitatem, figuram, organizationem, colorem, & cicatrices, quas antea habebat, dum erat viuens, prædicta accidètia, etsi iudicentur à sensibus eadem numero, sed reuera non esse: quod effugium, quam efficaciter rejiciatur per rationes à numero 12. adductas, intuenti erit manifestum. Non tamen procedere contra nos, qui cum

Scoto

## QVÆSTIO VI.

An in corruptione, & noua generatione entis naturalis fiat resolutio vsque ad materiam primam?

I Sensus huius quæstionis est, an quando vnum ens naturale corrumpitur, & eius materia aliud generatur, maneat in genito sola materia prima illius, quod corrumpitur? An verò præter materiam, maneat etiam aliqua forma, vel substantialis, vel accidentalis ex his, quæ erant incorrupto? Nam si sola materia manet, dicendum est, in corruptione, & noua generatione entis naturalis resolutionem fieri vsque ad materiam primam. Si verò præter materiam, manet etiam aliqua forma, vel substantialis, vel accidentalis, dicendum erit, in corruptione, & noua generatione entis naturalis, non fieri resolutionem vsque ad materiam primam.

2 Resolutio huius quæstionis (vt in principio quæstionis quartæ animaduerti) totaliter pendet ex resolutione duarum quæstionum præcedentium, vnde sicut circa duas quæstiones præcedentes (vt vltimum est) varia, & opposita fuerunt placita, seu sententiæ; etiam circa resolutionem huius quæstionis, varia, & opposita sunt placita, seu sententiæ, necessarium



rium erit: idèò aperiam prius, quid consequenter dicendum sit in aliorum sententijs; & postea, quid in nostra, & Scotica doctrina.

3 Auctores illi, qui sustinebāt, in nullo composito substantia-  
li, siue inanimatum, siue ani-  
matum sit, dari plures formas  
substantiales, sed unicam tan-  
tum, quæ in inanimatis retinet  
nomen forme substantialis, in  
inanimatis verò, dicitur ani-  
ma, vel vegetatiua, vel sensiti-  
ua, vel rationalis, iuxta diuer-  
sum esse vitæ, quod tribuunt  
enti naturali. Et similiter susti-  
nent, accidentia materialia (vt  
sunt quantitas, & cetera, quæ  
media quantitate insunt substā-  
tiæ) non subiectari in materia  
prima, sed in toto composito;  
consequenter ad hoc sustinere  
debent, & de facto sustinent, in  
corruptione, & noua genera-  
tione entis naturalis fieri reso-  
lutionē vsque ad materiā pri-  
mam, eo quòd in genito ex  
materia corrupti, præter ipsam  
materiā, nihil remanet eorum,  
quæ erant in corrupto, neque  
substantiale, neque accidentale.  
Quod asserunt præter ratio-  
nes, & auctoritates, quæ ab ipsis  
adductæ sunt, in duabus quæ-  
stionibus præcedentibus ad-  
probandum huius asseri fun-  
damenta, probant modo dua-  
bus auctoritatibus Aristotelis.

4 Prima desumpta est ex hoc  
primo libro, cap. 4. textu 23.  
vbi expressè docet, dum totum

aliquod trāsmutatur in aliud,  
nullum sensibile remanere, vt  
subiectum idem, vt semen, in  
sanguinem, & aquā in aërē, esse  
corruptionē vnius, & genera-  
tionem alterius. Ex hoc  
enim testimonio probant, in  
corruptione, & noua genera-  
tione entis naturalis fieri reso-  
lutionē vsque ad materiā pri-  
mā; nam si in genito maneret  
materia prima cum aliquo ex  
accidētibus, quæ erant in cor-  
rupto; illa materia ratione il-  
lius accidētis esset sensibilis, &  
cōsequēter falsò diceret Arist.  
in corruptione, & noua genera-  
tione entis naturalis, nullum  
sensibile permanere, vt subiec-  
tū vtrique termino cōmune.

5. Nec valet (inquunt) quod  
respondet Suarez disp. 14. suæ  
metaphysicæ sect. 3. n. 52. scilicet,  
per sensibile non intelli-  
gere Aristotele aliquid habens  
accidentia, sed ipsum compo-  
situm substantiale, quod solet  
communiter appellari substā-  
tia sensibilis, ita vt sensus ver-  
borum, Aristotelis sit, genera-  
tionem, & corruptionem entis  
naturalis esse, dum totum ali-  
quod trāsmutatur, nō manēte,  
aliquo cōposito substāntiali, si-  
cut in alteratione manet. Nam  
cōtra hoc est, quod, compositū  
substantiale, vt quid substantiale  
est, nō est per se sensibile; quia  
substantia, vt substantia, quan-  
tum ijs corporea, completa, &  
singularis sit, nō sentitur ab ali-  
quo ex sensibus, sed solum hoc  
illi

illi competit ratione acciden-  
tiū. Ergo pèssi mē interpretatur  
Aristoteles, dum dicitur, nomi-  
ne subiecti sensibilis intellexisse  
compositum substantiale, vt  
substantiale est, & non aliquid  
habens accidentia.

6. Secunda est desumpta ex  
capite de substantiā, vbi post-  
quam probauit Aristoteles, pri-  
mas substantias, quæ in om-  
nium sententiā sunt compositi-  
onē substantia lia, indiuidua, &  
singularia subitare, seu esse  
subiectum; tam secundarum  
substantiarum, quàm acciden-  
tium materialium, subdit de-  
structis primis substantijs, ni-  
hil aliorum posse remanere:  
ergo sentit in corruptione, &  
generatione, nouæ substantiæ  
primæ, seu indiuiduæ, nullum  
accidētis remanere in materia  
prima, sed fieri resolutionem  
vsque ad illam.

7. Nec etiam obstant (in-  
quunt) duæ solutiones, quibus  
huic auctoritati illudere cona-  
tur idem Suarez loco citato  
num. 55. quarum prima est,  
Aristotelem non dixisse, de-  
structa hac, vel illa substantia,  
destrui omnia accidentia, quæ  
sunt in ipsa; sed destructis pri-  
mis substantijs, quod est veris-  
simum; nam si substantiæ cor-  
ruptæ non succederet alia, non  
manerent accidentia; vnde  
sensus illorum est (inquit Sua-  
rez) quòd destructis primis  
substantijs, & non genitis alijs  
de nouo, nullum accidētis ca-

rum perseveret. Tum, quia  
Aristotelis numquam in men-  
tem venit, posse aliquam pri-  
mam substantiam consumi,  
quin ex materia eius contin-  
gat, alteram generari: ergo cū  
loquatur de corruptione, quæ  
ipse asserit, & ratione il-  
lius dicat non permanere ali-  
quid eorum, quæ in ipsa prima  
substantia sunt, planè sequitur,  
eum non loqui nisi de corrup-  
tione substantiæ particularis,  
& cui generatio alterius sub-  
stantiæ particularis succedit.  
Tum etiam, quia gratis admis-  
so, quòd intendit Suarez, scilicet,  
Aristotelem solum loqui de  
corruptione primæ substā-  
tiæ in casu, quòd ex eius mate-  
ria non fieret noua generatio,  
sed maneret materia prima,  
nulla affecta forma substāntiali,  
adhuc specialiter contra ip-  
sam pugnat auctoritas Ari-  
stotelis; siquidem ipse specialiter  
asfirmat, materiam ex se,  
ita esse capacem recipiendi in  
se quantitatem, vt in hypothe-  
si, quòd corrupto composito  
substantiali, nō sequeretur noua  
generatio; sed maneret ma-  
teria desitura omni forma,  
maneret in dicta materia quā-  
titas corrupti, & alia acciden-  
tia, quæ conueniebant illi ra-  
tione quantitatis, quod est cō-  
tra Aristotelem asserentem, de-  
structis primis substantijs, nihil  
corrupti, quæ in ipsis erant, posse remanere.

8. Secunda solutio est, quia  
data hypothesi, quòd Aristot.



loquatur de corruptione substantiæ particularis, intelligendus sic est (inquit Suarez) quod destructa prima substantia omnino, id est, non solum secundum totum, sed etiam secundum partem, atque ideo etiam secundum materiam, non posset aliquid eorum, quæ antea in ipsa existebant, permanere; si tamen prima substantia in ratione totius destruat, & pars maneat, nihil impedit, aliquid in illa manere, nam sicut destructo Petro, manet intellectus in anima, ita manente materia, poterunt in illa quantitas, & alia accidentia remanere. Sed contra hanc solutionem est; quia non minus est contraria menti Aristotelis, quæ præcedens; quia cum Aristoteles non cognouerit desitionem totius primæ substantiæ, quæ est annihilatio, sicut nec creationem, quæ est ex nihilo, nõ potuit de tali desitione loqui. Neque obstat, quod in corruptione hominis maneat anima cum omnibus suis spiritualibus accidentibus; imò in nostra, & Scotica doctrina de forma corporeitate, maneat idem numero corpus cum eadem numero quantitate, & alijs materialibus accidentibus; nam vt statim dicam explicando nostram, & Scoti sententiam; Aristoteles loquitur, de totali, & completa corruptione primæ substantiæ, & quæ habet necessariam connexionem cum noua genera-

tione, qualis non est corruptio hominis, sumpta pro separatione animæ a corpore, quovisque corpus in cineres, vel vermes transfmutetur.

9. Auctores vero, qui etiam si cum præcedentibus sustinebant, in nullo ex entibus naturalibus, etiam si viuentia sint, dari duplicem formam substantialem; dissentiebant tamen ab illis, quia sustinebant, quantitatem, & cetera corporalia accidentia per se, & immediate subiectari non in toto composito substantiali, sed potius in materia prima: consequenter debent asserere, & de facto asserunt (inter quos præcipuus est Suarez) locis metaphysicis citatis, in corruptione, & noua generatione cuiuscumque entis naturalis non fieri resolutionem vsque ad materiam primam; sed in genito ex materia corrupti ad minus remanere quantitatem eandem numerum, quæ erat in corrupto, & ex alijs accidentibus, omnia illa, quæ non repugnant, sed potius sunt conformia formæ de nouo genitæ.

10. Precipuum fundamentum, quo auctores isti nituntur, sunt manifestæ illæ experientiæ, quibus experimur, eandem quantitatem, eandem figuram, eandem calorem, eandem cicatricem esse, & permanere in cadauere, seu corpore mortuo, quæ erant in viuente ante mortem, seu illius corruptionem. Et si-

mi-

militer in pomo, & in alijs heruis salutiferis à suis radicibus abscissis, vbi experimur eundem saporem, eundem odorem, eandemque virtutem sanatiuam, non obstante, quod desinant informari anima vegetatiua, & in ipsis alia de nouo forma substantialis generentur. Quibus accedit casus, in quo canis viuus maximo impetu rursus proijciatur, & in medio ascensus moriatur: tunc eo mortuo manet impulsus, quo sursum proiectus est, aliàs ultra non ascenderet, sed impulsus ille est idem numero cum prægresso in ipso, antequam moreretur: ergo in corruptione viuentis, & generatione noua cadaueris non fit resolutio vsque ad materiam primam. Minor in qua poterat esse difficultas, patet, quia non est assignabile aliquid agens, à quo alius diuersus numero impulsus produceretur; siquidem non produceretur à proijciere, qui longè abest, neque à cadauere genito, quod in centrū potius, quam in locum sursum inclinatur, & ira ascensus illi resistit; neque ab aère magna velocitate continuo subintrante ad replendum vacuum, quod relinquuntur ab illo corpore cadauerico; tum quia aër ille, vt constat, non potest imprimere tantam vim illi corpori, quantum requiritur ad hoc, vt cum velocitate iam dicta sursum ascendat; tum etiam, quia aliàs

motus ille sursum numquam cessaret, sicut nec cessat subintratio aëris in locum, quem relinquunt cadaueres: nec demum à causa vniuersali; quæ sola superesse videtur, cum hæc naturæ rerum se attemptet, & in cadauere illo deorsum inclinante, etiam ipsa ad hoc, vt cadauer deorsum tendat, influat, seu inclinet.

11. Nec valet communis solutio, scilicet, quantitatem cadaueris, figuram, calorem, cicatrices, &c. esse re vera diuersa numero à quantitate, figura, calore, cicatricibus, &c. quæ erant in corpore viuo, licet à sensibus eadem numero iudicentur propter similitudinem, quam habent in specie, in quo dicunt sensus decipi, & ideo esse corrigendos ab intellectu; quia hoc effugium multis impugnatum est quæst. præcedenti à numero 13. vsque ad 16. & etiam numero præcedenti, loquendo de impulsu, quo canis viuus proijcitur sursum, in casu, quo moriatur in medio ascensus.

12. Nos autem, qui cum Scoto distinximus inter entia naturalia inanimata, vt sunt aër, aqua, &c. ex vna parte, & entia naturalia animata, seu viuentia, vt sunt homo, canis, arbor, &c. ex alia: & loquendo de entibus inanimatis diximus, in eis solum dari vnicam formam substantialem, ex qua, & ex materia prima physicè componuntur;



tur; & similiter quantitatem, cæteraque accidētia, quæ mediâ quantitate eis conueniunt, in prædictis compositis, & non in materia prima immèdiatè inhærente, seu subiectari. Loquendo verò de entibus naturalibus animatis, seu viuētib; sustinūm; dari in eis duas formas substantiales in ratione actus, & potentie per se subordinatas, scilicet, formam corporeitatis, ex qua simul cū materia prima cōponitur corpus physicum, & organicum, & in hoc composito, quod etiam sit substantiale, est tamè quid incompletum, & in potentia ad hoc, vt per animam actuetur, & compleatur, immèdiatè subiectari, seu inhærente, tam quantitatem, quàm cætera alia accidētia materialia, quæ sunt, tam animatis, quàm inanimatis communia, & formam viuētis, quæ dicitur anima, ex qua, & ex corpore physico, & organico componitur, & resultat viuens, quod est cōpositum, non solum substantiale, sed etiam completum, & in vltima actualitate substantialis constitutum; & in hoc composito, etsi subiectetur, & inhæreant in diuersis organis ipsius omnia accidētia, quæ conueniunt ei ratione animæ; non tamen in ipso subiectari quantitatem, & cætera accidētia materialia, quæ communia sunt, tam animatis, quàm inanimatis. Nunc propositæ

quæstioni sub eadem distinctione duplici cōclusionone respondendum, & satisfaciendum est.

13. Prima conclusio: in corruptione, & noua generatione entium naturalium inanimatorum, vt sunt *aër, aqua, ignis, &c.* fit resolutio vsque ad materiam primam. Ratio est, quia cum in his entibus naturalibus solum detur vnica forma substantialis, & insuper in nostra sententia, quantitas, & cætera accidētia materialia, quæ eis conueniunt, non subiectentur, seu inhæreant immèdiatè in materia prima, sed in toto cōposito; necessarium simpliciter erit, quòd, quando vnum corrumpitur, & ex eius materia aliud generatur, nihil eorum, quæ erant incorrupto, tam substantiale, quàm accidentale (excepta materia) maneat in eo, quod de nouo generatur, & consequenter, quod fiat resolutio vsque ad materiam primam.

14. Hanc conclusionem probant manifestè illæ duæ auctoritates Aristot. quas pro prima sententia adduximus, & latè expendimus supra à num. 4. & à num. 5. Neque ipsi contradicunt omnes illæ experientie, quæ profecunda sententia adductæ sunt, quas latè expendimus, tam in hac quæstione numero 10. & 11. quàm in quæstione præcedenti à num. 13. vsque ad 16. Quia si supradic-

tas experientias perpèdamus, solum reperiemus contingere in desitione, seu morte entis naturalis animati, seu viuētis, non verò in corruptione, & noua generatione entis naturalis inanimati; cum potius in his oppositum contingere experiamur, ac per consequens, quanto vtilis, & efficaces sunt ad probandum in desitione, seu morte entis naturalis viuētis non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, (quæ est diuersa conclusio) tãto inuiles, & inefficaces sunt ad probandum in corruptione, & noua generatione entis naturalis inanimati non fieri resolutionem vsque ad materiam primam; cuius oppositum sustinemus in hac prima conclusionem.

15. Secunda conclusio: in desitione, seu morte entium naturalium animatorum, seu viuēntium, vt sunt *homo, canis, plãta, &c.* non fit resolutio vsque ad materiam primam, quovsq; eorum cadauera, seu corpora inanimata corrumpantur, & ex eorum materijs alia composita naturalia generentur. Ratio est, quia cum in nostra, & Scoti sententia, in omnente naturali animato, seu viuēti sint duæ formæ substantiales, scilicet, forma corporeitatis, & anima, in ratione actus, & potentie per se subordinatæ, & consequenter sint duo composita substantia,

vnum incompletum, & imperfectum, scilicet, corpus physicum, & organicum, quod ex materia prima, & forma substantiali corporeitatis coalescit, & aliud completum, & perfectum, scilicet, viuens, quod ex corpore physico, & organico, tanquam ex potentia materiali, & ex anima, tantumquam ex actu vltimo formalis resultat. Et insuper in hoc cōposito completo, & perfecto, quod dicitur viuens solum inhæreant in diuersis partibus etherogenicis, seu organiceis, accidētia, quæ cōueniunt ei ratione animæ, vt sunt omnes operationes vitales; quantitas verò, & omnia alia accidētia materialia, quæ sunt communia, tam animatis, quàm inanimatis, non in ipso, sed in composito substantiali incompleto, & imperfecto, scilicet, in corpore physico, & organico subiectentur, & immèdiatè inhæreant; simpliciter necessarium est, (stando in his Scoticis principijs) quòd in desitione, seu morte viuētis, quæ solum consistit in separatione animæ à corpore, etsi desinat esse viuens, & consequenter omnes operationes vitales, quæ immèdiatè in illo inhærebant, non tamen desinat esse compositum incompletum, & imperfectum, scilicet, corpus, & consequenter, neque quantitas, & cætera accidētia, quæ in illo, dum erat viuens immè-



diatē subiectabantur, seu inhærebant; quovſque prædictum corpus paulatim, & ſucceſſivè corrumpatur, & ex eius materia noviter alia entia naturalia, vt ſunt cineres, aut vermes, generentur. Ac per conſequēs in deſitione, ſeu morte viventis, quæ in ſeparatione animæ à corpore conſiſtit, non fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, ſicut ſit in corruptione entis naturalis inanimati, & noua alterius entis naturalis inanimati generatione.

16 Hanc ſecundam conſolutionem probant manifeſtè experientia adducta pro ſecunda ſententia, quaſ latè ponderauimus locis ſupra num. 14. citatis. Neque ipſi contrariarum auctoritates Ariſtotelis adductæ pro prima ſententia, quaſ latè expendimus ſupra à num. 4. vſque ad 8. nam cum Ariſtoteles, dicit, *generationem, &*

## DISPUTATIO TERTIA.

### De alteratione entis naturalis.

**D**E alteratione entis naturalis agit Ariſtoteles (vt diximus in littera) cap. 4. huius libri, immediatè poſt tractationem de generatione, & corruptione. Sunt autem à nobis circa ipſam quinque examinanda. Primum, *quid ſit alteratio, & in quo à generatione differat?* Secundum, *quotuplex ſit alteratio?* Tertium, *verum alteratio ſit motus continuus?* Quartum, *quo pacto fiat intentio?* Quintum, *verum gradus intentionis ſint eiſdem rationis?* Alia quæſtio ſolet hic excitari à recentioribus, *an ſci licet, intentio qualitatum habeat terminum intrinſecum?* Sed quæſtionem iſtam latè exagitauiſus 1. Phyſicorum diſp. 5. quæſt. 6.

QVÆ-

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quid ſit alteratio, & in quo à generatione differat?*

**I**HÆC quæſtio vñ ſupponit, & duo inquiri. Supponit, dari in rerum natura alterationem, quod manifeſtiſſimum eſt experientia tactus, quo ſentimus, entia naturalia, modo calefactionibus, poſtea frigefactionibus alterari. Inquiri autem, quid alteratio ſit? & in quo differat à generatione ſubſtantiali?

2. Pro quorum ſolutione aduertendum eſt, nomen *alteratio* multipliciter vſurpari. Primo, & latiſſimè pro mutatione, à qua reſcit non alia, ſed altera; & in hoc ſenſu ſignificat, & comprehendit ſub ſe omnem mutationem accidentalē, modo ſit productiua qualitatis, modò quantitatis, vel cuiuſcumque alterius accidentis. Quia vt dixit Porphyrius capite de differentia, omnis differentia eſſentialis facit alium; omnis verò differentia accidentalis facit alterum, ſeu alteratum.

3. Secundò, & magis proprie, pro mutatione, qua per ſe terminatur ad ſolam qualitatem (quæcumque illa ſit) ſine ſpiritualē, ſive materialē, ſive habentē contrarium, ſive non, eo quòd qualitates, inter for-

mas accidentales ſunt, quæ magis proprie dicuntur, facere *alterum*, ſeu *alteratum*; & ex his alterationibus, quæ terminatur ad qualitatem, quæ non habet contrarium, dicitur *perfectiua ſubiecti*, eo quòd per eam ſubiectum ita perficitur, vt non deperdat aliquid poſitiuum ex his, quæ antea erant in ipſo; quæ verò terminatur ad qualitatem habentem contrarium, vocatur *corruptiua*, eo quòd ſubiectum, etiam ſi perficitur per ipſam, quatenus, mediante ea, recipit aliquam formam; tamen hoc non ſit abſque corruptione alterius formæ contrariæ.

4. Tertio, & propriiſſimè, pro mutatione, qua nò ſolum terminatur ad qualitatem habentem contrariam qualitatem, ſed etiam ſunt diuiſibiliter oppoſita, vt ſunt calor, & frigus; & conſequenter non poteſt prædicta qualitas produci in inſtanti, ſed potiùs natura ſua petie produci ſucceſſivè, & per verum motù, quæ ratione ſummiſit Ariſtoteles alterationem, dum 5. Phyſicorum, illā enumerauit inter tres ſpecies motus proprie ſumpti; & ſimiliter, dum 7. Phyſicorum dixit, alterationem ſolum per ſe terminari



minari ad qualitates tertie speciei.

5 Ad rem ergo; cum in hac questione inquirimus, quid sit alteratio, & in quo à generatione differat, sermo solum est de alteratione intertia, & propriissima acceptione sumpta; nam de hac alteratione (quæ dispositiua est ad generationem, & corruptionem substantialem) disputat Aristoteles in 4. capite huius libri, quamuis ex his, quæ de eius natura, & proprietatibus dicemus, multa applicari possint, & debeant ad alias alterationes, propter conuenientiam, quam alteratio ista, quæ dispositiua appellari solet, cum alijs alterationibus habet.

6 His suppositis ad primum, quod inquirat quæstio, respondemus, alterationem esse mutationem, quæ inter contrarias qualitates, & diuisibiliter oppositas versatur. In qua definitione ponitur loco generis *mutatio*, in quo conuenit alteratio cum alijs mutationibus, scilicet, cù generatione, augmentatione, loci mutatione, &c. Reliquæ particulae ponuntur loco differentiæ. Nam per hoc, quod est, versari inter qualitates, differt, non solum à generatione, quæ (vt dictum est) non inter qualitates, sed inter substantialem formam, & eius priuationem versatur; sed etiam differt ab augmentatione, quæ versatur inter quantitates; & loci mu-

tatione, quæ versatur inter diuersa ubi: & per illa verba *contrarias, & diuisibiliter oppositas* differt alteratio propriissime sumpta, de qua loquimur, ab aliquibus mutationibus, quæ etiam si terminentur ad qualitates; & ideo possint appellari alterationes, sed non propriissime, sed solum proprie; & in secunda acceptione ex tribus enumeratis, vel quia non versantur inter qualitates contrarias, vt sunt illuminatio, & productiones specierum intentionaliū, & similiter productiones sonus, & impulsus iuxta dicta 8. Physicorum, disput. 2. quæst. 4. Vel si versantur inter qualitates contrarias; non tamen sunt diuisibiliter oppositæ, vt sunt fides, & infidelitas, scientia, & error, volitio, & nolitio, quæ eo ipso non sunt mutationes successiuæ, sed instantaneæ, & consequenter, neque propriè motus, sicut sunt alterationes, de quibus loquimur.

7 Ad secundum, quod inquirat quæstio, dicimus, præter generalem distinctionem, quam posuit Aristoteles 5. Physicorum, inter generationem, & ceteros accidentales motus ex parte termini à quo, videlicet, generationem esse mutationem à non subiecto in subiectum, id est, inter terminos contradictoriè oppositos; alterationem in verò, & ceteros accidentales motus esse mutationes à subiecto in subiectum, id est, inter

terminos positiuos, & contrariè oppositos, sumpta contrarietate (vt ibidè explicuimus) pro naturali impotentia ad fieri in instanti. Nunc dicimus, differre etiam alterationem à generatione ex parte termini ad quem; nam generatio terminatur per se ad substantiam; alteratio verò ad qualitatem, ex qua differentia sequitur secunda, scilicet, generationem, quantum est ex natura sua, esse mutationem instantaneam; siquidem per se terminatur ad substantiam, quæ non habet contrarium, id est, partes, quæ natura sua petant successiuè acquiri, quæ est conditio ex Aristotele 5. Physicorum ad motum successiuum simpliciter requisita; at alteratio ex natura sua est motus successiuus, cum terminetur ad qualitatem habentem in subiecto, in quo producit, qualitatem sibi diuisibiliter oppositam, & consequenter partes, quæ natura sua petant successiuè acquiri. Tertia differentia est, quòd subiectum alterationis est totum compositum substantiale; nam habet pro termino qualitatem, quæ vt visum est disputatione precedenti, quæstio 5. subiectatur in toto composito substantiali: at generationis subiectum est materia prima; nam habet pro termino formali, formam substantialem, quæ immediatè

venit, & informat materiam primam. Et loquor de generatione substantiali in animatorum, & etiam animatorum, seu viuientium in suo initio, & quatenus est productio substantiæ corporis physici, & organici, & quasi præuia dispositio ad productionem viuientis; nam si generatio viuentis sumatur pro sola vnione animæ ad corpus physicum, & organicum; constat ex dictis disputatione precedenti, quæstio 4. & 5. ex mente Aristotelis subiectum eius immediatum non esse materiam primam, sicuti neque est anima, sed quoddam compositum substantiale incompletum, & imperfectum, scilicet, corpus physicum, & organicum.

## QVÆSTIO II.

### Quotuplex sit alteratio?

I CONVENIUNT omnes (vel saltem conuenire debent, ipsa experientia conuincente) alteratione propriissime sumptam, scilicet, pro mutatione, quæ inter contrarias qualitates, & diuisibiliter oppositas versatur (quæ est acceptio alterationis, de qua nos cum Arist. nunc loquimur) quadrupliciter considerari posse.



posse. Primò prout est, productio qualitatis in subiecto habente non solum qualitatem contrariam, sed etiam qualitatem, quæ de nouo producit diuisibilitatem oppositam. Et in hac consideratione hæc mutatio dicitur simplex, & sine addito *alteratio*. Secundò prout non solum est productio supradictæ qualitatis, sed etiam, prout illam extendit in diuersas partes subiecti: & in hac consideratione hæc mutatio dicitur *alteratio extensiuæ*. Tertiò prout qualitatem per ipsam productam in eadem parte subiecti illam perficit. Et in hac consideratione, hæc mutatio dicitur *alteratio intensiuæ*. Quartò prout per qualitatem per ipsam productam in aliquo subiecto, qualitas contraria, & diuisibiliter opposita qualitati productæ, præexistens in dicto subiecto, debilitatur, seu remittitur in sua perfectione; & in hac consideratione hæc mutatio dicitur, *alteratio remissiuæ*.

2 Sed quamuis in prædictis omnes conueniant (vel saltem ut dixi, ipsa experientia conuincere, omnes conuenire debeant) nihilominus cõtrouersia est inter auctores circa duo. Primum est, an alteratio remissiuæ sit mutatio positiuæ? an verò negatiuæ? non secus, ac supra philosophatum est de corruptione substantiali. Secundum est, an alteratio, quam appellamus simplicem, & si-

ne addito, & alterationes, quas appellamus cum addito, scilicet, alterationem extensiuam, & alterationem intensiuam, ad inuicem comparatæ, sint mutationes essentialiter diuersæ, an solum sint distinctæ accidentaliter? quæ duo in præsentia petunt examinari.

3 Circa primum, Durandus in 1. distinctione 17. quæst. 7. tenet, alterationem remissiuam esse mutationem, seu motum positiuum. Sed vera, & recepta sententia est, alterationem remissiuam non esse mutationem, seu motum positiuum, sed potius in negatione, seu suspensione alicuius positiuum motus, seu influxus consistere, non secus, ac supra dictum est de corruptione substantiali, & infra dicemus in disputatione sequenti de diminutione; cuius ratio est, quia etiam si alteratio remissiuæ terminetur ad qualitatem minoris perfectionis; tamen terminus per se remissiuus non est qualitas, quæ denominatur minus perfecta, neque ipsa relatio minoritatis; sed priuatio alicuius gradus perfectionis, quæ priuatio est fundamentum proximum illius relationis minoritatis; cõstat autem motum per se tendentem ad priuationem non posse esse quid positiuum, sicuti neque est eius terminus per se, ad cuius prædicamentum reducitur.

4 Ex quibus inferes primò, alterationem remissiuam plusquam genere distare ab alijs tribus alterationibus ex quibus supra numeratis, non secus, ac dictum est de corruptione, & generatione substantiali, disputatione præcedenti, quæstione 2. numero 2. siquidem alia tres alterationes sunt veri motus, seu influxus; alteratio verò remissiuæ non est verus motus, seu influxus; sed potius consistit in priuatione influxus, quo qualitas, quæ remittitur, in sua maiori perfectione conservabatur ante introductionem qualitatis sibi diuisibiliter oppositæ in eodem subiecto, quæ est, quæ petit suspensionem, seu priuationem illius perfecti influxus, non simpliciter, sed quoad aliquam partem perfectiuam illius.

5 Inferes secundo, quòd etiãsi remissionem, quæ fit per productionem qualitatis diuisibiliter oppositæ in eodem subiecto, in quo est qualitas, quæ remittitur, semper comitetur aliquis verus, & positiuus motus, scilicet, ille, per quem producit, & intenditur qualitas diuisibiliter opposita, quæ est causa formalis mediata remissionis; ac per consequens in his enuntiarum possit, *intensio minus qualitatis est remissio alterius*, nihilominus prædictum affirmatum non esse intelligendum in sensu formali, neque in sensu idèntico, sed solum in sensu causa-

li, seu ut alij dicunt, & in idem incidit, per concomitantiam illatiam, non secus, ac in disputatione præcedenti, quæstione 3. explicatum est illud proloquium Aristotelis, *generatio minus, est corruptio alterius*.

6 Circa secundum, cursus Carmelitans disputatione 4. de alteratione, quæstione 2. & Magister Ioãnes à Sãcto Thoma quæstione 3. de alteratione, artic. 1. ut sine cõtrouersia supponunt, *alterationem simplicem, alterationem intensiuam, & alterationem extensiuam, essentialiter, & specificè differre*; & probant, quia istæ alterationes differunt per diuersas connotationes ipsi intrinsecas. Nã *alteratio simplex* cõnotat in subiecto necessãriò negationem qualitatis eiusdem speciei cuncti illa, quæ de nouo per ipsam producit. *Alteratio intensiuæ* cõnotat necessãriò in eadem parte subiecti existentiam qualitatis in gradu remisso, quæ per ipsam robustior fiat, vel per additionem alicuius gradus perfectionis ad præexistentes gradus, vel per maiorem eradicationem illius in subiecto, iuxta diuersas sententias, quæstione 4. infra examinandas. Et demum *alteratio extensiuæ* cõnotat necessãriò qualitatem eiusdem speciei præ-existentm in vna parte subiecti, quæ per ipsam continuè diffundatur, & extendatur ad alias partes subiecti: quod



confirmant exemplo augmentationis, quæ secundum Aristotelem in hoc libro textu 31. non consistit in noua productione quantitatis; hanc enim potius generationem quantitatis, quam augmentationem appellat; sed in additione nouæ partis quantitatis ad quantitatem præexistentem: ergo idem erit dicendum cum proportione debita de alteratione, tam extenta, quam intensua ad alterationem simplicem comparata: verba Aristotelis sunt, *Amplius autem talis transmutatio non augmentatio nis propria, sed generationis, augmentatio enim est in existentia magnitudinis additamentum; diminutio autem minoramentum; ideo oportet habere aliquam magnitudinem id, quod augetur: qua proprie non ex materia, sine magnitudine oportet esse augmentationem in actu magnitudinis. Generatio enim, utique erit magis corporis, non augmentatio.*

7. E contrario verò non desunt auctores, qui affirmant, alterationem simplicem, alterationem intensiuam, alterationem essentialiter diuersas, sed solum differre accidentaliter. Et probant, quia habent eandem terminos formales, tam ad quos, quam à quibus, qui sunt vnde mutationes, seu motus sumunt suam specificationem. Assumptum probant; & in pri-

mis habere eosdem terminos formales ad quos, eosdem, inquam, secundum speciem, & solum accidentaliter diuersos, videtur eis manifestum; nam alteratio (verbi gratia, qua aliquid calefit) quæ dicitur simplex, per se terminatur ad nouum calorem. Alteratio verò, quæ dicitur intensiua (in veteri sententia) per se terminatur ad nouam partem, seu gradum caloris, priori calori in eadem parte subiecti superadditum; & demum alteratio, quæ dicitur extensiua, per se terminatur ad nouam partem caloris, priori calori superadditam, non in eadem, sed in diuersa parte subiecti: constat autem, calorem, & partem caloris in eadem parte, vel diuersa subiecti superadditam, esse eiusdem speciei, & solum accidentaliter differre.

8. Deinde habere etiam terminos à quibus eiusdem speciei, & solum accidentaliter distinctos, ex eo probant; quia sicut alteratio simplex (verbi gratia, calefactio) habet pro termino à quo frigiditatem, causantem in subiecto, in quo est, priuationem caloris producendi, & sic est motus à contrario in contrarium: ita alteratio intensiua habet pro termino à quo partem, seu gradum frigiditatis, causantem in eadem parte subiecti, (in

(in qua est aliquis gradus caloris) priuationem gradus caloris producendi. Et similiter alteratio extensiua habet pro termino à quo partem frigiditatis, causantem priuationem caloris producendi, non in illa parte subiecti, quæ iam est calida, sed in illa, ad quam extenditur calor. Constat autem, frigiditatem totalem, causantem priuationem caloris totalis, solum differre accidentaliter à parte frigiditatis causante priuationem partialis caloris in eadem, vel diuersa parte subiecti, quod supponitur aliquale, vel secundum aliquam partem calidum; & consequenter hos motus habere essentialiter eundem terminum à quo, licet accidentaliter diuersum.

9. His addunt non solum, istas tres acceptiones alterationis non esse essentialiter diuersas, sed neque esse realiter distinctas, præsertim in sententia probabiliori, quæ, ut videbimus in quæstione 5. sustinet, non solum extensionem qualitatis, sed etiam eius intensiorem fieri per additionem partis, seu gradus qualitatis ad partem, seu gradum præuium. Cuius rationem assignant, quia cum per alterationem non producatu indiuisibile qualitatis, sed qualitas diuisibilis, tam secundum extensionem, quam intensiorem, non poterit dari actio productiua qualitatis eius, quæ præsupponit in subie-

cto, diuisibiliter opposita, & consequenter, quæ sit propriissima alteratio, quin eadē numero actio sit intensiua, & extensiua eiusdem qualitatis, quæ producitur. Neque etiam poterit contrario dari actio intensiua qualitatis, quin etiam sit productiua, & extensiua illius gradus, quo qualitas intenditur, & idem est iudicium de quacunque actione extensiua qualitatis; non enim potest reperiri sine actione productiua, & intensiua illius gradus, seu partis qualitatis, secundum quem dicitur qualitas extendi. Sed in hac controuersia distinctione ops est, quæ facta, duas supradictas sententias, quæ videntur esse opposita, in concordiam reducemus. Ut enim sæpe dictum est, sed specialiter, disputat. 1. huius libri, quæst. 4. num. 21. loquendo de distinctione, quæ versatur inter generationem hominis, & eius resurrectionem, & magis ex professo 5. Physicorum, disp. 2. quæst. 1. mutationes, seu motus, quales sunt alterationes istæ, de quibus nunc loquimur, dupliciter considerari possunt. Primò materialiter, & in esse rei, scilicet, pro fieri rei, quæ producitur, seu quod id est, pro te, quæ producitur, dum est in fieri, & in hac consideratione vera est secunda sententia, quæ sustinet, supradictas alterationes non esse essentialiter, sed solum accidentaliter



diuerſas; & hoc conuincit eius fundamentum, ſcilicet, terminos ad quos ipſarum, ſi in eſſe rei conſiderentur (qua ratione in dicta acceptione conſiderari debent) eſſe eiufdem ſpeciei, & ſolum, ſecundum diuerſas connotationes accidentaliter diſſerre; nam cum mutationes, vel motus, materialiter, & in eſſe rei ſumpti, non ponatur per ſe in aliquo prædicamēto, ſed reducantur ad prædicamētum, imò & ad ſpeciem ſui termini in eſſe rei conſiderati, neceſſarium ſimpliciter erit, quòd ſi termini iſtarum alterationum in eſſe rei non ſunt eſſentialiter, ſed ſolum ſecundum diuerſas connotationes, eis extrinſecas, accidentaliter diſtincti, quòd etiam iſta alterationes, ſi materialiter, & in eſſe rei conſiderentur, non ſint eſſentialiter, ſed ſolum accidentaliter diuerſæ.

**I** 1. Secundò conſiderari poſſunt ſupradictæ alterationes formaliter, id eſt, in quantum ſunt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia, qua ratione, in quantum ſunt actus entis in potentia actiua, dicuntur actiones, & in quantum ſunt actus entis in potentia paſſiua, dicuntur paſſiones, & in quantum ſunt actus entis in potentia obiectiua, dicuntur motus, & in hac conſideratione vera eſt prima ſententia, quæ docet has alterationes, formaliter, & vt motus ſunt conſideratæ, eſſe motus

eſſentialiter, & ſpecificè diſtinctos: & hoc conuincit eius fundamentum; licet enim illæ connotationes diuerſæ, quas dicunt, non ſint intrinſecæ, ſed potius extrinſecæ prædictis mutationibus materialiter, & in eſſe rei conſideratis; ſunt tamè eis intrinſecæ, ſi formaliter, & in eſſe motus conſiderentur.

**I** 2. Neque obſtat, quòd termini earum, tam à quibus, quàm ad quos, in eſſe rei ſint eiufdem ſpeciei; quia vt locis citatis latius diximus, & multis exemplificauimus, licet motus materialiter ſumpti ſpecificentur à terminis in eſſe rei conſideratis, tamen ſi ſumantur formaliter, & in ratione motus, non à terminis materialiter, & in eſſe rei conſideratis ſpecificatione ſumunt; ſed à terminis conſideratis formaliter, & in eſſe terminorum: conſtat autem, qualitates, quæ terminant ſupradictas alterationes, etſi materialiter, & in eſſe rei ſint eiufdem ſpeciei, non tamè ſi formaliter, & in eſſe terminorum prædictarum alterationum conſiderentur.

**I** 3. Neque etiam obſtat id, quòd auctores ſecundæ ſententiæ num. 9. obijciebant, ſcilicet, quòd cum per alterationem non producatur indiuiſibile qualitatis, ſed qualitas diuiſibilis, tam ſecundum intentionem, quam ſecundum extenſionem, non poterit dari alteratio productiua ſubſtantiæ, quin eadem nu-

numero actio ſit etiam alterationis intenſiua, & extenſiua eiufdem qualitatis. Hoc, inquam, non obſtat; nam nihil vetat, quòd eadem numero res ſecundum diuerſas formalitates ſpectet, ad diuerſas ſpecies. Nam de actione, & paſſione affirmant Ariſtoteles 3. Phyſicorum eſſe idem realiter in motu, habere tamè aliud, & aliud, quidquid erat eſſe, id eſt, alia, & aliana quidditatem, ſeu eſſentiam. Imò in Logica cap. 4. categoriarum, diſput. v. unica, quæſt. 3. cum Scoto, & Ariſtotele ſtatuitur, poſſe eandem numero rem accidentalem, ſecundum diuerſas rationes generales afficiendi ſubſtantiam, ſpectare ad diuerſa prædicamenta accidentium.

### QVÆSTIO III.

*Vtrum alteratio ſit motus continuus?*

**I** **E**X dictis quæſtione 1. conſtat, alterationem propriſſimè, & in tertia acceptione ſumptam (quæ eſt, de qua nunc loquimur) eſſe mutationem ſucceſſiuam, & conſumētem tempus; ac per conſequens verè, & propriè motum, modo, vt extenſiua, modo, vt intentionem conſideretur. Sed quia motus ſucceſſiuus, & contumens tempus, poteſt eſſe diſcretus aliquibus quietibus temporali- bus, & ſimiliter poteſt eſſe cō-

tinuus, id eſt, nulla quiete temporali interruptus, ſed potius omnes partes eius terminis cōmunibus copulata, ſeu coniuſta; idèd merito nunc inquiremus, an alteratio, tam extenſiua, quàm intenſiua ſint motus continui?

**2** Et præſuppono, in hac dubitatione, ſeu quæſtione, nos non procedere in via Zenonis, & aliorum Stoicorum (quos aliqui recētorum ſunt ſequuti) aſſertionum, omne continuum, etſi componatur ex partibus diuiſibilibus, ſed non diuiſibilibus in infinitum, ſed in diuiſione continui facta per partes proportionales minores, & maiores deueniendum eſſe ad aliquas partes omnino indiuiſibiles, ex quibus primò, ſeu à principio omne continuum coaleſcat, imò per earum nouam, ac nouam productionem, qualitates (quæ ſupponūt in eadè, vel diuerſa parte ſubiecti, qualitates contrarias, & ipſis diuiſibiliter oppoſitas) intenduntur, vel extenduntur: ex quibus principijs coacti ſunt aſſerere, non ſolum dari per ſe motum ad hæc indiuiſibilia, ſed etiam hæc indiuiſibilia eſſe capacia, tam intentionis, quàm extenſionis, non ſecus, ac ſunt partes diuiſibiles, quæ ex ipſis componuntur; ſed cū hoc diſcretimine, quòd indiuiſibilia extenſionum, ſolum ſunt capacia latitudinis intenſiua, indiuiſibilia verò intentionum



solum sunt capacia latitudinis extensiuæ. Vnde, cum ad examen proponitur quæstionis accedunt, multastricas, imò & cõtradictiones inuolunt, quas expendere non ad nos, qui diuersa viagradimur, sed ad Zenonitas itos recentiores spectabit.

3. Procedimus ergo in hac quæstione in via Peripateticorum, quam Aristotele duce, ingressi sumus 6. libro Physicorum, disput. 1. quæstione 2. afferentium, omne cõtinuum, siue permanens, siue successiuum sit, non solum componi ex partibus diuisibilibus, sed etiam ex partibus diuisibilibus in infinitum; ita vt in diuisione continui (si per partes proportionales minores, & minores fiat) non possimus deuenire ad aliquas omninò indiuisibiles, & consequenter defendit, indiuisibilia, quibus partes continui copulantur, non solum non posse per se produci, seu terminare motum, sed semper componi ad productionem partium continui, quas copulant; sed neque esse capacia latitudinis intensiuæ, vel extensiuæ; quia vtraque ista latitudo solum competit qualitativis, vel paribus, ex quibus coalescunt; & manifestum est, indiuisibilia qualitatum neque esse qualitates, neque partes, ex quibus qualitates coalescunt, sed solum nexus, seu terminos communes, quibus

partes qualitates, tam in sua extensione, quam in sua intensiõne copulantur.

4. His suppositis. circa propositam quæstionem. Prima sententia affirmat, alterationem (modò vt intensiuæ, modò vt extensiuæ consideretur) non esse motum continuum; quia etiam si non fiat in vnico instanti, non tamen fit in tempore cõtinuo; quia producta in vno instanti (exempli gratia in calefactione manus) minima parte, vel minimo gradu caloris, in tempore immediatè sequenti quiescit calefactiuum a calefactione, tam extensiuæ, quàm intensiuæ, & in instanti sequenti producit alia minima pars, vel minimus gradus caloris, & sic de alijs, ac per consequens, totus ille motus alterationis, tam extrinsecus, quàm intensiuus solum coalescit ex pluribus mutationibus indiuisibilibus, & discretis. Ita Capreolus in 1. diu. 17. quæst. 2. art. 2. Soncinas 8. Metaph. q. 22. Tabellus, & Ferrara 8. Physicorum, quæst. 7. Arriaga hic disputat. 2. num. 33. & quoad alterationem extensiuam idè defendunt Agidius 1. lib. de generatione, quæst. 16. & Iandunus 8. lib. Physicorum quæstione 8.

5. Probari potest hæc sententia 1. ex Aristotele 3. nam 8. Physicorum textu 23. non solum negat alterationem, tam intensiuam, quàm extensiuam esse

esse continuam, sed subdit hæc verba, *Dicere alterationem fieri cõtinuè est aduersari valde manifestè*: & libro 6. textu 58. vniuersaliter docet, motus, qui versatur inter terminos contrarios (quales sunt alterationes, de quibus loquimur) non posse continuari.

6. Secundo probari potest ratione fundamentali: existimant enim auctores isti, tam in extensione, quàm in intensiõne qualitatum, quando sunt inter contraria, & diuisibiliter opposita via generationis, dari terminos intrinsecos paritatis, id est, partem, vel gradum qualitatis, ita minimum, vt sub minori parte extensionis non possit incipere qualitas extendi, nec sub minori gradu intensiõnis non possit incipere qualitas intendi. Supposito isto fundamento, ad probandam suam sententiam, hanc faciunt rationem. Calor (exempli gratia) cum incipit extendi in noua parte subiecti, vel incipit intendi in eadem parte subiecti, extenditur, vel intenditur per productionem instantaneam primæ partis caloris, vel primi gradus intensiõnis; ergo idem continget, quando per continuationem intensiõnis producitur secunda pars caloris, vel per continuationem intensiõnis producitur secundus gradus caloris, & consequenter non poterit calor, neque extrinsecus ad diuersam partem subiecti,

neque intendi in eadem parte subiecti continuè, sed per productiones instantaneas discretas quælibet temporaliibus. Antecedens, in suppositione facta ab his auctoribus, est necessarium; nam si verum est, tam in extensione, quàm in intensiõne qualitatis, via generationis dari terminos intrinsecos paritatis, id est, partem, vel gradum qualitatis, ita minimum, vt minor dari non possit, necessarium erit, vt tam ista minima pars qualitatis, quàm iste minimus gradus non in tempore, sed potius in instanti incipiant esse, cum in indiuisibili versus paritatem consistant. Prima consequentia probatur ex eo, quod secunda pars qualitatis, proportionabilis est cum prima, & similiter secundus gradus intensiõnis, etiam proportionabilis est cum primo; ergo si prima pars qualitatis, & primus gradus intensiõnis in indiuisibili consistunt, & idè non sunt in tempore, sed in instanti, idem dicendum erit, tam de secunda parte qualitatis, quàm de secundo gradu intensiõnis. Secunda verò consequentia est manifesta; nam manifestum est, in Peripatetica doctrina duo indiuisibilia, & consequenter duo instantia temporis non posse esse immediata, sed necessariò debere mediare aliquam partem temporis inter illa.

7. Tertiò probari potest à pe-



teriori, id est, ex inconueniētiā, quod sequeretur, ex eo quod alteratio, tam extensiuā, quam intensiuā, qui motus successiuus, & consumentes tempus sunt, essent similiter motus continui, & non mutationes (etsi successiuæ) instantaneæ, discretæ, & determinatæ. Sequeretur enim, inquirunt, quod in quocumque instanti temporis, quo durant isti motus, verificari posset, extensam esse qualitatem ad nouam partem subiecti, & similiter intensam esse qualitatem per nouum gradū intensiōnis, quod est absurdū; nam sicut in quacumque parte temporis, etiam minutissima, sunt assignabilia infinita instantia: ita in quacumque extensiōne, etiam minutissima, essent assignabiles infinitæ partes qualitatis, extensæ in infinitis partibus subiecti, & in quacumque intensiōne, etiam minutissima, essent assignabiles infiniti gradus intensiōnis in eadem parte subiecti.

8 Sed hæc sententia falsa est, & contra commune omnium interpretum Aristotelis placitum, qui sustinent cum ipso locis statim citandis, alterationē, tam extensiuam, quam intensiuam esse motum, non solum successiuum, & consumens tempus, sed etiam continuum, ac per consequens fieri in partibus continuis temporis, quo durat, & non in instantibus discretis, & terminatiuis partium

temporis, vt auctores primæ sententia contendebant. Ita Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 2. Dicitur Thomas hoc in libro textu 84. lectiōne 24. & in 2. dist. 5. quæst. 2. artic. 1. & 2. 2. quæst. 24. art. 2. & omnes Scotistæ, & Thomistæ, tam veteres, quam recentiores, quos citant, & sequuntur Patres Carmelitani hic, disp. 4. quæst. 10. §. 2. num. 132.

9 Probari potest primò hæc nostra, & communis sententia, ex ipso Aristotele, qui 5. Physicorum textu 18. docet, alterationem, de qua nunc loquimur, esse vnam ex tribus speciebus motus propriè sumpti, & vt distinguitur a mutatione instantanea; & ibidem textu 35. de his motibus propriè sumptis subdit, esse cōtinuos: & textu 41. ait, motum esse vni numero, si fiat tempore cōtinuo; nam si interrumpatur tempus, ita, vt mobile aliquantum quiescat, & postea moueatur, iam nō erit vnus numero motus, sed duo numero distincti: & 6. libro Physicorum docet, quod sicut in instantibus non est tempus, neque in punctis magnitudo, sed hæc, & illud habet partes diuisibiles in infinitum, & neutrum componitur ex indiuisibilibus, ita etiam motus non sunt in instanti, neque componuntur ex indiuisibilibus, sed ex partibus continuis, & diuisibilibus in infinitum.

10. Secundò probari potest rationibus; sed aduertendo prius, (ne in æquiuoco laboremus) dupliciter posse aliquem motum appellari continuum: vel quia nunquam cessat, quæ ratione motus casu appellatur cōtinuus: vel quia, etiam si aliquando interrumpatur, & mobile maneat sine illo; nihilominus, quando est, suam habet cōtinuitatem. Cum ergo asserimus, motum alterationis, tã extensiuæ, quam intensiuæ, esse continuum, non loquimur de priori cōtinuitate, nam satis manifestum est, motum alterationis, tam extensiuæ, quam intensiuæ, non semper durare, sed sæpe cessare, vel ob maiorem resistentiā passi, vel ex defectu virtutis in producendo, vel seruando, vel ex defectu applicationis requisitæ inter agens, & passum, & alijs similibus causis. Sed loquimur de posteriori cōtinuitate, & in casu, quod ad agendū adit omnia requisita, scilicet, in agente, vel seruante virtus necessaria ad producendum, vel seruandum motum alterationis, & in passu capacitas ad talem motum recipiendum, & insuper approximatō requisita, & quod eius resistentia nō sit tanta, vt totaliter impediat motum alterationis.

11. Hoc supposito; prima ratio pro nostra, & cōmuni sententia desumitur ab ipsa experientia, qua experimur, calore

(exempli gratia) extendi, & intendi per manum igni applicatam non solum successiuè, sed etiam continuè, & absque vlla morula, seu quiete temporali.

12. Respondent aduersarij, calorem in manu igni applicatam extendi, & intendi, non continuè, sed discretè; videri tamē à nobis extendi, & intendi cōtinuè; quia morulæ, seu quietes temporales, quibus fit ista discretio, propter suam paruitatem, imperceptibiles sunt à nobis.

13. Sed in primis, sicut hoc gratis, & sine experientia, vel efficaci ratione dicitur, ita facile contemnitur: præsertim, quia si in sententiā aduersariorum morulæ, seu quietes, quibus discretæ sunt partes motus alterationis, temporales, & consumentes tempus sunt: productiones verò caloris, tam extensiuæ, quam intensiuæ, instantaneæ, & nullum consumentes tempus sunt; maiores profecto erunt istæ morulæ, seu quietes, quam alterationes partiales, tã extensiuæ, quam intensiuæ, ex quibus motus totalis alterationis coalescit, & consequenter, si adessent, essent à nobis magis perceptibiles, cuius oppositum ostendit experientia.

14. Deinde interrogo, cur in illis morulis cesset ignis ab actione calefaciendi manū, tam extensiuam, quam intensiuam? & cur iterum ad illam redeat? cū ignis



ignis in calefaciendo manum, non sit agens liberam, sed naturalem, & contingere potest, quod habeat semper eandem virtutem agendi, & eandem approximationem ad passum, imò fortè maiorem.

15 Respondent aduersarij, hoc provenire ex in dispositione subiecti ad recipiendum vltiorum partem, vel gradum qualitatis, quæ in dispositio, cum vinciri debeat successiuè, & in tempore, hinc esse, vt necessarium sit, quod ignis quieteat à calefactione, tam extensiuam, quam intensiuam, toto illo tempore, quod consumitur in vincenda illa in dispositione subiecti ad recipiendum vltiorum partem, vel gradum caloris.

16 Sed in primis, qui sic respondent, non loquuntur consequenter; nam illa dispositio, quam requirit in subiecto, necessario debet fieri continuè in singulis partibus temporis, quæ inter vnam, & aliam instantaneam, & indiuisibilem calefactionem, tam extensiuam, quam intensiuam interueniunt. Nam si non sit continua, interrogabo rursus, cur interrumperetur illa actio dispositiua, & iterum agens ad illam redeat? quid enim confert agenti illa quæ? quando quidem nõ augentur per illam eius virtus, nec manitur passus resistentia, aut debita approximatio; & recursum erit, vel ad aliam prio-

rem dispositionem, de qua eadem redibit quæstio, & sic procedetur in infinitum, & sic assignanda erit alia ratio talis interruptionis ab ista, quæ assignata est. Si dicant, talem dispositionem esse continuam, cur idem non fatètur de ipsa calefactione, & vitabitur superflua multiplicatio actionum? Præcipuè cum negari non possit, hanc actionem dispositiuam esse alterationem, cum sit productio alicuius qualitatis habentis contrarium diuisibiliter oppositum, ac per consequens, qui sic respondent, concedunt id, quod negant, scilicet, alterationem aliquam, tam extensiuam, quam intensiuam esse motum continuam.

17 Deinde quis non videat hanc dispositionem præuiè requisitam in manu ad extensionem, vel intensionem nouæ partis, vel noui gradus caloris esse conflictam, & nullo modo, necessariam? Quid enim esse potest in manu ista præuia dispositio ad recipiendum nouam partem, vel nouum gradum caloris, nisi alia qualitas? etsi est alia qualitas, assignandum superest aduersarijs, quæ qualitas sit ista præuiè disponens manum ad receptionem nouæ partis, vel noui gradus caloris, quam assignare (etiam fingendo) non poterunt; nam calor inter primas qualitates, sicut frigiditas, siccitas, & humiditas, numeratur, non alia ratio-

ne, nisi quia istæ quatuor qualitates, neque ex se ipsis (adhuc dispositiue) neque ex alijs qualitatibus, sed ex ipsis omnibus aliæ sunt, seu emanant, quæ secundæ qualitates nuncupantur. Dices, raritatem esse dispositionem caloris, & densitatem frigiditatis. Bene quidem, sed non præuia, & ad productionem caloris, vel frigiditatis (vt aduersarij constringunt) requisitæ; sed consequentes, & ad conseruationem caloris, vel frigiditatis iam productorum necessariæ, seu, vt propius, & verius loquar, sunt effectus à calore, vel frigiditate naturaliter, seu necessariò dimanantes; quid ad rem?

18 Non me latet, Patrem Rodericum de Arriaga hic disp. 2. sect. 2. & 3. assignare duos casus, in quibus, (vt ipse fingit) experimur, dari agens naturalem cum omnibus requisitis ad agendum, quod nõ possit cõtinuè operari, sed debeat necessario suam operationem aliquibus morulis, seu quietibus temporalibus interrompere, seu secare: & cõsequenter esse falsum id, quod in nostra probatione num. 13. assumptum est, scilicet, auctores oppositæ sententiæ sine vlla experientia contendere, alterationem non esse motum continuam, sed potius discretum introducere. Quos casus, seu experientias libet in præsentem expendere; non quod in vera, & recepta philo-

sophia difficultatè inuoluant, sed quia auctor iste his libris ex pericentijs mixtus non est veritatis, communem, imò aristotelicam sententiam, quam nos sequimur, aperto ore, omnino falsam vocitare. *obtinens id*  
19 Primam experientiã desumit ex speciebus intentionalibus soni; licet enim sonus inquit hic auctor) natura sua perdat, species intentionales sui instanti producere; nihilominus non in eodem instanti, in foras sphaera suæ actiuitatis illas producit, seu diffundit, sed in prioribus instantibus, & est successiuus, quibusdam tamè morulis, seu quietibus temporalibus discretis. Assumptum inquit) patet experientia, qua experimur, sonum, qui resultat ex scissione alicuius arboris, etsi à proximioribus in eodem instanti, in quo vident, istum etiam audiri, non tamen audiri à remotioribus, eodem instanti, quo istum percipiunt, sed in alio notabiliter posteriori, quod impossibile esset, si in eodem instanti, in quo sonus emittit, speciem sui in proximiores, emitteret etiam in remotiores absque vlla mora, seu quiete temporali interueniente. *in quibusdam instantibus*  
20. Sed quàm inepta sit hæc experientia ad probandum intentum ab hoc auctore, scilicet, sonum, qui resultat ex scissione alicuius arboris, non instanti producere species



cies intentionales sui in tota sphaera suae actiuitatis, sed in diuersis instantibus prioribus, & posterioribus, aliquibus morulis; seu quietibus temporalibus discretis, manifestè constabit ostendendo in vera, & recepta philosophia, quæ sit vera causa, ob quam supra dictus sonus prius per auditum sentiaturà proximioribus, quàm à remotioribus hominibus.

21 Pro quo præsuppono primò ex his, quæ fusiùs ostensuri sumus lib. 2. de anima, disput. 8. sonum esse quandam qualitatem, etsi citò transcurrentem, permanentem tamen pro aliquo paruo tempore (non secus, ac philosophati sumus de impulsu 8. Physicorum disp. 2. quæst. 24.) quæ subiectatur in subiecto extenso, scilicet, in aère resiliente ex collisione duorum corporum sonantiù. 22 Secundò præsuppono ex dicendis 2. libro de anima citato; disput. 4. & 7. quòd sicut corpus luminosum producit, & diffundit lumen (quod in sententia Scoti est species intentionalis illius) in tota sphaera suae actiuitatis in instanti, vniiformiter, diformiter, id est, licet eisdem specie in omnibus partibus sphaerae; magis tamen intentum, & perfectum in partibus sphaerae ipsi propinquoibus, quàm in remotioribus: ita sonus in eodem instanti, quo producit, producit, & diffundit species inten-

tionales sui in tota sphaera suae actiuitatis vniiformiter diformiter, & præter experientiam, quæ id conuincit, ratio prioris partis est; quia sicut lumen nõ supponit in subiecto qualitatè cõtrariam, & diuisibiliter oppositam, quæ eius introductioni diuisibiliter resistat, ita neque species intentionales soni. Posterioris verò partis ratio est, quia sicut corpus luminosum in productione luminis agens naturale est; ita & sonus agens naturale est in productione suarum specierum intentionaliù; & receptum est apud omnes, ipsa experientia ostèdente, agens naturale fortius agere in propinquum, quàm in remotum.

23 Ex his prænotatis, non erit difficile ostendere, quàm incepta sit supradicta experientia ad sententiam Patris Arriaga comprobendam. Nam dicimus, causam, ob quam sonus causatus excisione arboris prius auditur ab aliquibus proximioribus hominibus, quàm ab aliquibus remotioribus, minime esse, quam configit Pater Arriaga, scilicet, quòd sonus, etsi natura sua petat, species intentionales sui in instanti producere, sed non in eodem instanti eas producere in tota sphaera suae actiuitatis, sed in diuersis instantibus, etsi successè sub ordinatis, discretis tamen aliquibus morulis, seu quietibus temporalibus. Nam

ex

ex hac doctrina sequeretur, etiã in paruisima distantia homines proximiores, & remotiores nõ posse in eodè instanti, in quo vident ictum securis, sonũ audire; siquidem in quacũque distantia, etiam paruisima, assignabilia sunt (in ipsum principijs) plura instantia, etsi subcecessè subordinata; discreta tamen aliquibus morulis, seu quietibus temporalibus; consequens autem (in ipso Patre Arriaga consentiènte experientia cõuictò) falsum omnino est, sed causam manifestã esse, quòd etiam si in eodem instanti, in quo producit ictus securis, sonus producat, seu diffundat (absque vlla morula, seu quiete tẽporali) species intentionales sui, vniiformiter, diformiter, in tota sphaera suae actiuitatis, & consequenter omnes homines, qui sunt intra illam sphaeram, in instanti, quòd videt ictum securis, vniiformiter, diformiter audiant sonũ. Nihilominus, quia sphaera in sua extẽsione determinata est, & contingere solet, quòd aliqui homines, etsi existant prope terminos prædictæ sphaerae; non tamẽ intra illam, hinc esse, vt pro illo instanti isti homines, etsi videant ictum securis, non tamen audiant sonũ illius. Quod si post paruisimum tẽpus homines isti sonũ audiunt, hoc provenit, quia, vt prænotatum est, sonus, etsi citò transeat, est qualitas, aliquandiu

durans, & insuper inhæret in aère; qui resilit ex collisione corporum sonantium; & contingere solet, quòd aër iste, in quo inhæret sonus, ratione impulsus in ipso à corporibus fecolli dentibus impresi; appropinquatur ad locum, vbi supra dicti homines existunt, antequam desinat esse sonus; & consequenter, quòd sphaera, in qua producit, seu diffundit species intentionales, illos attingat, & audiunt sonum, quem in instanti, quo videbant ictum securis, non audiebant, ex defectu appropinquationis sphaerae; in quam sonus emittit, seu producit species intentionales sui. Etiam quàm extra rem, ex supra dicta experientia conatus sit Pater Arriaga suadere, motum alterationis non esse continuum, sed quibusdam morulis, seu quietibus temporalibus discretum. 24 Omitto duo, quæ auctor iste, vt vera supponit, expendendo istam experientiam. Primũ, species intentionales primò productas à sono in proximiori distantia manere, transactò sono. Secundum, istas species intentionales, quæ manent, transactò sono producere post aliquam quietem alias species intentionales in illa distantia, in qua tardius auditur sonus, quorum vtrumque est planè falsum. Primum, quia cũ species intentionales pendeant ab obiecto, non solum in fieri, sed etiam in conseruari, implicatio-

tio.



tionem intoluet, quòd destructo, seu tranfacto sono, ad huc conferentur, & existant species intentionales illius. Secūdūm, quia cum species intentionales soni, à nullo sensu percipiuntur, signum est evidens, quòd non producant speciem intentionalem sui in aliquo sensu. Imo dato, quòd mitterent species intentionales sui in auditu; nō secus, ac species intentionales corporis lucidi, quæ dicuntur *lumen*, emittunt species intentionales sui in oculo, adhuc per ipsas non audiretur sonus, sed audirentur species, à quibus ista vltimæ species productæ sunt; sicuti per species luminis non videtur corpus luminosum, sed ipsum lumen.

25 Secunda experientia, quæ adducit, desūpta est ex lapide graui super asserem grauitante, qui nō in instanti frangit asserem, sed post multos dies, imò & post plures annos; ergo non agit à primo instanti continēter in illum asserem, aliàs à primo instanti capisset illum diuidere, quòd experientia ipsa docet esse falsum.

26 Sed hæc experientia ad probandum id, quod intendit auctor iste, scilicet, alterationē non esse motum continuum, sed morulis, seu quietibus temporalibus discretū, non est minus inepta, quàm præcedens. Et omīssis tribus responsionibus, quas auctor iste fingit, posse dari ad istam experientiam,

quia ipsas fundat in doctrina falsa; nimirum depressionem asseris fieri à lapide non solum natia grauitate, sed etiam, & præcipuè medijs quibusdam impulsibus, quos lapis producit, & imprimat in ipsum asserem, quòd falsum est. Nam vt constat ex dictis contra Patrē Vazquez 8. Physicorum, disp. 2. quæst. 4. licet corpus graue, dum actualiter mouetur deorsum, & causet, & imprimat impulsū in corporibus ambītib; quæ ipsius motui resistūt: tamen, cum violenter in loco sustūm quiescit, etsi grauitet, nullum impulsū causet, neque in se, neque in corpore, ne descēdat deorsum ipso impediēte; imò nec causare potest, quia grauitas ex se, & secluso in motu locali non est virtus productiua impulsus, aut cuiuscumque alterius qualitatis, sed solum est virtus mouēdi deorsum illud, in quo est; & consequenter eius terminus formalis, ad quem per se tendit, non est aliqua qualitas, sed aliquod *ubi*: omīssis, in quam, tribus responsionibus, quas auctor iste fingit, posse dari ad istam experientiam, & quas iste latē impugnat (sinox enim hostes, quos impugnaret) vera, & legitima responsio est, in casu adducto de lapide graui super asserem grauitante, & quod experimur, est, etsi natura sua peccat moueri deorsum: nihilominus non moueri, sed potius quiescere,

quiescere, violenter per multos dies; imò & per plures annos super asserem, non alia ratione, nisi quia fortitudo asseris est maior, quàm grauitas lapidis, & sic asser impedit, seu resistit, ne lapis deorsum moueatur: quod si lapsu temporis lapis distumpit asserem, & descēdit deorsum (non motu descēdit, sed tempore, quo durat cōtinuò: non enim hic motus est alteratio, sed localis, de quo nullus dubitat, quòd tempore, quo durat, sit continuus) hoc prouenit, quia lapsu temporis asser amittit fortitudinē per putrefactionē; vel alias causas, & sic aduenit tēpus, in quo grauitas lapidis exuperet fortitudinē asseris, à quo lapis detinebatur, ne descēderet deorsum. Ecce quæ iam extra rem, hæc experientia adducta sit ad probandum motum alterationis, tam extensiuum, quàm intensiuum, nō esse continuū, sed aliquibus morulis, seu quietibus temporalibus discretū. Sed iam ad secundam rationem, qua probari solet sententia nostra, accedamus.

27 Secunda ratio, & quasi à priori, ad probandum nostram, & communem sententiā, demonstratur ex principio cōtrarij fundamento oppositæ sententiæ, videlicet, tam in extensione, quàm in intensiōne qualitatum, quando fiunt inter qualitates contrarias, & diuisibiles non dari terminos intrinsecos

paruitatis, sed potius assignata quacumque parte qualitates, quantumuis minima, posse assignari minorem, & minorem partem vsque in infinitum, sub qua incipere possit qualitas extendi: & similiter assignato quocumque gradu intensiōnis, quantumuis minimo, posse assignari minorem, & minorem gradum vsque in infinitum, sub quo incipere possit qualitas intendi.

28 Hanc doctrinam, quam assumimus, ex professo cum Scoto, & communiori sententia statuimus 1. Physicorum, dispur. 5. quæst. 6. & fundatur in Aristotelica doctrina de diuisibilitate continui in partes proportionales diuisibiles in infinitum; nam latitudo qualitatum, tam extensiuam, quàm intensiuam continuam est, cum constet partibus terminis communibus, seu proprijs indiuisibilibus copulatis, non secus, ac linea, superficies, tempus, &c. neque obstat, quòd in latitudine intensiuam communiter assignemus octo gradus; nā hoc non est, quia existimamus prædictos gradus esse indiuisibiles, sunt enim secundum partes proportionales diuisibiles in infinitum; sed vt de illis in dissertationibus loqui possimus, non secus, ac in linea assignamus palmos, & in tempore horas, quæ secundum partes proportionales sunt diuisibilia in infinitum.



29 Ex hac ergo doctrina, quæ peripatetica est, euidenter cõuincitur sententia nostra, & communis, videlicet, alterationem, tam extensiuam, quam intensiuam esse motus continuos toto tempore, quo durat, etiam si sit paratissimum, & pullo modo posse esse motus discretos, ex mutationibus instantaneis, & moralis, seu quietibus temporalibus coalescentes, vt aduersarij contendunt. Nam sicuti in latitudine extensiuæ qualitatis, assignata quacumque parte, etiam minutissima, potest assignari alia minor, & minor vsque in infinitum, omnes continuæ, & copulatæ terminis communibus, seu proprijs indiuisibilibus: ita in acquisitione ipsarum in tempore mensurante, & quod cõsumitur in earum acquisitione, necessarium erit, vt assignata quacumque parte, etiam minutissima, debeat assignari alia minor, & minor vsque in infinitum, omnes etiam continuæ, & copulatæ terminis communibus, quales sunt instantia temporis. Similiter si eui in latitudine intensiuæ qualitatis assignato quocumque gradu intentionis, etiam minutissimo, potest assignari alius minor, & minor vsque in infinitum, omnes continui, & copulati terminis communibus, seu proprijs indiuisibilibus; ita in acquisitione ipsorum in tempore mensurante,

& quod cõsumitur in eorum acquisitione, necessarium erit, vt assignata quacumque parte, etiam minutissima, debeat assignari alia minor, & minor vsque in infinitum, omnes etiam continuæ, & copulatæ terminis communibus, quales sunt instantia temporis; nam tempus cum motibus materialiter sumptis, quorum est mensura, & motus cum terminis, imo & speciem reducuntur, debent in omnibus cõformari. Sed iam argumentis pro opposita sententia adductis satisfaciamus.

30 Ad auctoritates Aristotelis dicimus, in dictis auctoritatibus non sumere Aristotelem nomen continuum, vt à nobis sumitur in presentis, scilicet, pro eo, quod fit in partibus temporis continui, & non in instantibus temporis, morulis, seu quietibus temporalibus, discretis; sed sumere nomen continuum, prout idem est, ac perpetuum, & significat motum, qui numquam habiturus est finem, qua ratione 8. Physicorum motum calorum appellauit continuum, & in hoc sensu dixit, *Dicere alterationem fieri continuè, est aduersarij valde manifestis*; loquebatur enim contra quosdam Philosophos antiquos, qui sustinebant, motus alterationis esse perpetuos, & numquam interrumpi.

31 Ad rationem fundamentalem patet ex dictis num. 27. & numero 28. quàm falsum sit prædictum fundamentum, in quo nititur.

32 Ad inconueniens, quod in tertio, & ultimo loco obieciatur (quod si vim haberet, conuinceret etiam, motum localem non esse continuū, quod auctores oppositæ sententiæ nõ admittunt; imò si recte perpendatur, directè militat contra omnes Peripateticos, qui cum Aristotele docent, omne continuum, siue successiuum, vt sunt tempus, & motus, siue permansens sit, vt sunt linea, superficies, corpus, & locus, esse diuisibile in partes proportionales in infinitum diuisibiles) patet ex dictis 6. Physicorum, disputat. 1. quæstione 2. ex eo quod continuum sit diuisibile in partes proportionales in infinitum, non rectè inferri, in continuo esse partes actū, & cathegorematicè infinitas, sed solum infinitas in potentia, & syncathegorematicè. Et similiter patet ex dictis eodem loco quæstione 3. ex eo, quod in tempore, vel quocūque alio continuo sint assignabilia infinita instantia, vel indiuisibilia continuatiua partium proportionalium, non rectè inferri, in quocumque continuo esse instantia, vel indiuisibilia actū, & cathegorematicè infinita; sed solum infinita in potentia, & syncathegorematicè.

cæ, quæ omnia nullum continentur abstridum; reccollantur ibi dicta.

#### QVÆSTIO IV.

Quo pacto fiat intensio?

1 HÆC quæstio vnū supponit, & aliud inquirat. Supponit, vt certum, & receptum apud omnes, alterationem extensiuam qualitatis fieri per productionem nouæ partis qualitatis in noua parte subiecti; cuius ratio est, quia si per alterationem extensiuam non produceretur in noua parte subiecti noua pars qualitatis, sed præexistens extenderetur ad illud, tequereetur, eamdem numero partem qualitatis esse in diuersis partibus subiecti, quorum qualibet esset respectu illius subiectum adæquatum, quod est absurdum.

2 Quod inquirat est, an alteratio intensiuæ, quæ, vt ex dictis in tribus præcedentibus quæstionibus constat, est motus successiuus, & habens partes diuisibiles (si fiat diuisio per partes proportionales) in infinitum, continuas, seu copulatas terminis, seu proprijs indiuisibilibus communibus, fiat etiam per productionem nouæ partis, seu noui gradus qualitatis in eadem parte subiecti; an verò nulla fiat additio, seu productio noui gradus,



dus, seu partis qualitatē in eadem parte subiecti; sed eadem indiuisibilis qualitas dicatur intendi, & remitti, siue accipere magis, & minus in eadem parte subiecti, eo quod magis, vel minus perficiatur, seu eradicetur in eadem parte subiecti?

3 Prima sententia sustinet, intentionem fieri quidem per productionem nouæ partis, seu gradus qualitatē in eadē parte subiecti, ita tamen, vt pars, seu gradus de nouo productus non maneat simul cum gradu, seu parte qualitatē præexistenti, sed potius illum corrumpat, verbi gratia, dum in manu intenditur calor, qui prius erat remissus, sustinet hæc sententia, corrumpi omninò calorem remissum, & alium intensiorem in prædicta manu de nouo generari. Itaque iuxta hanc sententiā, qualitatē intendi non tam est, eandem qualitatē perfici in eadem parte subiecti, quā qualitatē imperfectam, in perfectiorem qualitatē transmutari. Hanc sententiā attribuit Scotus in 1. distinct. 17. quæst. 3. aliàs 4. Godfredo quodlibeto 11. quæst. 3. & Niphus 8. Metaph. disputat. 11. cap. 3. illam attribuit Auicennæ, Alberto, & Gilberto Porretano; & eam existimat, esse veram Durandus in 1. distinct. 17. quæstione 7. in vltima parte illius quæstionis.

4 Probari solet hæc sententiā his rationibus. Prima, in omni motu terminus à quo abijcitur, & terminus ad quem acquiritur, sed in motu intensiōnis terminus à quo est qualitas remissa, & terminus ad quem qualitas intentā; ergo hæc acquiritur, seu de nouo produciuntur, & illa expellitur, seu corrumpitur. Maior ab omnibus recipitur, & colligitur ex his, quæ docet Aristoteles 5. Physicorum, scilicet, motum propriè sumptum, vt est motus intensiōnis, versari inter contraria, quæ e ipso simul in eodē subiecto esse non possunt. Minorē probat Durandus, quia in motu per se nihil aliud requiritur, quā terminus à quo, terminus ad quem, & subiectū; sed qualitas remissa per se requiritur in motu intensiōnis; sed non vt terminus ad quem, neque vt subiectum: ergo vt terminus à quo. Et confirmatur, quia idem est terminus à quo motus intensiōnis, qui est terminus ad quem remissionis (sunt enim motus contrarij) sed terminus ad quem remissionis est qualitas remissa; ergo qualitas remissa erit terminus à quo motus intensiōnis.

5 Secunda, aut agens, intendēs qualitatē remissam, imprimit in eadē parte subiecti aliquid diuersum à qualitate remissa præexistenti, vel nō. Hoc vltimum non potest sustineri, aliàs nulla esset in intensiōne mutatio, vel variatio realis,

cuius oppositum ostendit experientia sensuum: ergo sustinendum est primum: modò sic, id diuersum, quod imprimi agens intendens qualitatē remissam in eadem parte subiecti, non est qualitas diuersa in specie à qualitate remissa, sed solum numero: ergo per aduentum ipsius expellitur, seu corrumpitur qualitas remissa præexistens. Patet consequentia; nam si non expelleretur, seu corrumpereetur, duo accidentia absoluta solum numero differentia essent in eadem parte subiecti, quod saltem naturaliter in omnium sententia non contingit.

6 Tertia, velocitas descensus grauis continuè intenditur, vt experientia manifestat, & tamen nulla pars, seu gradus velocitatis prius acquisita, manet cum aliqua parte, quæ posterius acquiritur: ergo eodem modò philosophandum est in quocunque alio motu intensiōnis, scilicet, quòd etiam si fiat per successiōnem gradus ad gradum, sed non per successiōnem gradus ad gradū, vtroque simul permanente. Et confirmatur, quia si vterque gradus, seu pars qualitatē simul permanet, inquiram, quidnam sit, quod intenditur, nō enim apparet, nam dici non potest, quòd sit pars, seu gradus præexistens; nam pars, seu gradus qualitatē præexistens nuncquam est maior, quàm sit de

facto, sicut enim linea pedalis non efficitur maior per additionem alterius lineæ pedalis; quia adhuc remanet pedalis, sicut antea; ita similiter qualitas præexistens, si prius erat trium graduum, semper erit trium graduum, & tamè illud, quod intenditur, debet esse prius minus, & postea maius: neque etiam dici potest, quòd intendatur pars, seu gradus sequens, aut aggregatum ex vtroque; quia, quòd intenditur, prius erat remissius, & tamen neque aggregatum, neque pars sequens erat remissius; quia neutrum prius erat.

7 Sed hæc sententia meritò rejicitur ab Scoto, non solum loco primi citato, sed etiam, & ex professo lib. 3. Physicor. quæst. 4. Primò rejicitur per experientiam, quæ experimur, quòd si corpori luminoso, prius existenti in aliquo loco, aggregetur aliud corpus luminosum eiusdem virtutis, lumè productum à priori corpore luminoso magis intenditur, quòd esset impossibile, si gradus luminis, productus à priori corpore luminoso non conferuaretur, sicut conferuabatur antea à prædicto priori corpore luminoso, sed potius in aduentu posterioris corporis luminosi statim excluderetur, seu petiret.

8 Secundò, rejicitur à simili de augmentatione, in qua eundem est, per aduentū nouæ par-



tis quantitatis non destrui partes quantitatis præexistentes, aliàs non daretur augmentatio: ergo simili modo per aduentum noui gradus qualitatis nõ corrumpuntur præexistentes: aliàs qualitas non perficeretur, seu interderetur.

9 Tertiò reijcitur à simili de habitibus supernaturalibus, vt sunt charitas, &c. qui intenduntur sine amissione præcedentis gradus: ergo idem erit fatendum de intentione omnium aliarum qualitatum permanentium; consequentia est bona à paritate rationis. Antecedens probat Scotus loco primò citato, quia habitus supernaturalis sunt causæ actuum supernaturalium; à quibus meritorie intenduntur habitus supernaturales: ergo debent existere in eodem instanti, in quo existit actus, aliàs non possent esse illorum causa: ergo manent in eodem instanti, in quo est augmentum; patet consequentia, quia augmentum est in eodem instanti, in quo est actus. Neque potest dici, ipsum augmentum esse causam actus, non verò alios gradus habitus præcedentes, quia illud augmentum est effectus saltem moralis actus supernaturalis: ergo repugnat simul esse causam illius.

10 Quartò reijcitur, quia si in intentione qualitatis permanentis corrumpuntur gradus intentionis præexistentes, & noua qualitas perfectior gene-

ratur: ergo similiter in remissione qualitatis permanentis valde intense corrumpuntur gradus omnes qualitatis valde intense præexistentes, & noua qualitas minus intensa, seu imperfectior generatur; consequens est impossibile; ergo & antecedens; prima consequentia est manifesta; nam intentio, & remissio sunt oppositæ, & oppositorum eadem est ratio. Quod consequens sit impossibile, patet, quia si aqua valde calida applicetur nix, calor aquæ incipit remitti, etsi in remissione alicuius gradus caloris totus calor præexistens in aqua definit esse, & alius calor minus intensus de nouo produceretur, daretur nouus effectus productus, & non ab aliqua causa, quod est impossibile: hoc vltimum consequens est manifestum, nam in dicto casu aqua nullum habet iuxta se agens calidum, nix autem non est productiua caloris: ergo non est agens, à quo calor ille producat, nec potest recurri ad Deum; nam aqua non exigit calorem, vnde non est, quod à solo Deo producat.

11 Quintò reijcitur à simili inconuenienti; nam cum ignis, v. gr. intendit calorem in aqua, non est assignabilis causa, à qua destruat præcedens gradus caloris: ergo nõ destruitur. Probatur antecedens, nam ignis nõ est destructiuus, sed potius productiuus caloris. Nec sa-

satisfacit id, quod ex cogitauit Arriaga, scilicet, quod in dicto casu posset aliquis respondere, ignem habere virtutem destructiuam caloris à se producti per accidens, eo videlicet, quod est productiuus intensioris caloris, qui quidem gradus intensior non potest produci, nisi destructo gradu remisso, à se prius producto, quod exemplificat in causa generatiua embyonis; hæc enim, inquit, prius generat formam embyonis, & eam postea per accidens destruit, introducendo formam perfectiorem, animam, scilicet, cum forma embyonis in compatibilem in eadem materia. Hæc, inquam, responsio difficultati in argumento posita non satisfacit; nam voluntarie supponitur in ea id, quod ex dicendis constabit, esse falsum, scilicet, gradum intensioris perfectiorem esse incompatibleem cum gradu imperfectiori in eadem parte subiecti, ac per consequens ad introductionem gradus perfectioris, destruendum esse gradum imperfectiorem. Instantia autem, qua ad hoc suadenda vitur Arriaga, in doctrina nostra, & Scoti, quæ ponit in viuentibus duas formas substantiales in ratione actus, & potentie subordinatas, formam, scilicet, corporeitatis, quæ cum materia prima componit corpus physicum, & organicum, & animam, quæ actiuans

prædictum corpus, consistit viuens, nõ in esse corporis, sed in esse viuentis, potius conuenit oppositum; nam in hac doctrina forma corporeitatis, seu embyonis introductione animæ non corrumpitur, sed potius in viuente perseverat. In aliorum verò doctrina, quæ solum admittit in viuentibus vnã formam substantialem, scilicet animam, prædicta instantia nõ est ad rem; nam si isti affirmat, in introductione animæ corrumpi formam embyonis, seu corporeitatis, hoc est, quia vniuersaliter subsistent, esse incompatiblees in eadẽ materia duas formas substantiales, eo quod forma substantialis dat esse simpliciter, quæ ratio nõ currit in gradibus intentionis qualitate in eadem parte subiecti, quia cum sint accidentia, non deãt esse simpliciter, sed potius secundum quid.

12 Sextò, & vltimò reijcitur: & est ratio à priori, quia nullum accidens absolute, & permanens, vt sunt qualitates, destrui potest, nisi vel per corruptionem subiecti, vel per absentiam conseruantis, vel per introductionem qualitatis contrariæ; sed in intentione qualitatis non corrumpitur subiectum, neque abest agens conseruans gradus remissiores, & gradus intensior, qui de nouo introducit, non contrariatur gradibus remissioribus, sed potius illos perficit; ergo falsum



omnino est, per introductionem gradus, per quem qualitas fit intensior, corrumpi in prædicta qualitate, quæ intenditur, gradus remissiones præexistentes.

13. Neque ea, quæ adducta sunt in fauorem huius primæ sententiæ, multum vigent. Ad primam rationem respondemus, maiorem veram esse loquendo (sicut loquitur Aristoteles 3. Physicorum) de termino à quo motus formalis, & per se; sed negamus minorem, scilicet, in intentione terminum à quo formalem, & per se esse qualitatem remissam; nam non est, nisi qualitas contraria concomitans qualitatem remissam, & inducens priuationem qualitatis intensioris, v.g. in intentione caloris terminus à quo formalis, & per se non est calor remissus, sed est frigiditas illa, quæ comitatur calorem remissum, & inducit in subiecto, in quo est, priuationem caloris intensioris. Et ad probationem minorem dicimus, formam remissam requiri per se in intentione, sed non ut terminum per se, sed ut quid necessario comitans terminum à quo formalem, & per se. Ad confirmationem eiusdem minoris fateamur libenter, terminum à quo intensioris esse terminum ad quem remissionis; sed negamus, qualitatem remissam esse terminum ad quem formalem, & per se remissionis; sed lo-

lum esse quid necessario concomitans terminum per se, & formalem remissionis. Quod si inquiras, quis est ergo terminus ad quem formalis, & per se remissionis? Respondeo, quod si remissio sumatur pro actione positua, qua producitur qualitas contraria qualitati, quæ remittitur, & cuius effectus formalis secundarius, & necessario cõcomitans, est priuatio alicuius gradus qualitatis intensioris; terminum ad quem illius formalem, & per se esse illam qualitatem contrariam, quæ per illam producitur. At si remissio sumatur formaliter, & proprie pro actione non positua, sed negatiua, quæ in definitione gradus qualitatis intensioris consistit, terminum formalem, & per se illius esse priuationem alicuius gradus qualitatis intensæ, quæ est, quæ remittitur.

14. Ad secundam rationem dicimus, agens intendens qualitatem remissam producens quidem in eadem parte subiecti aliquid distinctum a qualitate remissa, scilicet, nouum gradum intensioris, qui gradus intensioris non est distinctus specie à præexistentibus; imò si consideretur (ut necessarium debet considerari) vnitus in ipsa intentione cum præcedentibus, non est accidens numero distinctum ab illis; nam numerus est quantitas diucreta; gradus autem inten-

lo-

tionis, etsi sint realiter distincti, non sunt discreti; sed potius proprijs indiuisibilibus copulati, & sic constituunt eum præcedentibus vnã numero qualitatem, licet magis perfectam, seu intensam, quam erat antea: non secus, ac in extensione paræ lineæ, etiam si fiat additio nouæ partis longitudinis ad partes longitudinis præexistentes, nullus dixit, ibi esse duas numero lineas, sed vnã numero, licet magis longam, ac antea erat, non alia ratione, nisi quia prædictæ partes lineæ, etsi sint realiter distinctæ, non tamen manent discretæ, sed continuæ, & proprijs indiuisibilibus copulatæ. Ex quo inferes, quàm ineptè inferatur ab aduersarijs ex eo, quod intendens qualitatem remissam, aliquid producat in eadẽ parte subiecti distinctum realiter ab ipsa qualitate remissa, quod duo accidentia absoluta solo numero distincta manerent in eodem subiecto in casu, quo remissa qualitas per aduentum noui gradus, non corrumpitur; cum solum inferatur, quod maneat eadem numero qualitas, licet magis perfectã, seu intensa.

15. Ad tertiam rationem respondemus cum Scotto concedendo antecedens, & negando consequentiam; quia non est simile, neque eadem ratio de velocitate descendus grauis, & de calore, & alijs similibus

qualitatibus; nam velocitas descendus grauis non est qualitas permanentis, sed successiue transiens; non secus, ac ipsè descendus, in quo inhaeret, & idè etiã si continuè intendatur (eo quod impulsus causati ab aere confluente ad replendum vacuum, qui sunt causa huius velocitatis, etiã cõtinuè augeantur) sed non per additionem noui gradus velocitatis ad gradus velocitatis antecedentes; quia istud, quãdo aduenit nouus gradus, iam transferunt, & nõ existunt; sed per productionem intensioris, & intensioris qualitatis secundum se totam, quarum vna succedit continuè ad aliam; ut calor, & similes qualitates sunt permanentes, sicuti & subiecta, in quibus inhaerent; & idè tantum abest, ut in intentione ipsarum, quãdo aduenit nouus gradus, priores sint transacti, seu corrupti, quod potius necessarium est, quod maneat (aliàs nõ possent esse permanentes) & simul cùm gradu de nouo adueniente in eadem parte subiecti intensiorem constituentur qualitatem.

16. Ad confirmationem, in qua inquiritur, quidnam sit id, quod intenditur (quæ inquisitio magis spectat ad modum loquendi, quàm ad rem) duas responsiones dat Scotus. Prima, quod i qualitas intenditur, id est, qualitas coalescens ex præexistenti, & superueniente gradu intensior est, ac erat, antequàm posterior gradus adueniret.

Sec-



Secunda; quod qualitas præcedens intensiorem, est, quæ intenditur: & cum obijcitur, hanc non esse maiorem post intensiorem, quam antea; negat assumptum, & optimè quidem; quia eadē numero post intensiorem, quam antea; constat tribus gradibus, post intensiorem potest constare, & de facto constat quatuor, aut quinque gradibus: sicuti idem numero homo, qui dum est puer, est tantum duorum pedum, potest, & erit post aliquos annos per augmentationem, septem pedum.

17 Secunda sententia affirmat, intensiorem qualitatis fieri solum per depurationem à contrario, v. gr. si ignis agat in aquam, caliditas in aqua non intenditur per additionem caliditatis ad caliditatem; sed per corruptionem frigiditatis apparet caliditas intensior, quam prius apparebat. Itaque hæc sententia ponit, quod quilibet gradus alicuius qualitatis est summus; sed tamen apparet remissus propter commisionem contrarij; & consequenter per depurationem, seu corruptionem contrarij fieri, seu apparet intensiorem. Huius sententiæ suppressio nomine auctoris, meminit Scotus 3. Physicorū, quæst. 4. & recentiores ipsam attribuunt Ægidio quodlibet 2. quæst. 14. & 1. de generatione, quæst. 18 & 23.

18. Probari potest hæc senten-

tia auctoritate commentatoris, qui 5. Physicorum, commento 19. ait, *Alb. m non fit minus album, nisi ex missione contrarij*: & commento 52. dicit, *quod diminutum in omni genere est diminutum per missionem*: & 2. de generatione commento 49. vult probare quatuor elementa esse in misto ait, *quod si caliditas non esset in misto, non esset in eo frigiditas, nisi in sine*, id est, in summo, sentiens, quod purum frigidum est frigidum in summo, & pura frigiditas est summa frigiditas, & per consequens frigiditas non summa, id est, remissa, est frigiditas admista caliditati.

19. Secundò probari potest ratione, quam adducit Scotus in favorē huius sententiæ, quæ talis est. Si in aliquo subiecto esset tantum de frigiditate, quantum de caliditate, illud subiectum, neque diceretur calidum, neque frigidum; sed si remittitur vnus gradus frigiditatis, supponendo, quod nullus gradus caliditatis de nouo introduceretur, illud subiectum diceretur calidum: ergo caliditas intenditur ibi, non per additionem alicuius gradus caliditatis, sed per remotiorem frigiditatis.

20. Sed hæc etiam sententia merito rejicitur ab Scoto loco citato. Primò, quia multoties contingit, qualitatem intendi, etiam si ibi non adsit aliqua depuratio à contrario: ergo inten-

ten-  
tio

tenso qualitatis non consistit formaliter, & intrinsecè in obijctione, seu depuratione à contrario: consequentia est euidens; antecedens patet in illuminatione, vbi intenditur lux, quæ nullum habet contrarium, & in gratia, & charitate Beatæ Virginis Mariæ, quæ quotidie intendebatur, & nihilominus non depurabatur ab aliquo contrario; quia numquam fuit permixta cum aliquo peccato, etiam veniali; sicuti neque in nobis cum aliquo peccato mortali, quod est contrarium gratiæ, & charitatis. Item fides intenditur in nobis iuxta illud Lucæ 10. *Adauge nobis fides*; & tamen fides nequit esse simul cum infidelitate, quæ est eius contrarium.

21. Secundò rejicitur, & est ratio à priori; quia etiam si depuratio, seu remissio qualitatis contrariæ, v. gr. quando ignis calefacit aquam, depuratio, seu remissio frigiditatis aquæ semper comitur intensiorem caloris; tamen hoc non provenit, quia depuratio, seu remissio frigiditatis aquæ sit causa intensiorem caloris, quis hoc dicat? sed potius e contra, quia depuratio, seu remissio frigiditatis aquæ est effectus formalis, licet secundarius, intensiorem caloris: ergo quod calor sit intensior, aliunde provenit, quam à depuratione, seu remissione frigiditatis aquæ; hanc igitur causam intentionis

caloris inquirimus; quia si depuratio, seu remissio qualitatis contrariæ, scilicet, frigiditatis, est effectus formalis secundarius caloris intensioris, non poterit assignari causa intensioris caloris: aliàs idē respectu eiusdem esset causa, & effectus, quod est absurdum.

22. Ad auctoritates Commentatoris in contrarium adductas respondemus, probare quidem id, quod ratione præcedenti statuumus, scilicet, in alterationibus, quæ fiunt inter contraria, & diuisibiliter opposita, necessariò requiri ad remissionem vnus ad missionem alterius, ex cuius intentione talis remissio, vt effectus formalis secundarius sequatur; non tamen probare, neque intinuate, quod aduersarij contendunt, scilicet, depurationem, seu remissionem vnus qualitatis contrariæ esse causam intensiorem alterius. Aliàs, vt dicebamus, idem respectu eiusdem secundum eandem rationem esset simul causa, & effectus, quod est absurdum.

23. Ad rationem optimè respondet ipsemet Scotus, quod si in aliquo subiecto tantum esset de frigiditate, quantum de caliditate, illud subiectum, neque denominaretur frigidum, neque calidum, etsi per aliquam potentiam remoueretur vnus gradus frigiditatis sine hoc, quod induceretur aliquis gradus caliditatis, (quod potentia or-



ordinaria contingere non potest) tunc caliditas non intenditur, sed interderetur denominatio secundum caliditatem.

24 Tertia sententia docet qualitates secundum intentionem esse indivisibiles, ac per consequens intentiones ipsarum non posse fieri per productionem, & additionem nouæ partis, seu noui gradus ad partes, seu gradus præexistentes in eadē parte subiecti. Hæc est sententia communis, & recepta inter rigidos Thomistas, quos citant, & sequuntur Patres Carmelitani disp. 4. de alteratione, quæst. 8. §. 2. & Magister Ioannes à Sāctō Thomā, quæst. 4. art. 2. & tribuunt illam Diuo Thomæ multis in locis, sed præcipue 1. 2. quæst. 52. art. 2. & 2. 2. quæstion. 24. art. 5. & ibi Caietano, & quæst. 1. de virtutibus, art. 11. & in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 2. imò illam attribuunt Aristoteli 4. Physicorum, text. 85. vbi ex præse ait, *ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum, quando erat minus calidum.*

25 Fundamentum huius sententiæ est, quia si qualitates essent diuisibiles secundum intentionem, & consequenter intentio qualitatum fieret per productionem nouæ partis, seu gradus, & additionem illius ad partes, seu gradus præexistentes, necessar. o fatendum esset, huiusmodi partes, seu gradus

qualitatis esse inter se realiter distinctas, seu distinctos, sed in qualitatibus, quando intenduntur, non possunt assignari partes, seu gradus realiter distinctas, seu distincti; ergo qualitates secundum intentionem non sunt diuisibiles, & consequenter earum intentio non poterit fieri per productionem nouæ partis, seu gradus qualitatis, & additionem illius ad partes, seu gradus præexistentes. Maior huius argumenti est manifesta. Manifestum est enim, non posse dari additionem realem sine distinctione reali extremorum. Minorem probant, quia distinctio realis, vel est specifica, vel numerica: distinctio autem realis, quæ ponitur inter partes, seu gradus intentionis eiusdem qualitatis, non potest esse specifica; nam partes itæ, seu gradus eiusdem sunt rationis: neque etiam potest esse numerica, quia cum itæ partes, seu gradus intentionis sint in eadem parte subiecti, si solum numero differrent, sequeretur, duo accidentia absoluta solo numero differentia esse in eadem parte subiecti, quod saltem naturaliter in omnium sententia non contingit.

26 Confirmatur, & vrgetur amplius eadem minor ex inueniente, quod sequeretur ex positione plurium partium, seu graduum realiter distinctorum in intentione cuiusvis qua-

qualitatis; sequeretur enim, quod intentio qualitatis non esset vnus per se, cuius oppositum receptum est apud omnes. Sequelam Patres Carmelitani probant; quia duobus statum modis possunt vniri plures gradus intentionis ad constitutam vnā per se intentionem, scilicet, vel per modum actus, & potentie, vel per continuationem medio aliquo indivisibili; sed non primo modo, quia duo indiuidua eiusdem speciei non possunt comparari per modum actus, & potentie inter se; siquidem id, quod ab intrinseco est potentia respectu alterius, distinguitur essentialiter ab illo, vt patet in materia, & forma: neque secundo modo, quia sola quantitas est diuisibilis in partes entitativas, & integrales: cætera verò accidentia sunt simpliciter entitates, & solū ratione quantitatis possunt, si sint materialia cōtinuari, & multitudinē partium habere, quo etiā argumento vsi sunt prædicti auctores in Logica disp. 13. ad probandū, substantiam sine quantitate esse indivisibilem, ac proinde carere partibus integralibus, etiam entitativis.

27 Quod si his auctoribus obijcias; si qualitates secundum intentionem sunt indivisibiles, & non habentes partes integrales, quo pacto sustineri potest id, quod nobiscum, & cum Aristotele (vt quæstione præcedenti vidimus) statuerunt, scilicet,

alterationem intensiuam esse motum successiuum, & continuum, & consequenter habere partes diuisibiles in semper diuisibilia terminis communibus copulatis: Respondent, & hoc est secundum ipsorum assertum (hoc prouenire; quia per alterationem intensiuam hæc indivisibilis qualitas in eadem parte subiecti magis, ac magis successiuè, & continuè radicitur. Quid autem intelligant auctores isti per maiorem eradicationem qualitatis indivisibilis in eadem parte subiecti (hoc opus, hic labor) expēdemus in probationibus nostræ, & Scoticæ sententiæ; non enim in hoc est omnium vniuersalis consensus.

28 Quarta, & verior sententia, & cui libenter subscribo, per oppositum affirmat, qualitates secundum intentionem non esse diuisibiles; sed potius constare gradibus, seu partibus diuisibilibus in semper diuisibilia continuis, seu copulatis proprijs indivisibilibus, sed terminis communibus; & consequenter qualitates magis, ac magis intendi per productionem, & additionem noui, & noui gradus, & è contrario remitti per ablationem, & deperditionem alicuius gradus. Hæc est expressa doctrina Scoti in 1. distinctione 17. quæstione 3. aliàs 4. & 3. Physicorum, quæst. 4. & 8. Metaphysicorum quæstione 3. & omnium discipulorum.



pulorum eius, quam etiam defendunt ex antiquis Diuus Bonaventura, Ricardus, & Albertus, Ochamus, Gabriel, Gregorius Ariminensis, Heræus in 1. dist. 17. Marfilus in 2. quæst. 1. Henricus quodlibeto 3. quæst. 3. & quodlibeto 4. quæst. 15. & ex recentioribus ferè omnes, Vazquez 1. 2. disput. 3. Suarez in Metaph. disput. 46. sect. 1. Lorca 2. 2. disp. 14. Rubius 1. de generatione, cap. 4. tract. 3. quæst. 5. Auerſa quæst. 24. de qualitate, sect. 6. Petrus Hurtado hic disput. 5. sect. 4. & 5. qui auctor pro hac sententia citat Diuum Thomam, & Cateranum 3. par. q. 7. art. 12. & in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. & quaestione de virtutibus art. 11. & 12. quæst. 52. art. 2. & 2. quæst. 24. art. 4. ad 3.

29 Sed ut hanc nonstram sententiam demonstremus, & oppositam rigidorum Thomistarum refellamus, aduertendum est, rigidos Thomistas in aliquo nobiscum conuenire, & in aliquo differre, seu opponi. Conueniunt nobiscum, quia libenter farentur, per motum intentionis aliquid reale de nouo produci: hoc enim à nullo negari potest. Primò, quia motus intentionis motus realis, & productiuus est: ergo habet pro termino aliquid reale de nouo productum. Secundò, quia nihil realiter transit de contradictorio in contradic-

rium sine acquisitione, vel deperditione alicuius entitatis realis; sed cum calor, v.g. intenditur, vel remittitur, transit à contradictorio in contradictorium; siquidem ex non intenso transit ad esse intensum, vel ex non remisso transit ad esse remissum: ergo calor per intentionem acquirit aliquid reale nouum, & distinctum, & per remissionem illud deperdit. Tertio, & vltimo, quia qualitas intensa habet plures, & diuersos effectus, quos non habebat, dum erat remissa, vt experientia constat, & exemplificat Scotus in expulsiōe qualitatis contrariæ ab eodem subiecto: ergo habet aliquid reale nouum per intentionem, quòd ante intentionem non habebat. Patet consequentia, quia *idem secundum idem semper natum est facere idem.*

30 Differunt à nobis, quia cū ipsi sustineant, qualitates secundum intentionem esse indiuisibiles, consequenter coguntur asserere, hoc reale, quod per motum intentionis de nouo producit, nō posse esse aliquam partem, seu gradum qualitatis, que intenditur, sed esse quandam modum realem illius, quem ipsi appellant maiorem radicatione indiuisibilis qualitatis in suo subiecto. Nos autè, cum sustineamus, qualitates secundum intentionem non solum esse diuisibiles in distinctos gradus eiusdem qualitatis;

led

sed etiam huiusmodi gradus esse diuisibiles in alios, & alios gradus minores, & minores proportionales in infinitum; consequenter asserimus, hoc reale, quod per motum intentionis de nouo producit, non esse aliquem modum maioris radicationis qualitatis indiuisibilis in suo subiecto; sed esse aliquam partem, seu gradum qualitatis, qui additur, & copularus præexistentibus, simul cum illis constituit vnā qualitatem intra eandem speciem magis perfectam, & intensam. Vnde duo sunt nobis probanda contra auctores tertie sententiae, seu rigidos Thomistas. Primum, intentionem qualitatis non fieri per modum realem maioris radicationis indiuisibilis qualitatis in eodem subiecto. Secundum, intentionem qualitatis fieri per nouum gradum qualitatis, per motum intentionis productum, & additum, alijs gradibus qualitatis præexistentibus.

31 Primum efficaciter probatur; quia explicari, imò intelligi non potest, in quo consistat hic modus maioris radicationis indiuisibilis qualitatis in eodem subiecto, ex quo tantum ex causa intètio in qualitatibus resultat: quod fraden potest ex tot, & varijs modis, qui excogitati sunt ad hoc explicandum, quorum nullus rem explicat; imò aliqui potius verbis ludere, quàm rem

serid agere videntur, vt per singulos discurrendo erit manifestum.

32 Nam in primis dici non potest, consistere in hoc, quòd eadem indiuisibilis forma secundum essentiam recipiat perfectius, & perfectius esse; seu quòd idem est, perfectiorem, & perfectiorem existentiam, qui modus philosophandi attribuitur Egidio quodlibeto 2. quæst. 14. & Astudillo in hoc libro quæst. 9. & Capreolo in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 1. cōcl. 5. Tum, quia in nostra, & cōmuni oriententia essentia actualis, & existentia eius non distinguuntur realiter; ergo erit impossibile, quòd in re existentia varietur suscipiendo magis, & minus, & quòd essentia actualis inuariata maneat non suscipiendo magis, & minus. Tum etiam, quia dato, quòd existentia realiter differret ab eius actuali essentia, cum esse actuali recipiat essentia ab ipsa existentia, tanquam à forma, erit impossibile, quòd existentia sit variabilis, & recipiens magis, & minus, & quòd esse actuali essentia, quòd est eius effectus formalis, sit inuariabile, & non recipiens magis, & minus.

33 Nec etiam dici potest, consistere in hoc, quòd eadem indiuisibilis forma, tam secundum essentiam, quam secundum existentiam succedat, & cōtinuè per motum alterationis, ma-



magis, ac magis educatur de potentia subiecti, qui modus explicandi hunc modum maioris eradicationis in subiecto satis communis est inter antiquos Thomistas, vt videre est in Soncinare 8. Metaph. quæst. 22. labello quæst. 6. nam cum educi de potentia subiecti nihil aliud sit, quàm id, quod ante erat in potentia passiva subiecti, fieri actû dependenter in fieri, & esse in genere causæ materialis ab ipso subiecto; explicandum superest his auctoribus, quomodo qualitas possit successiue, & continuè magis, ac magis educi de potentia subiecti, si entitas eius, tam essentialis, quàm existentia indiuisibilis est; nam id, quod est indiuisibile secundum entitatem essentialis, & existentia, cum primo habet esse actû in subiecto, totû educitur de potentia eius; neque intelligi potest, quod sit actû in subiecto, & adhuc maneat in potentia eius, nisi vel diuidendo indiuisibile, vel eadem secundum eandem rationem duo contradictoria tribuendo, quorum vtrumque est absurdum.

34 Nec dici potest id, quod magis receptum est inter Thomistas, scilicet, hunc modum maioris radicationis in subiecto consistere, non in hoc, quod eadem indiuisibilis qualitas, tã secundum essentiam, quàm secundum existentiam continuetur, & successiue per motum intensio-

onis magis, ac magis educatur de potentia materiae; sed in hoc, quod successiue, & continuè magis, ac magis vnitur subiecto, seu quod idem est, magis, ac magis informat subiectum, seu inhæreat in subiecto.

35 Hoc, inquam, dici nõ potest. Primo, quia formæ, tam substantiales, quàm accidentales, quæ educuntur de potentia materiae, vel de potentia subiecti, eadem numero actione educuntur de potentia materiae, vel subiecti, & vnuntur materiae, vel subiecto, ex quorum potentia educuntur, vt ex professo docuimus cum Scoti 1. Physicorum, disputat. 4. quæst. 2. à num. 10. ergo si implicat (ipsis aduersarijs consentientibus) quod eadem indiuisibilis qualitas, tam secundum essentiam, quàm secundum existentiam per motum intensio- nis continuè, & successiue magis, ac magis educatur de potentia materiae, seu subiecti: implicabit etiam, quod eadem indiuisibilis qualitas, tam secundum essentiam, quàm existentiam per motum intensio- nis continuè, & successiue magis, ac magis vnitur subiecto, seu quod idem est, magis, ac magis informat subiectum, seu inhæreat in subiecto.

36 Secundò, quia capi non potest, quo pacto qualitas possit eidem parti subiecti magis, ac magis, & quasi per gradus

suc-

successiue, & continuè vniri, seu inhære, & ipsam informare, si eius entitas actualis, tam essentialis, quàm existentis omninò indiuisibilis est, nisi vel diuidendo indiuisibile, vel eidem respectu eiusdem secundum eandem rationem duo contradictoria ( vt sunt vniri, & non vniri, informare, & non informare, inhære, & non inhære ) tribuendo, quorum vtrumque est absurdum, vt in simili de successiua, & continua, & secundum magis, ac magis educatione de potentia subiecti eiusdem formæ, tam secundum essentiam, quàm secundum existentiam, indiuisibilis numero præcedenti dicebamus. Et confirmatur; nam sicut naturalis qualitas agit naturaliter, & ad vltimum de potentia; ita etiam informat, seu inhæret, vel vnitur naturaliter, & ad vltimum de potentia: ergo dum tota est in subiecto, necessariò vnitur, seu informat, vel inhæret in subiecto perfectissimo modo, quo potest, ita, vt non possit vltius magis, ac magis perfectius vniri, seu informare, vel inhære.

37 Respondent aduersarij, hoc ita esse, quando subiectum est adæquatè dispositum ad vnionem, seu informationem, vel inhærentiam formæ; nam si non sit adæquatè dispositum; sed successiue, & continuè magis, ac magis dispo-

natur, poterit forma etiam si sit indiuisibilis, successiue, & continuè magis, ac magis vniri, seu informare, vel inhære; quod exemplificant in anima rationali, quæ forma indiuisibilis est, & tamen magis informat, seu vnitur quibusdam partibus corporis, quàm alijs: aliàs æqualiter per omnes partes sua munera, seu operationes exerceret, quod non contingit; nã videre exercet per oculos, audire per aures, &c.

38 Tamen hæc responsio vim argumenti non enervat; licet enim necessarium sit ad hoc, vt forma vnatur, seu informat, vel inhæreat in subiecto, quod subiectum sit aptum, vel dispositum ad ipsam recipiendam: tamen aptitudo, vel dispositio, quæ sufficiens est in subiecto ad hoc, vt forma ei semel vnatur, seu informat, vel inhæreat, si forma indiuisibilis est, necessariò sufficiens erit, vt prædicta forma in eodem instanti, & seclusa quacumque alia dispositione secundum se totam, & ad vltimum de potentia vnatur, seu informat, vel inhæreat in subiecto, vt conuincit ratio facta cum sua confirmatione.

39 Neque exemplum adductum de anima rationali est ad rem; nam nos non loquimur de vnione, seu informatione, vel inhærentia formæ indiuisibilis respectu diuersarum partium subiecti, sed respectu eius-

\*

I dem



dem partis; pars enim subiecti, quæ apta, seu disposita est ad recipiendam formam individualē vnius speciei (vt aduenit Scotus loco primi citato) etiam erit apta, seu disposita recipere quamcumque aliā, & aliam formam individualē eiusdem speciei; ac per consequens ratione indispōitionis subiecti non poterit euenire, quòd forma, quæ aliās propter suam indiuisibilitatem, & modum informādi petit vniri, seu informare, vel inhære in subiecto in instanti, & secundum se totum, & ad vltimum de potentia, non in instanti, & ad vltimum de potentia vnatur, seu informet, vel inhæreat in subiecto, sed potius continuè, successiuè, & secundum magis, ac magis. Quibus accedit, non esse certum, sed valdè dubium, animam rationalē magis informare, seu vniri quibusdam partibus corporis, quàm alijs. Nam, quòd anima suas operationes exerceat per quasdam partes corporis, & non per alias, non arguit, quòd anima magis informet, seu vnita sit quibusdam partibus corporis, quàm alijs; sed quòd arguit est, partes corporis, quas informat anima, non esse substantialiter homogeneas, & eiusdem rationis, sed eterogeneas, & diuersa rationis, & consequenter quādā habere organa requisita ad hoc, vt per ipsa anima suas opera-

tiones vitales, & sensitiuas exerceat, alias verò non. Et quāuis in scientia eorum, qui negāt, in viuētibz dari, præter animam, formam aliam substantialē, quæ dicitur corporeitatis, hoc appareat difficile, tamē in sententiā nostrā, & Scoti, quæ sustinet (vt ex dictis disputat. 2. quæst. 4. constat) in viuētibz, præter animam, dari formam corporeitatis, imò plures formas corporeitatis partiales, à quibus, & non ab anima partes corporis habent, quòd sint substantialiter organica, & corporea, nulla apparet difficultas.

40. Tertiò (& est argumētum Scoti loco primi citato) quia adhuc admisso, qualitate indiuisibilem posse continuè, & successiuè magis, ac magis radicari in subiecto, seu quòd idem est, posse cōtinuè, & successiuè magis, ac magis vniri, seu informare, vel inhære in subiecto, vt aduersarij contendunt, nihil eis prodesset ad affirmandum, intensiorem qualitatis resultare ex maiori radicatione illius in subiecto, seu quòd idē est, ex maiori vnione, seu maiori informatione, vel inhæsiōne in subiecto. Primò, quia rubor ortus ex verecundia, qui dicitur *passio*, cum sit qualitas citò transiens, non videtur ita radicari, vniri, seu informare, vel inhære in subiecto, ac rubor naturalis, qui dicitur *passibilis qualitas*, cū hic

hic sit diu permanens in subiecto, & tamen rubor ortus ex verecundia sæpè est intensior (vt experientia docet) quàm rubor naturalis.

41. Secundo, quia si maiori intensio resultaret ex maiori radicatione qualitatis in subiecto, seu quòd idem est, ex maiore vnione, seu informatione, vel inhærentia in subiecto, sequeretur, quòd si Deus separaret albedinem niuis, & albedinem hominis à suis subiectis (quòd fieri posse potentia Dei absoluta, nullus dubitat) tunc albedo niuis, non maneret magis intensa, quàm albedo hominis: sequela patet, quia in dicto casu prædictæ albedines non possent retinere modum radicationis in subiecto, seu quòd idem est, modū vnionis, seu informationis, vel inhæsiōnis in subiecto.

42. Nec valet, si dicas, quòd in dicto casu, etsi albedo niuis, & albedo hominis non haberent actualem inhærentiam, seu radicationem in suis subiectis; haberent tamen aptitudinalem; & quia hæc maior esset in albedine niuis, quàm in albedine hominis, idè in dicto casu albedo niuis esset intensior albedine hominis. Hoc, inquam, nihil eis prestat; nam qui sic respondent, suam relinquunt sententiā, & nostram amplectuntur; quia cum aptitudinalis inhærentia, seu radicatio in subiecto sit pro-

pria passio entitatum prædictarum albedinum; imò in sententiā Thomistarum prædictatum quidditatiuam ipsarum, (vt ex dictis in Logica capite de accidentibus, disputatione vniuersa, quæstione 4. constat) dicere, quòd in prædicto casu albedo niuis esset magis intensa, quàm albedo hominis; quia albedo niuis haberet intensiorem aptitudinem ad inhærendum, seu magis radicari in subiecto, quàm albedo hominis, est manifestè affirmare, quòd in dicto casu albedo niuis esset magis intensa, quàm albedo hominis; quia albedo niuis in sua actuali entitate esset maior seu perfectior, quàm entitas actualis albedinis hominis, quod est nostram asserum non verò quòd albedo niuis esset magis intensa, quàm albedo hominis; quia etiam si vtraque entitatiuè sit æqualis; tamen albedo niuis magis radicatur, seu inhæret in subiecto, quàm albedo hominis, quod est ipsorum asserum.

43. Propter hæc alij respondent, quòd in casu, quòd Deus sua absoluta potentia separaret albedinem niuis, & albedinem hominis à suis subiectis, tunc albedo niuis nō maneret magis intensa, quàm albedo hominis. Quòd suadere conantur ex Aristotele, qui in prædicamentis capite de qualitate refert ex antiquis Philo-



fophis (& approbare videtur) qualitatem secundum se, & in abstracto non suscipere magis, & minus, sed subiectum per qualitatem nominari magis, vel minus tale, vel tale. Licet enim vnus homo denominetur magis iustus, quam alius, tamen vna iustitia, non dicitur magis iustitia, quam alia.

44 Sed hæc responsio, etsi procedat magis consequenter ad principia aduersariorū, quã præcedens; tamen falsum est, quod assumit, scilicet, in casu, quòd Deus sua absoluta potentia separaret albedinem niuis, & albedinem hominis à suis subiectis, tunc albedo niuis non maneret magis intensa, quam albedo hominis. Primum, quia hoc est contra experientiam, qua experimur, quòd si consecrentur duæ hostiæ, vna magis intensa alba, quam alia, etsi post cõsecrationē albedinis, vtriusque hostiæ maneat separata à suis subiectis; nihilominus vna albedo manet magis intensa alba, quam alia, non secus, ac erant, antequam à suis subiectis essent separata. Secundò (& est argumentum Scoti) subiectum non dicitur tale secundum formam, nisi quia forma est talis: ergo si albedo niuis secundum se cõsiderata non esset intensior, quam albedo hominis, nix nõ posset appellari magis, & intensius alba, quam appellare-

tur homo. Ridiculum sanè, & imperceptibile est, quòd duo subiecta non aliudè denominarentur alba, quam ab albedinibus in ipsis inhærentibus, & quòd nulla maiori intentione interueniente in ipsis albedinibus, vnum subiectum denominetur magis, & intensius album, quam aliud.

45 Neque id, quod ex Aristotele adducebant, aliquid eis fauet; nam loco citato solum reprobatur Aristoteles modum loquendi per magis, & minus, de qualitatibus abstractis, & approbat de qualitatibus in concreto; non tamen negat, vnam qualitatem in abstracto, & secundum se consideratam, esse, & appellari posse maiore, & intensiorem alia. Sicut enim in quantitatibus in abstracto hic modus loquendi non admittitur, vna linea est magis longa, quam altera; benè tamen admittitur vna linea est maior, vel magis longa, quam altera; ita in qualitatibus in abstracto, hic modus loquendi non admittitur, vna iustitia est magis iustitia, quam altera; benè tamen admittitur, vna iustitia est maior, vel magis intensa, quam altera. Et ratio discriminis inter istas loquutiones consistit, quia modus loquendi de qualitatibus in abstracto per magis, & minus, si absolute fiat, vt cū dicimus vna iustitia est magis iustitia, quam altera, vna albedo est magis albedo, quam altera,

tera

tera (& idem est iudicium de quantitatibus in abstracto) denotat diuersitatem, seu inæqualitatem in essentia, quod est falsum. At modus loquendi de qualitatibus in abstracto (& idè est iudicium de quantitatibus) per maioritatem, vt cum dicimus vna albedo est maior altera, vna linea est maior altera, vel per magis, & minus cū determinatione latitudinis, vel intensiue, vt cum in qualitatibus dicimus vna albedo est magis intensa, quã altera, vel extensiue, vt cū in quantitatibus dicimus, vna linea est magis longa, quã altera, non denotat diuersitatem, seu inæqualitatem in essentia, sed inæqualitatem in gradibus, vel partibus integralibus, quod verissimum est.

46 Nec demū dici potest id, quod nouiter dixerunt Patres Carmelitani loco citato §. 2. quos in parte sequitur Ioannes à Sancto Thoma, scilicet, hunc modum maioris radicationis indiuisibilis qualitatis in eodè subiecto consistere in quodam modo realiter distincto, tam ab vnione, quam ab inhærentia qualitatis in subiecto: quod probant, tum, quia eadè qualitas permanet vnita subiecto, etiam si non maneat modus intentionis; tum, quia inhærentia correspondet in accidentibus modo essendi per se reposito in substantijs: vnde sicut naturaliter loquendo substantiæ retinet, quamdiu durant, eundem

modum essendi per se; ita & qualitates, & quæcumque alia accidentia retinent, quamdiu durant, eandem inhærentiam; non tamè semper retinent eundem modum intentionis; quæ omnia magis confirmari possunt ex dictis à nobis à numero 34. contra eos, qui maiorem radicationem qualitatum in subiecto in maiori vnione, vel inhærentia ipsarum in subiecto constituebant.

47 Quod si ab his auctoribus inquiras, quisnam sit hic modus maioris radicationis in subiecto, si non est maior vnio, vel maior inhærentia qualitatis in subiecto? Respondent, esse modum quemdam tribuentem qualitati, v. g. calori actualitatem, non qualemcumque, sed maiorem intra propriam lineam caloris, ratione cuius calor meliori, & perfectiori modo esse habet, potentque redditur meliorem, & perfectiorem effectum præstare, tam in genere cause efficientis, quam formalis, & ad hunc modum loquendi conantur reducere varios modos loquendi, quibus tam D. Thomas, quam alij Thomistæ explicare solent, quid sit, seu in quo consistat modus maioris radicationis in subiecto.

48 Sed hic modus explicandi, in quo consistit hæc maior radicatione indiuisibilis qualitatis in eodè subiecto, etsi obiter alios supra relatos impugnet; non tamen saliculus ex-



pleat, in quo consistat. Si enim attentè omnia, quæ auctores isti docent, perpendantur, facile reperiemus extra choros saltare, nam controversia, quæ in præsentia versatur inter nos, & rigidos Thomistas, non consistit, in explicando, in quo ratio formalis intentionis qualitatum consistat, ut auctores isti videntur præsupponere; omnes enim fatentur id, quod passim docet Scotus, scilicet, rationem formalem intentionis qualitatum sitam esse in quadam latitudine perfectionis, seu virtutis, & individualis, & intra eandem lineam, seu speciem qualitatis, quæ latitudo, etsi sit quidam modus intrinsecus qualitatum, suscipit tamè magis, & minus, ut expressè docuit Aristoteles in prædicamentis capite de qualitate; sed tota controversia consistit in explicando, quæ sit causa huius maioris latitudinis, seu intentionis in qualitatibus. Et nos cum sustinemus, qualitatem secundum intentionem esse diuisibilem in partes, seu gradus diuisibiles in semper diuisibilia, facile assignamus causam, scilicet, productionem, & additionem nouæ partis, seu noui gradus ad partes, seu gradus qualitatis præexistentes. At rigidi Thomistæ, qui sibi semel suaferunt, qualitates secundum suas entitates esse indiuisibiles, coacti sunt aliam causam assignare, scilicet, maiorem radica-

nem eiusdem indiuisibilis qualitatis in eadem parte subiecti, quod assertum à nobis huc usque impugnatum est, referendo, & repellendo omnes modos, quibus explicari solet, in quo consistat hic modus maioris radicationis in subiecto, quam assignant esse causam maioris intentionis, seu latitudinis perfectionis, seu virtutis, intra eandem lineam, seu speciem qualitatis. Dicere autem, quod Patres Carmelitani nouiter affirmant, hunc modum maioris radicationis, qui est causa maioris intentionis qualitatis, etsi non consistat in maiore vnione, neque in maiori inhærentia qualitatis; consistere tamen in maiori intentione, seu, ut ipsi loquuntur, & in idem incidit, in latitudine, seu maiori virtute, & perfectione in eadem linea, seu specie qualitatis, non solum est falsum, sed etiam implicatorium: est enim manifestum, implicationem inuoluere, qui affirmant, idem esse causam sui ipsius, quod isti Patres affirmant, dum ex vna parte conantur causam maioris intentionis esse maiorem radicationem indiuisibilis qualitatis in subiecto, & ex alia, dum explicat, in quo consistat hæc maior radicatione indiuisibilis qualitatis in subiecto, respondent consistere in maiori, & perfectiori modo intentionis, seu, quod idem est, in latitudine, seu maiori

re virtutis, seu perfectionis in eadem linea, seu specie qualitatis.

49. Possumus præterea hunc modum maioris radicationis repellere. Quia si rigidi Thomistæ admittunt in hoc modo maioris radicationis in subiecto (in quocunque ab ipsis constituto) latitudinem intensiuam, & partium ad partes additionem, ut fici possint saluare, alterationem intensiuam esse verum motum successiuum, & continuum; quid causa est, quod in entitate formæ, seu qualitatis, eis tam impossibilis videatur hæc latitudo, seu partium ad partes additio? Quare facere possumus contra ipsos argumentum, quod ipsi faciunt contra nos, & est præcipuum ipsorum fundamentum, inquirendo ab ipsis, an partes, seu gradus, ex quibus hic modus maioris radicationis coalescit, sint eiusdem, vel diuersæ speciei? si dicant esse diuersæ speciei, inquiram, quomodo adunari possint ad vnum per se modum radicationis constitutum? si affirmant esse eiusdem speciei, sed distinctæ numero, interrogabo, quomodo inhæreere possunt in eodem numero subiecto? Et quidquid respondeant, facile applicare poterunt ad similes interrogationes, quas ipsi faciunt circa partiales entitates, seu gradus qualita-

30. Secundum, & principale nostrum assertum, scilicet, intentionem qualitatis fieri, seu causari per productionem, & additionem nouæ partis, seu gradus qualitatis ad partes, seu gradus præexistentes in eadem parte subiecti, probari potest 1. auctoritate Aristotelis ex 4. Physicorum textu 85. quam, ut vidimus supra num. 24. aduersarij adducebāt pro sua sententia, vbi Aristoteles volens ostendere, idem esse subiectum contrarium, ponit, non verba relata ab aduersarijs, sed ista, *Nam ut ex frigido calidum eadem, & ex calido frigidum fit, quod potentia ambo erat; sic ex calido fit magis calidum.* Quibus verbis apertè docet Aristoteles, eodem pacto fieri ex calido magis calidum, ac ex frigido fit calidum; sed ex frigido fit calidum (ipsis aduersarijs consentientibus) per educationem primæ partis caloris de potentia subiecti; ergo ex calido fiet magis calidum per educationem nouæ partis, seu gradus caloris de potentia subiecti, & præexistenti vnitate, seu copulatæ. Neque obstant verba, quæ ab Aristotele subiunguntur, *Nulla profus ipsius parte, tunc emergente calida, quæ non erat ante calida, cum calida minus erat.* Nam in his verbis non dicit Aristoteles, fieri magis calidum ex minus calido, nullo emergente, seu addito calore ( ut



aduersarij conſingunt) ſed nulla parte emergente calida, quæ antea non erat calida, id eſt, non accedente noua parte materiæ, ſeu ſubiecti, calidæ, quæ antea non eſſet calida, cum calida minus erat, ſed potiùs idem ſubiectum per nouam partem caloris fieri magis calidum.

51. Secundò probari poteſt rationibus. Prima (& eſt deſumpta ex doctrina Ariſtotelis numero præcedenti adducta) quando agens calidum (exempli gratia) primò incipit calefacere manum frigidam, producit in ea aliquem gradum caloris: ergo cum ſucceſſiue calefactionem continuat, producet in prædicta manu ſucceſſiue, & continuè alium, & alium gradum caloris, ex quibus omnibus illa maior intentionſiõ, quam experimur, ſucceſſiue, & continuè fieri in manu, coaleſcat. Antecedens ab omnibus recipitur, confequẽtia eſt manifeſta, non ſolum per experientiam tactus (ſentit enim manus, quæ ab igne ſucceſſiue, & continuè magis, ac magis incaleſcit, ſucceſſiue, & continuè nouo, ac nouo calore ſe affici). ſed etiam per rationem; nam cum omnes partes iſtus ſucceſſiue, & continuè calefactionis homogeneæ, & eiufdem rationis ſint (ſunt enim omnes calefactiones partiales) ſi prima eſt productiua alicuius noui gra-

duſ caloris, quòd ſecunda, tertia, quarta, &c. productiue etiam ſint noui, ac noui gradus caloris, omninò neceſſarium erit.

52. Secunda, virtus agendi in qualitatibus, & ipſamet entitas qualitatis, v. gr. virtus calefaciendi in calore eſt ipſamet entitas caloris; quis hoc neget? Nam ſi entitas caloris non eſt virtus formalis, & immediata calefaciendi, quidnam erit in igne virtus formalis, & immediata calefaciendi? Sed qualitas per motum intentionſiõis, acquirit maiorem virtutem agendi: ergo qualitas per motum intentionſiõis acquirat maiorem entitatem.

53. Tertia, quia ſi per motum intentionſiõis nõ producitur qualitas, ſed motus qualitatis; ſequeretur, per alterationem nũquam produci qualitatem, ſed ſolum modos qualitatis, & ſic tota qualitas in modos reſolueretur, quod eſt abſurdum. Sequela patet, quia quoties incipit produci qualitas, per motum, incipit etiam eius intentionſiõ: ergo ſi per intentionẽ non producitur qualitas, ſed ad ſummum modus eius, neque per totum motum alterationis producet, niſi modus qualitatis, & ſic tota qualitas in modos euaneſceret. Nec reſert, ſi reſpondeas, dari quoddã inſtãtẽporis determinatum, in quo primò producitur ſola qualitas per alterationem, & deinde

pro

producitur modus intentionſiõis, hoc, inquam, nihil reſert; tum, quia per alterationem nõ producitur minima qualitas: ergo non poterit produci qualitas ſola, & ſine modo intentionſiõis; tum etiam, quia ſi in alteratione daretur primum inſtans, in quo produceretur ſola qualitas in ſubiectò, in motu alterationis aſſignari poſſet primum mutatum eſſe, illud, ſcilicet, inſtans pro quo verificaretur, nunc mutatum eſt ſubiectum per receptionem qualitatis, & tempore immediato non erat mutatum, quod eſt expreſſe contra Ariſtotelem 6. Phyſicorum, cap. 5.

54. Quarta, augmentum ſecundum quantitatem virtutis, quale eſt, quòd appellamus intentionſium, ſit proportionali modo, quo fit augmentum ſecundum quantitatem molem, ſeu corpoream, quòd appellamus extenſiuum; ſed hoc fit per additionem partis quantitatis ad partes quantitatis præexiſtentes eiufdem ſpeciei: ergo & illud, ſeruata proportione, fiet per additionem gradus qualitatis ad gradus præexiſtentes eiufdem ſpeciei. Maior ab omnibus debet recipi; nam non ſolum eſt communis, ſed etiam expreſſa Diui Thomæ 1. 2. quæſt. 52. artic. 1. ad 1. vbi ait, *Nomen augmenti, & magnitudinis per ſe primò competit quantitati corporali, & deinde derivatur ad alia.* Minor eſt Ariſtotelis hoc

1. libro de generatione textu 31. vbi ait, *Augmentum eſt præexiſtenti magnitudini additamentum.*

55. Quinta, & vltima, quia ponere intentionem qualitatum fieri, ſeu cauſari per productionem, & additionem noui gradus qualitatis ad gradus qualitatis præexiſtentes, nullum inuoluit inconueniens, & aliàs optimè percipitur, & declaratur, quo modo fiat intentionſio qualitatum. Ponere autem intentionem fieri, ſeu cauſari per maiorem radicacionem indiuiſibilis qualitatis in eodem ſubiectò (quocumque modo explicetur) agrè ſanè percipitur, & declaratur: ergo prior modus erit amplectendus: poſterior relinquendus, præſertim cum mens D. Thomæ adeò obſcura ſit, vt non immeritò ab Hurrado, & alijs pro noſtra ſententia adducatur; non enim negat D. Thomas in intentione aliquid qualitatis additum priori, & quòd ſit ab ipſo realiter diſtinctum (vt expendentia loca D. Thomæ erit manifeſtum) ſed id eſſe diſtinctum ſecundum numerum, quòd quàm verum ſit, ex dicendis num. 57. erit perſpicuum. Prior pars antecederet, nullo modo melius probari poteſt, quàm ſoluendo ea, quæ contra noſtram ſententiam obiecta ſunt.

56. Ad auctoritatem Ariſtotelis numero 24. pro oppoſita ſen-



sententia adducta, patet ex di-  
ctis num. 30. tantum abesse, vt  
prædicta auctoritas nostrâ sen-  
tentiam impugnet, quod po-  
tius illam iustificè confirmet.  
57 Ad fundamentum oppo-  
sitæ sententiæ num. 25. adduc-  
tum fatemur libèter, hos gra-  
dus, per quorum additionem  
vnus ad alios fit, seu caufatur  
intensio qualitarum, esse reali-  
ter inter se distinctos, & cum  
inquiritur, an fiat distincti in  
specie, an solùm numero? iam  
supra numero 14. responsum  
est, neque esse specie distin-  
ctos; quia eiusdè sunt rationis;  
neque in re posse appellari di-  
stinctos numero; quia nume-  
rus est quantitas discreta, &  
gradus isti, etsi sint realiter di-  
stincti, non sunt in re discreti,  
sed potius continui, & proprijs  
indiuisibilibus copulati, vt la-  
tè docuimus 6. Physicorū dis-  
put. 1. quæst. 13. sect. 3. à num.  
40. & sic gradus intensiōis, qui  
de nouo adueniunt, constituūt  
cum præexistētibus vnā nu-  
mero qualitatem, licet magis  
indiuidualiter perfectam, seu  
intensam: quod exemplifica-  
uimus in quantitatibus, scilicet,  
in extensione paræ lineæ,  
quæ extensio, seu augmentum,  
etiam si fiat per additionē no-  
uæ, & distinctæ partis longi-  
tudinis in diuersis partibus subie-  
cti, nullus vnquam dixit, ibi  
esse plures numero lineas, sed  
potius vnā numero lineam,  
licet magis longam, ac antea

erat; non alia ratione, nisi quia  
prædictæ partes lineæ, etsi sint  
realiter distinctæ; non tamen  
manent in re acta discretæ, sed  
solùm in potentia, cum potius  
in re maneant actu continuæ,  
& proprijs indiuisibilibus co-  
pulatæ. Et dixi notanter, distin-  
ctos gradus intensiōis *in re* nõ  
esse discretos, & consequenter  
*in re* non esse appellandos nu-  
mero distinctos; nam per ratio-  
nem optime possunt secerni,  
seu secari, & consequenter ap-  
prehendi, vt gradus numero  
distincti, vt cum in disputatio-  
nibus assignamus in vna nu-  
mero qualitate *sex*, aut *octo*  
gradus intensiōis; sed hoc nõ  
tollit, quod in re sint continui,  
& vnā numero qualitatem,  
licet magis perfectam, & intē-  
sam constituentes. En quā  
inceptè inferatur, ex eo, quod  
intensio fiat, seu causetur per  
productionem, & additionem  
noui, & distincti gradus ad gra-  
dus præexistentes, dari duo, aut  
plura accidentia absoluta eius-  
dem speciei, numero distincta  
in eodem subiecto, cum po-  
tius inferri debeat, dari in ea-  
dem parte subiecti idem nu-  
mero accidens, indiuidualiter  
magis perfectum, seu inten-  
sum.

58 Ad cōfirmationem num.  
26. adductam, negamus, se qui  
ex eo, quod in intensiōe qua-  
litarum assignentur plures, & di-  
stincti gradus integræ vnā  
intensiōem, prædictam inten-  
sio-

## QVÆSTIO V.

An omnes gradus intensiōis eius-  
dem sint rationis, seu  
perfectiōis?

tionem non esse vnū per se.  
Et ad probationem dicimus,  
gradus istos distinctos, quos as-  
signamus, vniri ad faciendum  
vnū per se integrale secundū  
eandem intensiōem, eodem pa-  
cto, ac partes integrales quan-  
titarum vnuntur ad faciendum  
vnū per se integrale secundū  
extensionem, nimirum, me-  
dijs quibusdam indiuisibili-  
bus. Et cum instant, solā quan-  
titarum ex se habere partes in-  
tegrales, & indiuisibilia, qui-  
bus prædictæ partes copulan-  
tur; reliqua verò accidentia  
solū habere partes integran-  
tes, & indiuisibilia, quibus co-  
pulantur beneficio quantita-  
tis, negamus assumptum; nam  
tam substantias materiales, quā  
accidentia materialia habere  
ex se, & seclusa quantitate, par-  
tes integrales entitatiuas, &  
propria indiuisibilia entitati-  
ua, quibus partes istæ copulan-  
tur, ex professio ostēdimus cō-  
tra istos rigidos Thomistas in  
Logica cap. de quantitate dis-  
put. 1. quæst. 2. cum Scoto, &  
communiori sententia; & 6.  
Physicorum disput. 1. quæst.  
3. sect. 3. à num. 40. v. que  
ad 49. idem docui-  
mus de indiuisi-  
bilibus.

1 Statuimus quæstione præ-  
cedenti, in qualitatibus  
maiorē latitudinem intensi-  
uam fieri, seu causari ex produ-  
ctione, & additione noui gra-  
dus qualitarum ad gradus inten-  
siōis eiusdem qualitarum in ea-  
dem parte subiecti præexistentes,  
ex quibus, & ex ipso vnitis  
medijs proprijs indiuisibili-  
bus, seu terminis cōmunnibus;  
etiam resurget quædam qualitas  
magis perfecta, seu intensā, ac  
erat antea; non tamen distin-  
cta, neque specie, neque nu-  
mero, à qualitate remissa, &  
quæ dicitur intēdi; non secus,  
ac in quantitatibus, lineæ, v. gr.  
dicitur habere maiorē lati-  
tudinem extensiuam, seu fieri  
magis longa ex productione,  
& additione nouæ partis lon-  
gitudinis ad partes longitudi-  
nis eiusdem lineæ præexistentes  
in diuersis partibus subiecti,  
ex quibus, & ex ipsa, vnitis me-  
dijs proprijs indiuisibilibus, seu  
terminis cōmunnibus, etiam re-  
surget quædam linea magis ex-  
tensa, seu longa, ac erat antea;  
non tamen distincta, neque  
specie, neque numero ab ipsa  
linea minoris, quæ dicitur ex-  
tēdi, seu fieri magis longa. Est  
tamen controuersia non parua  
inter



inter auctores, qui nobiscum hanc teneant sententiam, in explicando, an isti gradus intentionis, ex quibus resultat hæc maior perfectio, seu intensio in qualitatibus, ad inuicem comparati, sint homo generi, seu eiusdem rationis, & perfectionis? An ætherogeni, seu diuersæ rationis, & perfectionis?

2 Prima sententia affirmat, gradus, ex quibus maior, seu perfectior intentio qualitatis resultat, ad inuicem comparatos esse inter se diuersæ rationis, seu dissimiles, inæqualis perfectionis, atque ætherogenos, & ex natura rei ita subordinatos, vt secundus necessario præsupponat primum, & tertius secundum, & sic de reliquis, nec posse contingere, quod secundus ponatur loco primi, nec tertius loco secundi, neque e contra, quia secundus est perfectior primo, & tertius secundum, & sic de reliquis. Unde consequenter in remissione qualitatis e contrario affirmant, prius omnino debere destrui superiorem, & perfectiorem gradum intentionis qualitatis contrariæ, scilicet, gradum octauum, deinde septimum, & sic vsque ad primum, v. g. si ignis applicetur manui frigida, per primum gradum caloris introductum in manu expellendum esse à manu summum gradum frigiditatis, puta gradum octauum, deinde per secundum gradum caloris ex-

pellendum esse gradum frigiditatis, vt septem, & sic de reliquis, quibus addit, quod si duo gradus omnino similes, videlicet, duo gradus primi caloris simul in eadem parte subiecti collocarentur, non conficeret maiorem intentionem, quam, vt vnum, quo vsque adueniret secundus gradus, qui ex natura sua supponit primum, & illam excedit. Hæc sententia paucis retrò annis introducta est in scholas ab aliquibus auctoribus, inter quos sunt Suarez tom. 2. sup. metaphisicæ, disp. 46. sect. 1. à num. 30. Petrus Hurtado disp. 5. de alteratione, sect. 6. subsectione 1. & 2. Franciscus Alfonsius hic disput. 2. sectione 2. & 3. quibus hic auctor diuerso modo philosophetur de qualitatibus supernaturalibus, an consequenter, alijs relinquo examinandum, nam nostra partim interest.

3 Hanc sententiam non aliunde probant illi recentiores, quam à posteriori ex inconuenientibus, inquam, que ex opposita sententia sequerentur. Et quibus ab ipsis plura numerentur; possunt tamen omnia ad quatuor capita reduci, sed aduertendo prius, vt vim ipsorum capipossit, id, quod aliqui ipsorum præsupponant, & est doctrina recepta inter Theologos, & Philosophos, quam inter alios tradiderunt noster Scotus in 1. dist. 17. quæst. vlti-

tima, & Angelicus Doctor 1. part. quæst. 76. art. 4. ad 4. scilicet, qualitates contrarias, et si naturaliter non possint esse simul in supremis gradibus intentionis in eodem subiecto, possunt tamè esse simul in gradibus remissis, vt calor, & frigus in tepido; albedo, & nigredo in fulco, quæ ipsa experientia satis manifestat.

4 Hoc supposito, sic argumètantur. Si gradus intentionis non essent ætherogeni, dissimiles, inæqualis perfectionis, & ex natura rei per se subordinati, sequeretur primò, posse agens naturale producere effectum perfectiorem se, & ultra virtutem suam, quod est absurdum. Sequelam sic probant; calor, vt vnum, v. gr. potest producere plures calores, vt vnum in diuersis subiectis; ergo etiam illos poterit producere in eodem subiecto, quod si hoc contingat, producet calorem, vt duo, vt ter, vt quatuor, &c. qui sunt calores, & effectus perfectiores se, & ultra virtutem eius. Consequentiam huius probationis probant ex eo, quod huicmodi gradus intentionis non sunt magis perfecti ex eo, quod sint in vno subiecto, ac ex eo, quod sint in pluribus, cum hoc sit eis valde accidentarium, & insuper non sit minor capacitas in subiecto ad recipiendum plures gradus caloris, quam ad recipiendum vnum; ergo si calor, vt vnum, potest produ-

cere plures calores, vt vnum, in pluribus subiectis; poterit etiam illos æque producere in eodem subiecto.

5 Secundò sequeretur, non solum, quod possit agens naturale producere effectum perfectiorem se, & ultra virtutem suam; sed etiam, quod possit intendere qualitatem in infinitum, & sine termino, quod est maius absurdum. Sequelam probant, quia si gradus intentionis essent homogenei, omnino similes, & equalis perfectionis, & ex natura rei non essent per se subordinati, non esset difficultius producere secundum, quam primum, nec tertium, quam secundum, nec quartum, quam tertium, & sic de reliquis vsque in infinitum; ac per consequens agens, potens producere primò, esset potens producere secundum, tertium, & quartum vsque in infinitum.

6 Tertio sequeretur, quod non possit qualitas intensa remitti, neque villo modo corrupti à qualitate sibi contraria, quod est contra manifestam experientiam. Sequelam probant, nam si gradus, ex quibus resultat intentio qualitatis, essent homogenei, omnino similes, & equalis perfectionis, & nullo modo ex natura rei per se subordinati, non esset maior ratio, cur ab vno potius, quam ab alio inciperet remissio, seu corruptio, & sic à nullo inciperet, nisi mitteretur fors inter illos, quibusma-



esset primò expelliendus, & quis secundò, & quistertiò, &c. & expellerentur eodem ordine, quo fors cecidisset, quod est ridiculum. Quod si aliquis respondcat, incipere remissionem ab expulsiòne gradus vltimè producti; quia dissolutio rei est opposita productioni eius: non satis sit argumento, tum, quia dissolutio rei non est contraria ordini productionis, nisi quãdo ordo productionis manet in partibus rei productæ; quod in opposita sententia nõ contingit, ipsi auctoribus, qui ipsam defendunt, consentientibus; tum etiam, quia potest contingere, vt non prius vnus gradus producat, quã alius; sed omnes simul, vt contingit non solum in intensiõne luminis, & aliarum qualitatum, que non habent contrarium; sed etiam qualitatum, quæ, etsi habeant contrarium, sed non diuisibiliter, sed indiuisibiliter oppositum.

7 **Quartò**, & vltimò sequeretur, intensiõnem non esse aliud, quã coacervationem pluriũ entitatum existentium in aliquo subiecto absque villo ordine, & coniunctiõne faciente vnum per se; & omnes fatentur, esse intensiõnem qualitatum.

8 **Secunda sententia**, & que à nobis sequenda est, vt potèrior, & communior inter auctores, per oppositum affirmat, gradus, ex quibus maior,

seu perfectior intensiõ qualitatis resultat, adinuicem cõparatos, esse inter se homogenos, seu eiusdem rationis, omninò similes, æqualis perfectionis, & nullo modo ex natura rei ita per se subordinatos, vt secundus præsupponat primum, & tertius secundum, &c. Ita omnes Theologi antiqui in primum, dist. 17. Scotus noster quæst. 3. & alibi 4. Diuus Bonaventura artic. 1. quæst. 1. ad 2. Richardus artic. 2. quæst. 2. Ockhamus, Gabriel, & Gregorius de Arimino quæst. 6. Albertus Magnus artic. 10. Antonius Andreas 8. Metaph. & ibidem Niphus, quæst. 1. cap. 4. Vazquez 1. 2. disp. 8. 2. cap. 6. Conimbricenses hic capite 4. quæst. 2. art. 3. Rubius tract. 3. quæst. 5. Auerfa quæst. 23. de qualitate, sect. 7. & alij, quã plures; & probari potest à priori, & à posteriori.

9 **A priori**, quia sicut nõ sunt multiplicandæ entitates reales sine necessitate, ita neque perfectiones reales; sed ad saluandum augmentum intensiũ in qualitatibus non est necessarium, quòd secundus gradus excedat in perfectione primũ, & tertius secundum, & sic in reliquis ascendendo vsque ad summum: ergo hæc multiplicatio perfectionum in gradibus intensiõnis, & subordinatio vnus ad alium ratione maioris perfectionis, quam ponit opposita sententia, non est admittenda,

mittenda, sed potius releganda. Minor huius discursus, in qua est sita tota difficultas, probari potest negatiuè, & positiuè. Negatiuè probabitur infra, sol uendo inconuenientiam, quæ obiecta sunt ab aduersarijs ad probandum esse necessarium ad saluandum augmentum intensiũ in qualitatibus, ponere in gradibus supradictam subordinationem vnus ad aliũ ratione maioris, vel minoris perfectionis. Positiuè verò nõc probanda est duplici via.

10 **Primò** probatur à simili de augmento extensiuo quantitatis nobis (nam ad eius instar philosophandum esse de augmento intensiuo quantitatis virtutis, quæst. præcedenti numer. 54. ex communi Theologorum doctrina, & quã etiã amplèxi sunt auctores, contra quos nunc disputamus ad probandum intensiõnem fieri per additionem gradus ad gradũ, statuiamus) in quo in omnium sententia non requiritur, quòd pars, quæ de nouo producit in diuersa parte subiecti, sit maior, seu magis extensa, quã præexistens, sed sufficit ad hoc, quòd quantitas dicatur magis extensa, quã antea erat, quòd in diuersa parte subiecti producat noua pars quãtitatis cõtinuata cum præexistente medio aliquo indiuisibili, siue hæc pars sit maior, siue minor, siue æqualis præexistenti; hoc enim est accidentale, & solum

deseruiens ad maiorẽ, vel minorem extensiõnem illius quantitatis, quæ ex vnione ipsarum resultat, ergo similiter ad augmentum intensiũ qualitatum non erit necessariũ, quòd pars, seu gradus qualitatis, quæ de nouo producit, sit perfectior, seu intensior præexistenti; sed sufficere quòd in eadem parte subiecti producat, & quòd cum præexistentiibus vnatur, & cõtinuetur medio aliquo indiuisibili, ita vt: ex ipso, & præexistentiibus resultet in eadem parte subiecti vna numero qualitas magis perfecta, seu intensa, siuè iste gradus, qui de nouo additur, sit perfectior, siuè sit imperfectior, siue in perfectione æqualis erit præexistentiibus; hoc enim est accidentale augmento intensiuo qualitatum, & solum de sententiã ad maiorem, vel minorem intensiõnem illius qualitatis, quæ ex vnione ipsorum resultat.

11 **Secundò** probatur eadem minor: quia negari non potest, quòd si gradibus præexistentiibus qualitatis de nouo addatur alius gradus, etiam si minutissimus sit, in eadem parte subiecti, qui cum præexistentiibus vnatur, & cõtinuetur medio aliquo indiuisibili, quòd talis qualitas fiat magis intensa seu perfectior, ac antea erat: ergo inepè requiritur ad augmentũ intensiũ, quòd gradus superueniens sit perfectior omni-





nibus præexistentibus. Antecedens contra proteruos probatur; quia illegradus, qui de nouo producit, quantumuis minutissimus sit, habet perfectionem distinctam realiter à perfectione graduum præexistentium; ergo est impossibile, quod illis addatur, vniatur, & continuetur, & quoddam continuū ex eis resultans in eadem parte subiecti non sit perfectius, & intensius; siquidem includit omnem perfectionem, quam habebat antea, & amplius aliā distinctam; & hinc sumit vires illud commune proloquium, *virtus vnica fortior est seipsa dispersa.*

12. A posteriori probatur nostra sententia ex pluribus inconuenientibus, quæ ex opposita sententia sequerentur. Nā in primis, si ad augmentum intensuum esset simpliciter necessarium, quod gradus posterior esset perfectior prioribus, v. g. quod gradus secundus cōtinere non solum virtutem, quam continet primus, sed aliam, & aliam maiorem, sequeretur, priores gradus in præsentia posterioris esse superfluos; siquidem gradus posterior posset præstare, quidquid præstant gradus priores, & aliquid amplius. Vnde consequenter esset dicendum id, quod affirmabant Durandus, & alij, quos citatione præcedentium. 3. citauimus, & non solum a nobis, sed etiam ab ad-

uersarijs refutatam fuit, scilicet, adueniente posteriori gradus, priores corrumpi; quia natura nihil superfluum permittit; & confirmatur à simili, nam ideo omnes Peripatetici ponunt in homine non tres animas, scilicet, vegetatiuā, sensitiuā, & rationalem; sed potius vnā tantum, scilicet, rationalem; quia cum anima rationalis habeat in se virtutem vegetandi, & sentiendi, & aliquid amplius, scilicet, virtutē ratiocinandi; superfluum esset ponere cum illa alias duas animas, vegetatiuam, videlicet, & sensitiuam; ergo simili modo superfluum esset ponere in præsentia gradus posterioris, gradus priores, si posterior continet in se virtutem omnium priorum, & aliquid amplius.

13. Respondent aliqui ex doctrina Patris Ioannis Alfonso in posterioribus, seu perfectioribus gradus præsentia non corrumpi, sed potius manere gradus priores, seu imperfectiores, quia etiam si posterior, & perfectior gradus in se contineat virtutes priorum, seu imperfectiorum; sunt tamen priores, seu imperfectiores dispositiones simpliciter requisitæ ad consistentiam gradus posterioris, seu perfectioris.

14. Sed quidquid sit denominatione *dispositionis*, quo valde abutitur auctor iste (sicut enim in ternario necessarium est, quod ad vltimam vnitatem præcedant

dant duæ priores vnitates; sed non vt dispositiones requisitæ ad consistentiam tertie vnitatis; quis hoc dicat; sed potius vt partes integrantes, ex quibus, & ex tercia vnitatem numerus ternarius coalescat: ita in intentione, vt tria, etsi necessarium sit, quod ad tertium, & posteriorem gradum præcedant primus, & secundus gradus intentionis; sed non, vt dispositiones requisitæ ad consistentiam tertij gradus; sed vt partes integrantes, ex quibus, & ex tertio gradu intentio, vt tria resisteret) contra hoc est, quod forma corporeitatis, quæ simul cum materia prima constituit corpus organicum, est vera dispositio ad hoc, vt corpus organicum informetur animam, & nihilominus in sententia aliorum (quos sequitur auctor iste) assertorium in uiuentibus solum dari vnica formam substantialem, scilicet, animam, consequenter est dicendum, sicut de facto dicunt, adueniente anima, destrui, & corrumpi formam corporeitatis præcipua ratione; quia existimant, animam propter suam perfectionem posse præstare, quod præstabat forma corporeitatis, & aliquid amplius, scilicet, esse vegetatiuum, vel sensitiuum, vel rationale, & sic esse superfluum ponere in uiuentibus formam corporeitatis; nam si semel admitterent cum Scoto, animam

nō posse præstare effectum formalem, quem præstat forma corporeitatis, scilicet, esse corpus, admittere tenerentur cum ipso Scoto, in viuentibus prætere animam dari etiam formam corporeitatis, ne cogentur asserere dari effectum formalem sine causa formali. Ad rem ergo, cum auctores isti sustineant, gradum posteriorem esse perfectiorem omnibus prioribus, & alias omnes sint eiusdem speciei, præstabitque gradus posterior, tam in genere causæ formalis, quam in genere causæ efficientis, quidquid præstare possunt priores, & aliquid amplius, & consequenter in præsentia illius priorum erunt superflui, & sic corrumpentur; quia vt dicebamus, natura nihil superfluum permittit.

15. Et confirmatur, & declaratur amplius; nam sicut gradus, exempli gratia, caloris, esset perfectior prioribus, posset vtique Deus illum in subiecto collocare, sublati inferioribus, & iuxta illum ponere subiectum caloris capax, & tunc solus ille superior gradus caloris naturaliter loquendo produceret, non solum gradum superiorem, sed etiam inferiores, præsertim in sententia huius auctoris, qui sustinet, gradus inferioris esse dispositiones necessarias ad consistentiam gradus superioris: ergo ex natura rei sufficiens



esset ad præstandum, quidquid præstant inferiores, & consequenter in præsentia illius inferiores, seu superiores essent superflui, & corrumperebuntur, vt allerebat Durandus, qui quantum ad hoc, magis consequenter loquutus est, quam auctores istius.

16. Secundò sequeretur, intentionem non esse motum cõtinuum. Sequela patet, nam si calor, v. g. vt duo, non potest intendi per productionem, & additionem cuiuscumque gradus caloris; sed necessarium esset, quòd gradus, per quẽ intendi debet, sit perfectior, quam gradus caloris, vt duo, cum iste gradus caloris magis perfectus requiratur ad suam productionẽ aliquod tempus toto illo tempore, in quo fit, & nõ dum est; causabit interitõ, siquidem prototo illo tempore verum est dicere, calorem, vt duo, non magis intendi seu augeri, & perfici actũ; sed hoc solum illi cõpeteret in instanti terminatio illius in aëre, in quo esset verum dicere, esse actũ calorem in requisita perfectione, quæ necessaria est, vt prædictus gradus exuperet perfectionem caloris, vt duo, præexistentis; & consequenter calorem, vt duo, actũ esse iam magis auctum, seu perfectum in eadem parte subiecti.

17. Tertiò sequeretur, quòd in motu intentionis possemus ex parte termini à quo assigna-

re primum mutatum esse, & consequenter, quòd prædictus motus non inciperet extrinsecè, & per vltimum sui non esse, sed potius intrinsecè, & per primum sui esse, quæ in doctrina peripatetica absurda sunt, & contra ea, quæ docet Aristoteles 6. libro Physicorum. Sequela patet; nam si gradus intentionis essent heterogenij, seu inæqualis perfectionis, necessariò sequeretur id, quod coacti sunt allere aduersarij, scilicet, gradus intentionis ex natura rei in ratione perfectionis esse per se, & essentialiter ( vt dicitur à Philosophis) subordinatos, ita, vt secundus necessariò supponat primum, & tertius secundum, & sic de reliquis. Constat autem ex doctrina, quam Aristoteles late tradidit 8. Physicorum, quam omnes Peripatetici amplectuntur, in per se, & essentialiter subordinatis nõ posse dari processum in infinitum; sed sistendum esse in aliquo primo, quod sit initium, vel fundamentum cæterorum: ergo coguntur aduersarij, si Peripatetici sunt, non Zenoniste, velint, nolint, etiam fieri, in motu intentionis assignandum esse primum, & determinatum gradum intentionis, diuisibilem in semper diuisibilia per partes proportionales, à quo subiectum denominatur primò mutatum esse, & qui incipiat esse non extrin-

trinsecè, sed intrinsecè, & per primum sui esse, quæ non solum sunt absurda, sed etiam impossibilia.

18. Quartò sequeretur, non posse habitum charitatis, seu gratiæ augeri, seu intendi in nobis, iam habentibus prædictum habitum, per susceptionem Sacramenti cum remissa, & parua dispositione; sed ad hoc necessarium esset, quòd dispositio esset magis intensa, quam habitus charitatis, seu gratiæ: & similiter non posse augeri, seu intendi in nobis habitum gratiæ, seu charitatis per actus meritorios prædicto habitu remissiores: quæ sequela absurda est in vera Theologia; omnes enim Theologi fatentur, habitum charitatis, seu gratiæ augeri, seu intendi in homine habente illum, si prædictus homo recipiat aliquod Sacramentum, cum debita dispositione, etiã si talis dispositio sit remississima; aliàs daretur Sacramentum, quod susceptum cum debita dispositione non causaret gratiam: & similiter fatentur, habitum charitatis, seu gratiæ augeri, seu intendi in homine habente illum, si prædictus homo eliciat aliquem actum meritorium, etiã si sit remississimus; aliàs daretur actus meritorius sine premio. Quod verò sequantur prædicta absurda ex sententia aduersariorum, est manifestum;

nam cum per susceptionem sacramenti detur gratia iuxta mensuram dispositionis, & similiter per actum meritorium detur gratia iuxta mensuram illius; si dispositio, qua aliquis accedit ad sacramentum, est remississima, & similiter actus meritorius est remississimus; etiam gradus gratiæ illis correspondentes remississimi erunt; & consequenter non valeant in sententia aduersariorum augere, seu intendere habitum perfectiorem, seu intensiorem.

19. Neque audiendus est Petrus Hurtado, qui prædictis difficultatibus pressus duo respondet. Primum, semper actum sequentem, etsi in se remississimus sit, esse magis meritorium, quam omnes actus præcedentes; quia eius meritum augetur per ipsam maiorem gratiam inuentam in homine operante; tum, quia assumit rem dubiam, & inter auctores cõtrouersam; tum etiam, quia admissio, quòd actus meritorius accipiat valorem ex maiori gratia habituali, quæ est in merente, non vtique ita esset intelligendum, vt quilibet actus sequens valde exiguus; & alicuius intime virtutis excelleret in valore, essetque magis meritorius omnibus alijs præcedentibus, etiã si fuerint perfectissimi, & elicit ab heroica virtute.

20. Secundum, quod respon-



der, est, Deum præmiare ultra condignum. Nam dubium quoque est, quo pacto intelligendum sit hoc axioma, & certum non posse esse intelligi; vt semper actui sequenti Deus tribuat præmium ultra condignum, excedens præmium debitum omnibus actibus meritorijs præcedentibus, sed eo modo dici debet, & intelligi; Deum præmiare ultra condignum vltimum actum, sicut præmiat ultra condignum actus meritorios præcedentes, donando, scilicet, gratis aliquam parvam partem præmij ultra præmium debitum. Durum sanè est, ex inæqualitate graduum velle extorqueri à Deo præmium ultra condignum, cum hoc pendeat ex sua libera benignitate.

21 Pro solutione inconuenientium, quæ nobis obiecta sunt, & tollenda æquiocatione, quàm maximè laborant, qui prædictis inconuenientibus, & alijs similibus nostram sententiam impugnant, notandum est, nos non negare qualitatem intentam, vt duo, esse perfectiorem, intra eandem speciem, qualitate solum intentam, vt vnum, & qualitatem intentam, vt tria, esse perfectiorem qualitate solum intentam, vt duo, & sic de reliquis; est enim luce clarius, qualitatem intentam, vt duo, esse perfectiorem, intra eandem speciem,

qualitate solum intentam, vt vnum, & qualitatem intentam, vt tria, esse perfectiorem, intra eandem speciem, qualitate solum intentam, vt duo, cum qualitas, vt duo, includat qualitatem intentam, vt vnum, & aliquid amplius; & qualitas intentam, vt tria, includat qualitatem intentam, vt duo, & aliquid amplius. Sed quod negamus est, gradus, ex quibus coalescit qualitas intentam, vt duo, vel vt tria, & e. adiuuicem comparatos debere esse inæqualis perfectionis, & quoad hoc ita subordinari per se, vt qui posterius aduenit, & additur præexistenti- bus ad causandam maiorem intensionem in qualitatibus, necessario debeat esse intra eandem speciem perfectiorem omnibus præexistentibus. Nam cuiuscunque perfectionis sit gradus, qui posterius aduenit, etiam paruissimæ, si præexistentibus addatur, & vnietur, seu continetur in eadem parte subiecti, ex ipso, & præexistentibus integrabitur, coalescet vna numero qualitas magis perfecta, seu intentam, ac erat antea. Et consequenter dicimus, subordinatorem graduum in ratione perfectionis, quam ponunt aduersarij, vt necessariam ad causandam in qualitatibus maiorem intensionem, esse omninò impertinentem; quia eodem pacto resularat ex duobus gradibus

in:

intensionis qualitas intentam, vt duo, si gradus, qui productus est posteribus, produceretur prius, & qui productus est prius, produceretur posterius. Ecce ergo æquiocationem, seu allucinationem aduersariorum. Maiorem perfectionem, quæ attribuenda est intensionis qualitatis, quæ ex omnibus gradibus integratur, seu coalescit, ipsi solum illam attribuunt gradui, qui vltimo loco aduenit, quæ æquiocatione, seu allucinatione semel imbuti inferunt inconuenientiam, quæ, sublata, non inferrent; sed iam in forma obiectis satisficiamus.

22 Ad primum incoueniens num. 4. adductum, negamus, ex nostra sententia sequi, quòd possit agens naturale producere effectum perfectiorem se, & ultra virtutem suam. Et cum ad hoc probandum allucinitur; calor, vt vnum, potest producere plures calores, vt vnum, in diuersis subiectis: ergo etiam poterit illos producere in eodem subiecto, concesso anteedente, negamus consequentiam; nam sicut in homine, qui potes est portare pòdus vnius libræ, & non maius, hæc est mala consequentia (nò obitante, quòd antecedens sit verum) hic homo potest pluries portare vnam libræ: ergo poterit semel portare simul plures libras, & nò alia de causa, nisi quia in antecedenti, est

multiplicentur libræ, sed non augetur, seu intenditur pondus earum, cum non maneant in vnum adunata, seu coniunctæ: at in consequentia, cum libræ istæ non solum multiplicentur, sed etiam adunentur, & coniungantur in vnum, pòdus earum augetur, & intenditur ultra vires, vt supponitur, prædicti hominis. Ita hæc erit mala consequentia (etiam si antecedens sit verum) calor, vt vnum, potest producere plures calores, vt vnū, in diuersis subiectis: ergo etiã poterit illos producere in eodem subiecto, & nò alia de causa, nisi quia in antecedenti, est multiplicentur gradus caloris, vt vnum, sed nò augetur, seu magis intenditur virtus caloris producti; quia nò omnes adunantur, seu coniunguntur in eadem parte subiecti; at in consequentia, cum coniungantur in eadem parte subiecti, & consequenter inter se continuentur, & copulentur proprijs indiuisibilibus, seu terminis communibus, necessario resultabit vnus numero calor magis perfectus, & intensus, & consequenter excedens vires caloris, vt vnum; vnde omninò falsam reputamus id, quod aduersarij in prædicta pro ratione subsunt, scilicet, esse per accidens calori, vt vnus, producere plures calores, vt vnus, in diuersis subiectis, ac producere illos in eodem subiecto; nam primum est omni agenti na-

K 3

tu-



turali non impedito connaturale; secundum verò est omni agenti naturali repugnans.

23 Ex dictis ad primum inconueniens, patet etiam solutio ad secundum inconueniens num. 5. adductum; nam si, vt visum est, repugnat calori, vt vnum, non obstante, quòd gradus intensiõnis sint homogenei, & eiusdem rationis, producere in eadem parte subiecti duos gradus caloris, vt vnum; nam eo ipso illi duo gradus caloris coniungerentur, & cõtinuarentur inter se, facerentque vnum numero calorem magis intensum, & perfectum, & excedentem vires caloris, vt vnum, multò magis repugnabit calori, vt vnum, producere in eadem parte subiecti, non solum duos calores, vt vnum, sed alios, & alios vsque in infinitum.

24 Ad tertium inconueniens adductum num. 6. negamus, ex nostra sententia sequi, quòd non possit qualitas intensa remitti, neque vllò modo corrumpi à qualitate sibi contraria. Imò addo, potius hanc impossibilitatem sequi ex sententia aduersariorum; nam vt num. 2. vidimus, sicuti affirmant in intentione, gradus ex natura rei, ita per se subordinari, vt secundus necessariò præsupponat primum, & tertius secundum, nec posse produci secundum prius, quàm primum, nec tertium prius, quàm secundum,

&c. ita etiam in remissione, consequenter sustinent, gradus ex natura rei subordinari, ita, vt primo loco supremus gradus caloris, scilicet, gradus, vt octo, expellatur à primo gradu frigiditatis producto in eodem subiecto, & septimus gradus caloris à secundo frigiditatis, & sic deinceps. Quòd sanè impossibile est; nam si gradus octauus caloris in aduersariorum sententia est omnium perfectissimus, quomodo, quòso, expelli, & superari poterit, per primum gradum frigiditatis productum in eodem subiecto, qui etiam in aduersariorum sententia est omnium imperfectissimus? nisi admittendo quoddam impossibile, videlicet, effectum esse multo præstantiorem sua causa.

25 Et cum obijcitur, quod si gradus intensiõnis essent homogenei, omninò similes, æqualis perfectiõnis, & nullo modo ex natura rei per se subordinati, non esset maior ratio, cur ab vno potius, quàm ab alio inciperet remissio, & sic à nullo inciperet, nisi mitteretur fors, &c. Respondetur, hanc inquisitionem solum posse habere locum in aduersariorum sententia, qui in qualitate intensa non solum ponunt gradus realiter distinctos, sed etiam ex natura rei, secundum maiorem, vel minorem perfectiõnem actu signatos, & determinatos; non verò in nostra, & Pe-

Peripatetica sententia, quæ etiam si in qualitate intensa ponat gradus intensiõnis realiter distinctos, non tamen quoad ipsorum maiorem, vel minorem perfectiõnem ex natura rei, actu signatos, & determinatos, inter quos mittatur fors, sed solum in potentia assignabiles, & determinabiles, vel ex libera assignatione, & determinatione hominum, vt contingit, cum in disputationibus assignamus, & determinamus calorem, vt vnum, vt duo, aut tria, &c. vel per separationem realem alicuius gradus à reliquis, vt uenit, cum vna qualitas remittitur à qualitate contraria; nam tunc gradus, qui expellitur, seu corrumpitur in sua perfectiõne, actu signatè, & determinatè tantus erit, quantum actu signatè, & determinatè fuerit gradus qualitatis contrariæ, qui producitur in eadem parte subiecti; nam si hic fuerit magnæ perfectiõnis, etiam erit magnæ perfectiõnis gradus, qui expellitur, seu corrumpitur, etsi paræ perfectiõnis, etiã qui corrumpitur, seu expellitur, erit paræ perfectiõnis; nã vt due qualitates cõtrariæ possint esse simul in eadem parte subiecti, vt supra numer. 3. dicebamus, debent se aduicem temperare. Imò addo, quòd cum motus remissionis sit motus successiuus, & continuus, non secus, ac est motus intensiõnis, sicuti in intensiõne nõ af-

signatur gradus frigiditatis productus, ita minimus in sua perfectiõne, alius assignari possit alius, & alius proportionalis minor, & minor vsque in infinitum; ita in remissione caloris non poterit assignari gradus expulsus, seu corruptus, ita minimus in sua perfectiõne, quin assignari possit alius, & alius proportionalis minor, & minor vsque in infinitum. En quàm facile in nostra, & Peripatetica sententia intelligatur, quo pacto fiat remissio qualitatum, quòd tam difficile apparet in sententiã opposita, quæ in qualitate intensa ponit gradus intensiõnis non solum realiter distinctos, sed etiã quoad maiorem, vel minorem perfectiõnem ex natura rei actu signatos, & determinatos, & consequenter quoad hoc subordinatos.

26 Possimus præterea supra allatã doctrinam amplius declarare, & confirmare, à simili de diminutione, seu de cremẽto quantitatis molis, seu corporis, ad cuius analogiam, vt sæpè dictum est, desumpta est quantitas virtutis. Nam quælibet linea (exempli gratia) etsi in se signatæ, & determinatæ longitudinis sit, & similiter partes longitudinis, ex quibus integratur, realiter distinctæ sunt; non tamen istæ partes ex natura rei, quoad maiorem vel minorem longitudinem, actu signatæ, & determinatæ



sunt; sed solum sunt in potentia, vt à nobis actu significantur, & determinentur, vt contingit, cum totam latitudinem lineæ, vel vlnis, vel palmis, vel quolibet alio instrumento mensuramus, vel cum physicè, & realiter signatam, & determinatam partem longitudinis ab alijs separamus; & in isto vltimo casu omnes affirmant, lineam in sua latitudine tantò minui, seu decrescere, quāto maior, vel minor est illa pars longitudinis, quæ ab alijs partibus fecernitur, & separatur. Quod si fingeremus, partes longitudinis, ex quibus integratur totalis latitudo lineæ, esse in linea non solū realiter distinctas, sed etiam quoad maioritatem, vel minoritatem longitudinis actu signatas, & determinatas; imò ex natura rei perse subordinatas, ita, vt secunda pars esset necessariò magis longa, quàm prima; & tertia, quàm secunda, & sic de reliquis (vt aduersarij constringunt in gradibus intensiōis, ex quibus integratur tota intensiō qualitatis) ægrè sanè explicari posset, quo pacto lōgitudinē posse decrescere, seu minorari ad nostrū placitum, seu arbitrium. Cur ergo in remissione intensiōis qualitatis nō eodē pacto philosophabimur? asserendo, etsi intensiō cuiuscūque qualitatis sit in se signata actu, & determinata, & similiter gradus intensiōis, ex quibus integratur realiter di-

stincti sint, non tamē istos gradus ex natura rei quoad maiorem, vel minorem intensiōem, seu virtutem actu signatos, & determinatos esse, sed solum in potentia, vt à nobis per intellectum actu signentur, & determinentur, vt sit in disputationibus, vel per separationē physicā, & realem alicuius gradus à reliquis, vt euenit, cum vna qualitas remittitur à qualitate contraria, & in isto vltimo casu, qualitatem in sua intensiōe tantò remitti, quāto magis, vel minùs fuerit intensior ille gradus, qui producit à qualitate contraria in eadē parte subiecti. Hoc enim pacto optimè intelligitur, quomodo fiat remissio, quæ in sententiā aduersariorum de inæqualitate, & subordinatione graduum, vt n. 24. dicebamus, apparet impossibilis.

27 Ad quartum, & vltimum inconueniens num. 7. adductū respondemus, militare vtique cōtra Vazquez, Lorcam, Martinum, & alios, qui, vt 6. Phisicorum, dist. 1. quæst. 3. sect. 3. vidimus, negant gradus intensiōis aliquibus proprijs indiuisibilibus, sed terminis communibus copulari. Cū enim tantum duobus modis possint aliqua realiter distincta cōiungi ad faciendum vnum per se (vt sepe dictum est) scilicet, vel tāquam per se actus ad per se potētiam, vel medio aliquo indiuisibili: cum gradus intensiōis adinuicem comparati (etiam

(etiam in aduersariorū sententiā, quæ ponit ipsos dissimiles, inæqualis perfectiōis, & ex natura rei subordinatos, non se habeat, vt per se actus ad per se potētiam, si aliquibus proprijs indiuisibilibus, seu terminis communibus nō copulantur; profectò ex eis (etiā si omnes sint in eadē parte subiecti, & in eodē loco) nō poterit vna per se totalis intensiō coalescere: non tamen militare cōtra nos, qui cū Scoto, & alijs loco citato stamus, quòd sicut in quæsitibus molibus continuis asseruntur ab Aristotele quædam

propria indiuisibilia, seu termini communes, quibus partes quantitatis molis vniuntur, & copulantur ad constituendū quoddam totum integrale per se vnum, & continuum; ita in quantitate virtutis, qualis est intensiō qualitatum, asserenda esse, vt de facto asserimus, quædam propria indiuisibilia, seu terminos communes, quibus gradus intensiōis, ex quibus integratur intensiō, vniuntur, & copulantur ad constituendum, vt constituunt de facto, quædam totalem intensiōem per se vnam, & continuam.

## DISPUTATIO QUARTA.

## De augmentatione, &amp; nutritione.

**S**Tatimus in Logica cap. de quantitate, disput. 1. quæst. 2. contra rigidos Thomistas, substantias materiales de se, & seculsa quantitate habere partes integrales entitativas, & consequenter entitativam extensionem, seu, vt proprijs loquar, entitativam distinctionem; nam extensio proprie dicta (vt ibidē num. 20. soluendo auctoritates Aristotelis adductas in contrarium dicebamus) solum competit quantitativis, quarum essentia consistit, non in hoc, quod est, habere partes integrales distinctas; sed in hoc, quod est habere partes integrales, ita distinctas, vt natura sua petant nō penetrari in eodem spatio, seu, quod idem est, vnam esse extra aliam in ordine ad spatium: in qua doctrina consequenter dicendum est id, quod Aristoteles in cap. 5. huius libri videtur, vt certū præsupponere, scilicet, dari in viuentibus duplicē accretionem, vnam substantialem, quæ fit per additionem nouæ partis substantiæ ad partes substantiales in viuentibus præexistentes, quæ proprie dicitur nutritio, & aliam quantitativam, & accidentalem, quæ fit per additionem nouæ partis quantitatis ad partes quantitatis in eodem viuente præexistentes, quæ proprie dicitur augmentatio. Vnde in hac disputa-



tione quinque erunt examinanda. Primum, *quo modo fiat nutritio, seu accretio substantialis, & in quo formaliter consistat?* Secundum, *quo modo fiat augmentatio, seu accretio quantitatiua, & in quo formaliter consistat?* Tertium, *quo pacto differat augmentatio à reliquis moribus, seu mutationibus?* Quartum, *utrum nutritio, & augmentatio sint motus successiuus, & continuus?* Quintum, *utrum in accretione maneat idem numero subiectum?* Et in his quinque quaestionibus alias dubitationes, quæ à recentioribus sigillatim discutiuntur, inferemus.

## QVÆSTIO PRIMA.

*Quo modo fiat nutritio, seu accretio substantialis, & in quo formaliter consistat?*

**P**RO intelligentia tituli quaestionis nota, nomen *nutritio*, posse largè, & strictè usurpari; largè usurpatur, quando assumitur ad significandam additionem nouæ partis substantiæ ad partes substantiæ in nutritio præexistentes, factam in subiecto inanimato, & consequenter non per intus sumptionem, sed per iuxta positionem, qua ratione de igne dici solet, quod nutriatur lignis, ipsi applicatis. Strictè, & propriè usurpatur, quando assumitur ad significandam additionem nouæ partis substantiæ ad partes substantiæ in nutritio præexistentes, factam in subiecto inanimato, & consequenter per intus sumptionem. Cum ergo in præfenti inquirimus, quo modo fiat nutritio, seu accretio substantialis? & in quo essentialiter, & formaliter consistat? lo-

lùm est sermo de nomine nutritionis strictè, & propriè sumpto, quæ est acceptio, in qua sumitur ab Aristotele, tam hic, quàm in libris de anima, ubi lib. 2. textu 46. expressè negat, nutritionem in rebus inanimatis reperiri: verba Aristotelis sunt, *Quoniam autem nihil aliter non participans vitam, animatum vitæ erit corpus, quod alitur.*

2. Hoc supposito, ut primum, quod quaerit quaestio, explicemus, sciendum est primò, antequam facultas, seu virtus nutritiua conuertat alimentum in substantiam viuentis, quod alitur, à quibusdam alijs facultatibus, quasi operis famulis, & administris iuuari, quæ à Galeno libro 5. de locis affectis cap. 7. & ab Auicenna 6. Natur. par. 1. cap. 5. quatuor in primis numerantur, licet non omnes fortassè distinctæ sint, nimirum, *atrahens, concoquens, retinens, &*

*ex-*

*expellens.* Nam cum alimētum omnes partes animalis peruari debet, nec per se, ac vi propria ferri queat, necesse est, ut virtus aliqua membris infit, ut virtus aliqua membris infit, quæ illud ad se inuiter, & alliciat: hanc attrahentem vocat. Præterea, cum alimentum à viuentis natura diuersum sit, nullatenus potest in illius substantiam verti, nisi prius multiplici alteratione cum eo similitudinem, & cognationem assequatur, proindeque requiritur ad id virtus concoquens, seu, ut Galenus vocat, alteratrix, quæ sine dubio distincta est ab attrahente. Item quia huiusmodi concoctio tempus eslagitat, non enim peragi momento potest; necessaria est virtus contiuens, seu retentrix, quæ alimentum contineat, ne dilabatur, & hæc non est realiter distincta ab attrahente; sicut enim in magnete eadem virtus, quæ attrahit ferrum, retinet illud; ita in viuentibus eadem virtus, quæ attrahit alimētum, retinet illud, donec ad conuerfionem illius in substantiam aliti disponatur; nam: cuius virtutis est attrahere, etiam est retinere. Postremò quia ab alimento cocto oportet expelli sordes, & excrementa, necessaria erit ad hoc virtus expurgans, seu expellens excrementa, & eorum, quæ minùs conuenientia sunt, ut conuertantur in substantiam aliti, quam non est necessarium distinguere realiter à virtute

concoquente; quia in decoctione idem calor, qui decoquit alimētum, sciungit, & expurgat partes vtilis ab excrementis, ut aurum à fæce.

3. Præter has virtutes adduntur alibi à Galeno tres aliæ: *appetens*, quam ponit 1. libro de causis symptomatum. *Distribuens*, cuius meminit 3. eiusdem operis. *Secernens*, quam exprimit 2. aphorismorum commetero 13. & videtur colligi è tribus munij, quæ obeunt. Primæ enim respondet appetentia alimentum, quæ est in ventriculo, venis, & alijs partibus, dum alimentum caret. Secundæ dispensatio alimenti per membra corporis. Tertie separatio perfectioris alimenti, non ab excrementis, hoc enim præstat virtus expellens, ut dictum est; sed ab alimento imperfectiori, quod exemplificauit Aristoteles lib. 2. de generatione animalium cap. 4. in Patre familias, prout videtur secernente cibos, ut ita optimus detur filijs, deterior seruis, vilissimus focijs, seu domesticis animalibus. Verù est, ad hæc munia præstanda non esse necessariū constituere tres virtutes, tam inter se, quàm ab attrahente realiter distinctas; nam eadem virtus residens in singulis partibus viuētis, quod nutritur, quæ in quatum attrahit ad prædictas partes alimentum, dicitur attrahens, & in quatum iam attractum retinet, dicitur retinens, quando non ad-

in-



inuenit alimentum, quod attrahat, dicitur appetens. Et fortassis hæc est ratio, cur famē, & sitim, quæ causantur in ventriculo ex defectu cibi, & potus, Aristotel. definit 2. lib. de anima cap. 3. textu 24. in ordine ad appetitum, dicens, *Fames est appetitus calidi, & sicci. Sitis est appetitus frigidi, & humid.* Et deum cum alimentū attrahit ad omnes, & singulas partes viuents, non vti cumque, sed cum delectu, & secretionē debira, dicitur non solum distribuens, sed etiam fecerens.

4. Sciendum est secundo, per totum corpus cuiuscūque viuents sparsos esse poros, seu foramina quædam minutissima; quod comprobari potest ex eo, quod videmus, à corpore è gredi sudoris guttas, quæ cū sint quædam corpuscula, si in corpore non essent pori, & foramina ista, quibus egredierentur, vel daretur penetratio dimensionum, quod naturaliter est impossibile, vel scinderent carnem, quod fieri non potest absque dolore, quem non experimur. Quod non est intelligendum ita, ut in quocumque puncto assignato viuents sint isti pori, aliàs viuens esset quid inane, cum solum coallesceret ex poris, sed ita ut inter poros ipsos mediant particule parue carnis, ossis, nerui, &c. in quibus nullus sit porus, & huiusmodi partes dicitur partes solidæ. sicut & aliæ maiores, in-

tra quas continentur pori, dicuntur partes porosæ.

5. Sciendum est tertio, quid sit in viuents humidum radicale, & quid calor natiuus, quid spiritus vitales, & quid spiritus animales? nam hæc omnia non solum vitæ, sed etiam nutritioni deseruire manifestū est. Nam dicimus ex Marfilio hoc loco quæst. 13. humidum radicale esse substantiam quædam aëream, pinguem, & viscosam, per totum corpus diffusam, cuius munus est fouere, seu nutrire calorem natiuum; nam eodem modo dicunt auctores, se habere humidum radicale respectu caloris natiui, ac oleum lapadis se habet respectu flammæ, quam alit; calorem verò natiuum, secundum eundem Marfilium, esse etiam substantiam quædam tenuem, & calidam, diffusam etiam per totum corpus; tamen secundum communioem sententiam non esse substantiam, sed qualitatem quædam per totum corpus diffusam, cuius fons, & origo potissima est in corde animalis, non secus, ac est spirituum vitalium, & animalium, qui sunt subiecta, in quibus inhaeret, & vehitur calor natiuus, ut ex dicendis constabit.

6. De spiritibus, tam vitalibus, quam animalibus dicendum est, in primis, diuidi in *infitos*, & *fiuentes*. Infiti appellantur, quos generans vnicuique membro virtute feminis ab ex ortu infer-

rit.

rit; neque enim facti vitam impertisset; nisi id, quo potiffimè vita continetur, scilicet, spiritus vitales, & animales communicasset. Spiritus verò fluētes dicitur, qui ab aliquo principe membro in reliquis partes corporis continenter fluunt. Horum igitur spirituum (qui in quadam substantia tenuissima ex puro, & defecato sanguine geniti consistunt) proprium munus est, calorem natiuum ab ipso fonte, scilicet, à corde hæsitum toti corpori inuicere, & impertire, atque ita inlitum calorem aduentitio instaurare, simulque membris omnibus ad munia sua obtuenda vim conferre. Locus verò, in quo spiritus isti generantur, est cor, vbi pars sanguinis ab eo attracta ex venis, & primo in dextero; deinde in sinistro eius sinu retenta, recalescit, & vitalem quædam vim ab ipso vitæ fonte hæruit. Horum spirituum pars quædam per arterias toto corpore diffunditur, & hi dicuntur vitales spiritus. Altera per anfractus, & inflexuosas ambulagem sursum viam capessit, & tandem in cerebri ventriculos etatit, & virtute cerebro indita magis attenuatur, & quali æthera redditur; sitque ex natura animalis; eo quod isti spiritus in preparatione quædam adipiscuntur, cuius merito ad motum sursum, & omnes alias functiones, animales

administrandas idonei sunt animæ administrari, & hinc in particulis discreti per neruos districantur, & hi dicuntur spiritus animales.

7. His factis, dicimus in viuents nutritionem; primo cibus ore exceptus dentibus comminuitur, & aduentriculi decoctionem accommodatur. Vnde sic se habet os aduentriculum, sicut cocus ad lebetem, in quam carnes non integras, sed concissas mittit, atque ad eò non proprie fit cibi decoctio in ore, sed preparatio quædam ad coctionem in ventriculo faciendam, vt docet Aristoteles lib. 2. de partibus animalium. cap. 3. deinde cibus præmansus, tum crebra agitatione, & motibus lingue, tum gula attractione à sophago deorsum pellitur, & in ventriculo, tanquam in communi officina, recipitur.

8. Deinde coctrix facultas in ventriculo resistens toto conatu in alimenti sibi commissa decoctionem incumbit, & illatum immutat, tum calore natiuo, tum eo, quæ vicinæ partes, videlicet, iecur, lien, cor, dia-phragma, vt lebeti circumiectus ignis) eidem conferunt, sicut demum perficitur prima decoctio, per quam ex alimento (ex pulvis ex erementis ad iurestinam) resultat, & fit massa illa alba, quam medici *chylum* vocant, cuius confectio, &

clat-



elaboratio, cum nouam formam substantialem inducat, non alteratrici dumtaxat virtuti, sed multo magis ipsi formæ substantiali, cuius est instrumentum, adseruenda est.

9 Postquam ventriculus suo munere circa alimentum perfunctus est, & expulso ab ipso chylo per orificium inferius, quod medici appellant *ianitionem*, prædictus chylus medianæ virtutis attractiua deducitur ad iecur per strictas venas, quas Medici appellant *metaraias*, & ibi inclusus nouam, id est, secundam concoctionem subit vi caloris, & spiritus, quo hæc secunda officina abundat. Hic verò chylus in massam quandam euadit, quæ à Medicis dicitur *chymus*, in quo quatuor simul humores videntur, sanguis, pituita, flaua bilis, & melancholia, quorū per mixtionē, & ortum optimè declarat Galenus lib. 2. de naturalibus facultatibus, cap. 9. & lib. 4. de vſu partium cap. 3. exemplo vini, nuper ex viuis expressi, & in dolia infusi, adhuc efferverescit, & concoquitur, & cernitur. In eo quippe substantiæ quatuor inter se distincte apparet. Nam vini flos, qui leuis, & æreus est, supernat, sæx grauis, ac terrestris deprimitur, & subsidet crudus quidam humor, & aquosus vnà cum vino permixtus circumferitur. Flori respondet bilis flaua, quæ in sanguinis superficie ebulliens, aucto co-

lore splendet; faci humor melancholicus, qui terra grauitate deorsum vergit: cruda, & aquosa portio pituita: demum vino respondet syncerus, & perfectus sanguis.

10 Sed quamuis omnes isti quatuor humores in officina iecoris procreentur; non tamen ad nutriendū corpus idonei sunt in tanta abundantia, qua reperitur in iecore, idēo, quæ natura id, quod ex eis superabundans est, segregat à sanguine, & flauam bilem in folliculum fellis, qui ad iecoris portas situs est, coniecit, & melancholiam, seu atram bilem ad splenem procul emandat; ex pituita verò nihil relegat à sanguine, tum, quia sanguinem per vniuersum corpus deuehit, tum quia, cum sit sanguis, ex dimidio coctus facile in sanguinem transit, & in alimētum cedit; tum denique quia artus omnes humectari possunt ab hoc succo, ne frequenti agitatione inarescant. Sed est etiam in iecore aliudcrementum, à quo sanguinem expurgari oportet, humor quidam tenuis, & copiosus, quo chylus è ventriculo per venas metaraias in iecur tanquā vehiculo perducitur. Hic igitur humor, postquam vehendi munere est perfunctus, quia nec alendo corpori aprus, nec ad alia deinceps utilis est, per quarundam venarum, quas *emulgentes* Medici appellant, ductus, in renes attra-

trahitur, & secernitur, & inde in vesicam profunditur. Quod similiter accidit pituitæ; nam quod absolutio eius opere ex ca relinquitur, & non exudatur per emunctorias, quas appellant venas, in vesicam defluit.

11 His, quæ diximus, recrementis, expurgatus sanguis amplà vena, quæ *caua* dicitur, excipitur, quæ auctore Galeno libro de vſu partium citato, originem ducit à iecore, & dilatatur, tum in partem superiorem, tum in partem inferiorem animalis, & ab hac vena, tanquam à quodam aquæductu pleno sanguine, deriuatur sanguis, tanquam per quosdam riuos ad omnes partes corporis, idque venis, quàm plurimis, quæ à vena caua, tanquam rami ab stipite originem ducunt, inter quas quædam sunt maiores, quædam minores, & quædam sunt minutissimæ, quæ idēo capillares appellantur, & hoc vi facultatis attractentis, retinentis, distribuentis, & discernentis in toto corpore diffusa, cuius supra mentionem fecimus; & receptus intra poros, ibi perfectam decoctionē subiit, & pronamfa cuiusvisque membri, duritiem, mollietatem, calorem, frigus, & immoderatum temperamentum modum, & tandem per virtutem assimilatiuam, seu conuersiuam, quæ nō distinguitur, in nostra, & Scoti sententia realiter à formati-

stati ali vniuersi assimilatur vni cuique parti, & ex clusa forma sanguinis conuertitur in substantiam aliti, vniurque partibus illius præexistentibus, & ita fit aggeneratio substantialis, quæ proprio nomine appellatur nutritio. Ex his omnibus patet primum, quod inquiritur in hac quæstione, scilicet, quomodo fiat nutritio?

12 Ad secundum, quod in hac quæstione inquiritur, dicendum est, nutritionem, essi dispositiue consistat in tribus supra dictis concoctionibus alimenti, factis vi caloris naturalis, tamen formaliter, & essentialiter consistere in sola actione substantiali, qua virtute animæ partes alimenti generantur, id est, conuertuntur in substantiam aliti, & partibus substantialibus illius præexistentibus, vniuntur, & copulantur. Hæc est doctrina ferè ab omnibus recepta, & colligitur ex Aristoteli 2. de anima, textu 41. vbi loquens de causis conuertentibus ad nutritionem, calori naturali solum attribuit disponere ad illam, animæ verò illius effectonem; verba Aristotelis sunt, *ignis* (id est, calor) *concausa quidam quodam modo est, scilicet, nutritionis non tamen simpliciter causa, sed magis anima.*

13 Ratio verò est, quia in illo formaliter, & essentialiter consistit nutritio, quo posito, etiam per intellectum alia secundas,



cludas, remanet quiddam ad rationem formalem, & essentialem nutritionis requiritur, & quo ablato, etiam si cetera adsint, non remanet, sed posita actione substantiali conuertitur, qua virtute animæ, partes alimenti conuertuntur in substantialibus aliti, & partibus substantialibus illius præexistentibus vniantur, & copulantur, etiam si per intellectum secludastrinam decoctionem, supra numeratâ, remanet quiddam ad rationem formalem, & essentialem nutritionis requisitum est (vt ex definitione nutritionis, quam statim dabimus, manifestum erit). & ipsa sublata, etiam si adsit trina decoctio facta vi caloris natui supra tacta, non remanet, vt perspicuum est: ergo in sola actione substantiali, qua virtute animæ partes alimenti conuertuntur in substantiam aliti, & partibus substantialibus illius præexistentibus vniantur, & copulantur, consistit formaliter, & essentialiter nutritio. In decoctionibus autem præuis, & factis virtute caloris natui solum dispositiue.

14 Ex omnibus dictis colligo, nutritionem propriam, & strictè sumptam sic esse definitam, est mutatio substantialis conuersiua, & additiua partium alimenti ad partes aliti præexistentes in anima. In qua definitione loco generis ponitur mutatio, in quo conuenit non solum cum ge-

neratione, sed etiam cum alteratione, augmentatione, & motu locali; cetera vero particulae ponuntur loco differentia, & per particulam substantialis differt ab alteratione, augmentatione, & motu locali; quia cum hæ mutationes non terminentur ad substantiam, sed vel ad qualitatem, vel quantitatem, vel ad vbi, non substantiales, sed accidentales mutationes sunt. Et per particulas conuersiua, additiua partium alimenti ad partes aliti præexistentes, differt a generatione, quæ etiam si fit mutatio substantialis, & conuersiua, sed non partium alimenti, cum additione earum ad partes aliti præexistentes; sed est mutatio substantialis conuersiua totius in totum, nullò sensibili remanente, vt dixit Aristoteles cap. 4. huius libri. Et demum per particulam in anima, differt a nutritione largè, & imperfectè sumpta, qualis est (vt numero 1. anima uertit) quæ reperitur in rebus inanimatis, & quæ non fit per intusumptionem, sed per iuxta positionem, vt contingit in nutritione ignis.

## QVÆSTIO II.

Quo modo fiat augmentatio, seu accretio quantitatiua, & in quo formaliter consistat?

1 CVM augmentatio, seu accretio quantitatiua amula

amula sit nutritionis, seu accretionis substantialis, & ad eam naturaliter consequatur, idem, quod annotatum est in initio quæstionis præcedentis circa nomen nutritio, annotandum etiam erit in principio huius quæstionis circa nomen augmentatio, nimirum nomen augmentatio posse dupliciter vsurpari, scilicet largè, & strictè; largè vsurpatur, cum assumitur ad significandam acquisitionem maioris quantitatis in rebus inanimatis, & consequenter per iuxta positionem, vt cum augetur, seu accrescit quantitas ignis per applicationem combustibiliu, & quantitas aquæ per applicationem nouæ partis aquæ ad partes aquæ præexistentes in aliquo vase: strictè verò, cum assumitur ad significandam acquisitionem maioris quantitatis in rebus animatis, & consequenter per intusumptionem, vt cum augetur, seu accrescit quantitas viuētis per nutritionem, seu conuersionem partium alimenti in nouas partes aliti. In præsentibus ergo quæstione solum est sermo de augmentatione strictè sumpta, & quæ reperitur in viuētibus; nam de hac specialiter loquitur Aristoteles in isto capite 3. sicuti in quæstione præcedenti dictum est, loquutum fuisse de nutritione.

2 Sunt autem ad nutritionem, seu accretionem substantialem, quæ fit in viuētibus, & consequenter ad augmentationem,

seu accretionem quantitatiuam, quæ ad illam naturaliter consequitur, tres conditiones simpliciter requisitæ, quas in cap. 3. huius libri enumerauit Aristoteles. Prima, vt viuēs, quod nutritur, & substantialiter accrescit, & consequenter, quod augetur, & quantitatiue accrescit, maneat, postquam nutritum, & auctum est idem numero. Secunda, quod nutritur ex aliqua materia extrinseca adueniente, qualis est sanguis (vt supra quæstione præcedenti dictum est) existens in poris iam vltimè dispositis, & consequenter, quod augmentum, seu accretio quantitatiua fiat per partem quantitatis distinctam à partibus quantitatis præexistentibus in viuente, quod augetur. Tertia, quod viuens, quod nutritur, & augetur, nutritur, & augetur secundum omnes partes eius.

3 Prima ex his conditionibus ex professo examinanda est quæstione vltima huius disputationis. Circa secundam dubitari potest, an sicut in nutritione corrumpitur substantia alimenti, scilicet sanguinis, & in eadem materia forma carnis, vel neuui, vel ossis, &c. aggeneratur; ita in augmentatione, quæ ipsam naturaliter consequitur, corrumpatur etiam quantitas, quæ erat in alimento, & alia noua quantitas producat in illa parte substantiali viuētis, quæ per



nutritionem accrescit. Auctores, qui (vt disput. 2. quest. 5. vidimus) defendunt, quantitatem esse cocuam materiæ primæ, vel saltem in ea immediatè subiectari, & non in toto composito substantiali, consequenter tenent, quantitatem, quæ erat in alimento non corrumpi, sed manere in materia prima, & sicut partes materiæ primæ alimenti permanent, & per nutritionem vniuntur partibus materiæ præexistentibus in viuente, & ex omnibus vnitus fit accretio materialium in viuente, quod nutritur; ita partes quantitates, quæ erant in alimento, permanerent, & per vniorem ipsarum ad partes quantitatis præexistentes in viuente, cõficiuntur vna maior quantitas, & sic fit augmentatio in viuētibus. Nos verò, qui cum Scoto, & Diuo Thoma sustinimus, quantitatem neque esse cocuam materiæ primæ, neque immediatè in ea subiectari, sed potius in toto composito substantiali; consequenter dicimus, quod sicut in nutritione corrumpitur alimentum, & noua pars viuētis aggeneratur; ita etiam corrumpuntur partes quantitatis, quæ in alimento subiectabantur, & nouæ partes quantitatis, in partibus substantialibus, quæ in viuētibus aggenerantur, resultant, quæ vnitæ cum partibus quantitatis, quæ præerant in viuente, cõficiunt vnam maiorem quantitatem, & sic

fieri augmentationem; quæ difficultas fufius expèditur, quæstione sequenti, dum de distinctione augmentationis à nutritione sermo sit.

4 Tertia conditio aliquibus difficilis visa est. Primo, quia vt ex dictis in quæstione præcedenti constat, nutritio partium viuētium fit ex sanguine defæcato existente in poris; sed non omnes partes viuētis sunt porosa, aliàs totum viuens in poros retolueretur: ergo non omnes partes viuētis habent alimentum, ex quo nutrir, & consequenter augeri possunt. Secundo, quia si viuens nutritur, & consequenter augetur secundum omnes eius partes, sequeretur, quod nutritur, & augetur non solum secundum partes aliquotas, sed etiã secundum partes proportionales, ex quibus, quæuis aliquota calecit, & cõsequenter, quod essent assignabiles tot parti includeres sanguinem, ex quo partes proportionales nutritur, & consequenter augetur, quot sunt partes proportionales, quæ nutriuntur, & augetur; quod impossibile apparet, nam partes proportionales sunt assignabiles, & determinabiles in infinitum; poro autem cuiuscumque viuētis sunt actu signati, & determinati numero finito.

5 Sed his non obstantibus vera est doctrina Aristotelis, scilicet, vnam ex conditionibus ad nutritionem viuētis, & cõsequen-

quenter ad augmentationem, quæ ad ipsam naturaliter consequitur, per se requisitam, esse, vt nutriatur, & consequenter augetur secundum omnes partes eius; quæ doctrinã omnes Periparectici sequuntur. Scotus locis quæstione præcedente citatis, & D. Thomas super hunc locum Arist. & in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. Ratio à priori est, quia quælibet pars viuētis viuiri: ergo quælibet pars viuētis nutritur, & consequenter petit augeri. Patet consequentia, quia cum humidum radicale (quod simpliciter necessarium est ad vitam, sicut & calor natiuum) continuò depascatur à calore natiuo, si per nutritionem non repararetur, omninò deficeret, & consequenter partes viuētis desinerent esse viuentes. Et cõfirmatur, quia ex eodem Aristotele 5. Physicorum ad hoc, vt aliquid dicatur moueri simpliciter, & per se, necessarium est, quod secundum omnes partes eius moueatur; nam si solum mouetur secundum vnam, vel alteram partem, non dicitur moueri simpliciter, & per se, sed cum addito ratione illius partis, quæ mouetur; sed viuēs dicitur simpliciter, & per se moueri motu nutritionis, & augmentationis: ergo viuens nutritur, & augetur secundum omnes partes eius.

6 Neque ea, quæ in contrariū adducta sunt, multum vrgent. Ad primum dicimus, quod si

cut ad hoc, quod agens naturale agat in passum, non requiritur, quod passum sit penetratum cum ipso agente; sed sufficit, quod sit approximatum agentis, & intra spheram actiuitatis illius: ita ad hoc, vt virtus nutritiua, & consequenter augmentatiua, quæ est diffusa in omnibus partibus viuētis, agat, & conuertat sanguinem, seu alimentum, quod est inclusum in poris; non est necessesse, quod prædicti pori sint intra omnes partes viuētis, sed sufficit, quod sint illis approximati, & intra spheram actiuitatis virtutis nutritiue, & consequenter augmentatiue, quæ residet in illis.

7 Ad secundum (quod si aliquam vim haberet, militaret vtique non solum contra nutritionem, & augmentationem, sed etiam contra omnem motum continuum, & successiuum) respondemus, quod sicut in motu nutritionis, & consequenter augmentationis (& idem est iudicium de quocumque alio motu cõtinuò, & successiuo) nõ obstat, quod actu signatus, & determinatus secundum magnitudinem, vel paruitatem sit, dantur partes proportionales, nõ actu signatæ, & determinatæ secundum magnitudinem, vel paruitatem, sed solum in potentia assignabiles, & determinabiles vsque in infinitum: ita in termino per se producto per nutritionem, vel



augmentationem, etiam si actu secundum magnitudinem, vel paruitatem signatus, & determinatus sit, dantur partes proportionales non actu signatae, & determinatae secundum magnitudinem, vel paruitatem, sed solum in potentia assignabiles, & determinabiles usque in infinitum. Item sicut in motu nutritionis, vel augmentationis, non potest assignari prima pars proportionalis, non signata quantumque parte, potest assignari alia prior, & alia prior, & alia prior usque in infinitum; ita in termino per se nutritionis, vel augmentationis non poterit assignari pars primo producta ex proportionalibus; nam assignata quacunque, potest assignari alia prius, & alia prius producta usque in infinitum. Tamen ab hac doctrina, quae inter Peripateticos irrefragabilis est, nescio, quo colore inferri possit id, quod in secundo argumento inferitur, scilicet, quod essent assignabiles tot pori, quot sunt assignabiles partes proportionales, quae nutriuntur, & augentur: tum quia, ut in argumento dicitur, partes proportionales cuiuscumque continui esse assignabiles, & determinabiles (sicut & divisibiles) in infinitum, pori autem sunt actu signati, & determinati secundum numerum finitum: tum etiam & precipue, quia, ut ad primum dictum est, ad hoc, ut partes viventis nutriantur, & consequenter

ter augeri possint, non est necesse, quod pori, in quibus continetur sanguis, ex quo nutriri debent, sint penetrati cum ipsis partibus, quae nutriuntur, sed sufficit, quod sint illis approximati, & intra sphaeram virtutis nutritivae, vel augmentativae, quae in ipsis partibus residet.

8. His praelibatis, circa primum, quod inquiritur in hac quaestione, non est, cur immoremur; nam cum augmentatio (ut dictum est) quae fit in viventibus, aemula sit nutritionis, & ad ipsam naturaliter consequatur (ut ex professo dicemus quaestione sequenti) breuiter dicendum erit, omnes facultates, quae concurrunt ad nutritionem viventis, & concoctiones, quibus alimentum disponitur, ut convertatur in substantiam eius, & ordinem, quem seruant istae concoctiones (de quibus late egimus quaestione precedenti) consequenter etiam esse requisitas ad augmentationem, quae in viventibus ad nutritionem naturaliter consequitur.

9. Ad secundum, quod inquiritur in hac quaestione, respondeamus, augmentationem viventium formaliter consistere in illo motu, quo quantitas minor viventis euadit in maiorem quantitatem; quae sic definiti potest. *Est mutatio accidentalis a minore quantitate ad quantitatem maiorem, ut animae.* In qua definitione ponitur mutatio loco generis, in quo

quo conuenit non solum cum generatione, & nutritione, sed etiam cum alteratione, & motu locali: reliquae particularae ponuntur loco differentiae. Et per particulam *accidentaliter* differret, tam a generatione, quam a nutritione, quae, cum terminentur ad substantiam, non accidentales mutationes, sed substantiales sunt. Et per particulam *a minore quantitate ad quantitatem maiorem*, differt, non solum ab alteratione, & motu locali, quae non sunt mutationes ad quantitatem, sed etiam ab emanatione quantitatis, quae fit in prima generatione viventis; quia etiam si haec terminetur ad quantitatem, sed non versatur inter minorem, & maiorem quantitatem, sed inter priuationem quantitatis, & quantitatem absolute, & sine connotatione quantitatis minoris, & maioris; quae differentia, etsi accidentalis sit, consideratis his mutationibus materialiter, & in esse rei; tamen si istae mutationes considerentur formaliter, & in esse mutationum, ut in praesenti considerari debent, differentia essentialis est, ut de generatione hominis, & eius resurrectione diximus cum Scoto disp. 1. q. 4. & la rius constare debet ex dictis super 5. Philosophicorum, disputat. 2. quaest. 1. Demum per particulam *ut animae*, quae ultimo loco ponitur, differt ab augmentatione large sumpta, qualis

est, quae reperitur in rebus inanimatis, & quae fit per iuxta positionem, ut est augmentatio ignis, aquae, &c. quae differentiae, si considerentur formaliter, & in esse mutationum, ut in praesenti considerantur, essentialis est, ut ex doctrina tradita locis super citatis, intuenti erit manifestum.

10. Sed dubitabit aliquis, an sicut nutritio, in quantum deperditur de substantia viventis, quantum de nouo acquiritur, dicitur eiusdem speciei cum simili nutritione, in qua magis acquiritur de substantia viventis, quam deperditur, & hoc non solum materialiter, & in esse rei, sed etiam formaliter, & in esse mutationum consideratis: ita emanatio quantitatis, in quantum deperditur de quantitate viventis, quantum de nouo acquiritur, sit dicenda eiusdem speciei, non solum materialiter, & in esse rei, sed etiam formaliter, & in esse mutationis cum accretione quantitatis, in qua magis acquiritur de quantitate viventis, quam alia via deperditur?

11. Respondemus, nihil minus. Et ratio est, quia cum de ratione intrinseca nutritiois formaliter, & in esse mutationis considerata, solum sit, esse mutationem substantialem conuersiuam, & adititiam partium alimentis ad partes alii ut animae, ut ex dictis quaestione precedenti



num. 14. constat, per accidens omnino erit, quod in ea magis acquiratur de substantia viuētis, quam deperditur. At cum de ratione intrinseca augmentationis formaliter, & in esse mutationis considerate sit, esse mutationem accidentalem à minori quantitate ad quantitatem maiorem *vi anime*, vt supra num. 9. stabilitum est, non erit per accidens, sed omnino intrinsece requisitum, quod in ea magis acquiratur de quantitate viuētis, quam deperditur: quod discrimen satis clarè docuit Aristoteles cum hic cap. 5. dixit, *Viuens, quamdiu viuit* (id est, in omni ætate) *semper nutritur, non tamen semper augetur.* Et manifestè confirmat modus communis loquendi, qui distinguit in viuētibus triplicem ætatem, scilicet, adolescentiam, virilitatem, & senectutem: & in prima ætate, in qua viuens plus quantitatis acquirit, quam deperdit, motum ad quantitatem, augmentationem, seu accretionem quantitatum appellat. Et in secunda ætate, in qua tantum deperdit de quantitate præexistente, quantum de nouo acquirit, motum ad quantitatem, non augmentationem, seu accretionem quantitatum vocat, sed conseruationem in eodem statu. Et in tertia ætate, in qua viuens magis deperdit de quantitate præexistenti, quam acquirit, motum ad quantitatem, non so-

lum non appellat augmentationem, sed potius è contrariò diminutionem vocat.

### QVÆSTIO III.

*Quo pacto augmentatio à reliquis motibus seceratur?*

**I** PLURA dubia se offerunt in hac quæstione examinanda, eo quod plures sunt motus, seu mutationes, cum quibus comparari potest augmentatio. Et vt à certioribus incipiamus, primò certum est id, quod Aristoteles statuit hic capite 5. scilicet, augmentationem esse motum realiter, & essentialiter diuersum, tam à generatione, quam ab alteratione, & quidem realiter distingui perspicuum est, quia tam generatio, quam alteratio possunt existere in rerum natura sine motu augmentationis; quod signum euidentis est distinctionis realis. Quod etiã sit motus, tam à generatione, quam ab alteratione essentialiter diuersus, ex duplici capite probauit Aristoteles, primò ex terminis ad quos, qui non solum specie, sed etiam prædicamèto differunt, cum augmentationis sit quantitas, generationis substantiæ alterationis sit qualitas. Secundò ex peculiari modo, quo afficitur motus augmentationis; nam id, quod augetur necessariò mutat locum, saltem ratione

part;

partium, quod non contingit in eo, quod generatur, aut alteratur; nam id, quod generatur, cum ante generationem non sit, non potest dici, quod mutat locum, etiam si, quando generatur, accipiat de nouo esse in loco, sicut accipit esse de nouo. Et licet id, quod alteratur, aliquando mutet locum; tamen hoc non est necessarium, nec ab intrinseca ratione alterationis proueniens; sicut necessarium est, in augmentatione, & ab intrinseca eius ratione proueniens.

2. Secundò certum est, augmentationem à motu locali realiter, & essentialiter differere. Realiter, quia motus localis existere potest in rerum natura sine motu augmentationis, vt experientia docet: essentialiter, quia habent terminos ad quos, non solum specie, sed etiam prædicamento distinctos, cum terminus augmentationis sit quantitas; terminus verò motus localis sit *ubi*. Et quamuis mutare locum, tam ei, quod augetur, quam ei, quod mouetur localiter, necessariò conueniat, sed diuersimodè; nam ei, quod augetur, conuenit ratione partium; ei verò, quod localiter mouetur ratione totius.

3. Si augmentatio comparatur cum nutritione, dissidium non parum est inter auctores in explicando, an sint motus realiter distincti? Et dico notanter

realiter distincti; nam fatentur, omnes esse motus formaliter, & essentialiter diuersos, cum nutritio versetur circa substantiam, & augmentatio circa quantitatem, quæ sunt termini ad quos formaliter, & essentialiter diuersi.

4. Prima sententia affirmat, augmentationem, & nutritionem non esse motus realiter distinctos, sed per eundem numero motum viuētia nutriti, & augeri. Ita tenent plures auctores, tam ex antiquis, quam ex recentioribus; non tamen omnes nituntur eodem fundamento. Nam antiqui, inter quos sunt Marsilius libro de generatione quæst. 10. Albertus de Saxonia ibidè quæst. 9. Pererius libro 8. suæ philosophiæ cap. 13. ad 4. Valles 5. Physicorum capite 2. & controuersia 29. ad tyrones; id affirmabant, quia putabant (contra Aristotelem) esse veram sententiam Platonis, qui in Parmenide docuit, duos tantum esse motus propriè sumptos, videlicet, motum ad qualitatem, qui dicitur alteratio, & motum ad *ubi*, qui dicitur motus localis; ad quantitatem verò non dari per se motum, sed per eandem actionem, per quam producitur substantia materialis, produci etiam quantitatem non alia ratione nixi, nisi quia, vt certum (supponebant, quantitatem esse propriam passionè substantiæ materialis, & consequenter non distingui realiter



ab illa, quod suppositum si verum esset, optimè colligebant eadem realiter actione, qua producebatur substantia materialis, siue hæc actio esset generatio, siue nutritio, producti etiam quantitatem, quæ cum illa realiter identificabatur.

5 Recentiores vero, etsi cum Aristotele, & communi sententiâ, quam tradidimus 5. Physicorum disput. 1. quæst. 2. affirmant, nec negare audeant, ad quantitatem dari per se motum, qui dicitur augmentatio, & consequenter esse tres species motus propriè sumpti, & non tantum duas, vt ex estimabat Plato; dicunt nihilominus, augmentationem non esse motum realiter, & numero distinctum à nutritione, quia eum existimant (vt disput. 2. quæst. 5. vidimus) quantitatem non subiectari immediatè in toto composito, sed in materia prima; consequenter defendunt, in augmentatione: viuentis non produci de nouo, neque corrumpi aliquam partem quantitatis; sed partem quantitatis, quæ inhærebat in materia prima alimenti, perseverare in prædicta materia, & vixi cum quantitate, quæ erat in materia viuentis, non secus, ac materia alimenti perseverat, & vixit, & continuatur cum materia viuentis. Et insuper quia aliqui ex his auctoribus (non enim omnes sic philosophantur) sustinent, hanc vnionem, tam

quantitatis alimenti cum quantitate viuentis, quam materiæ alimenti cum materia viuentis præcedere conuersionem substantiæ alimenti in substantiam viuentis, dicunt consequenter neque nutritionem formaliter consistere in vnione materiæ alimenti cum materia viuentis, sed in actione conuersiua substantiæ alimenti in substantiam viuentis, quæ ad prædictas vniones cõsequitur, quæ actio conuersiua, & dicitur nutritio, & augmentatio, licet diuersimodè; nam dicitur nutritio verè, & formaliter; quia verè, & formaliter terminatur ad nouam partem substantiæ viuentis; augmentatio verò sola denominatione extrinseca; quia per se non terminatur neque ad quantitatem, neque ad vnionem quantitatis materiæ alimenti cum quantitate materiæ viuentis; sed partem istam vnionem iam factâ præsupponit, sed quia posita ista conuersione sine noua alia actione, resultat, quòd viuens autem denominetur à maiori illa quantitate, quæ ex vnione quantitatis materiæ alimenti cum quantitate materiæ viuentis, priusquam accederet nutritio, seu conuersio substantiæ alimenti in substantiam viuentis, præexistebat. Et ad hoc magis explicandum ponunt exemplum

in motu locali, qui duos terminos habet, vnum intrinsecum, & per se, scilicet, *vbi*, seu præsentiam, quam dicit mobile ad locum; & alterum extrinsecum, & per accidens resultatè, videlicet, *locum*, à quo circumscribitur locutù; nam sicut acquiritur *vbi* per motum localem absque alia noua actione sequitur acquisitio loci: ita pari ratione, inquit isti iuniores suppositis vnionibus materiæ, & quantitatis alimenti cum materia, & quantitate viuentis per conuersionem substantiæ alimenti in substantiam viuentis, quæ intrinsecè, & formaliter est nutritio, siue noua alia actione sequitur etiâ, quasi per accidens maior quantitas in viuente; & idè augmentatio viuentis nõ est distincta realiter actio à nutritione, sed eadem sub quadam denominatione extrinseca considerata.

6 His addunt testimonium Aristotelis, qui hic cap. 5. expressè affirmat, augmentationem, & nutritionem esse eandem actionem subiecto, id est, eandem realiter actionem; nam sicut tantum velet, quòd augmentatio, & nutritio haberet idem subiectum inhesionis, idè affirmare posset de augmentatione, & alteratione.

7 Secunda sententia sustinet augmentationem, & nutritionem in viuentibus, non solum esse motus formaliter, & essentialiter diuersos, sed etiam rea-

liter distinctos; non secus, ac quantitas, quæ est terminus augmentationis, realiter distinguitur à substantia, quæ est terminus nutritionis, licet naturaliter sint subordinati; nõ ad augmentationem in viuentibus naturaliter semper requiritur, quòd antecedit nutritio. Est cõmunis omnium interpretum Aristotelis, tam veterum, quam recentiorum, hoc loco cap. 5. & 5. Physicorum cap. 2. & 1. libro de anima à textu 41. vsque ad textum 50. quæ sententia à nobis sequenda est, vt verior, & probabilior, & claritas sequentibus conclusionibus declarabitur.

8 Prima conclusio, *Ad materiam quantitatem viuentis datur per se motus, qui dicitur augmentatio*, est contra auctores citatos propria sententia, qui cum Platone (vt vidimus) sustinebant, non dari ad quantitatem per se motum, sed produci per eandem actionem, per quæ producit substantiam. Eam autem expressè docet Aristoteles 5. Physicorum affirmans, ad quantitatem dari per se motum, & consequenter esse tres species motus propriè sumpti, scilicet, augmentationem, alterationem, & motum localem, & sufficienter à nobis probata fuit super 5. Physicorum disput. 1. q. 2. à n. 6. tribuendo quantitati continuam, & permanentem, & de ipsa verificando conditiones requiritas ad terminandum per se



motum, videlicet, esse acquisibilem per se, & insuper habere partes contrarias, sumpta contrarietate (vt ibi sumitur ab Aristotele) pro naturali impotentia, vt omnes simul acquirantur, recolantur ibi dicta. *m* 9 Neque obstat, quod isti auctores obijciebant, scilicet, quantitatem esse propriam passionem substantiæ materialis, & consequenter idem realiter cum illa, & vtrumque eadem productione acquisibile. Nam respōdētus, esse falsum, quod assūmunt; nam quantitas non est propria passio substantiæ materialis, sed accidens ei cōnaturale, id est, accidens ab ipsa substantia materiali naturaliter, & indefectibiliter profluens, seu emanans, vt quid ad eius naturalem cōseruationē requisitum; realiter ab ipsa distinctum; & consequenter acquisibile productione realiter distincta ab ea, qua producit substantia materialis; non fecus, ac frigiditas est accidens cōnaturale aquæ, id est, accidens ab ipsa substantia aquæ naturaliter, & indefectibiliter profluens, seu emanans, vt quid ad eius naturalem cōseruationem requisitum, realiter ab aqua distinctum, & consequenter acquisibile productione realiter distincta ab ea, qua producit substantia aquæ, vt ex professo ostēdimus super 2. Physicorum disp. 4. quæst. 6. Recolantur ibi dicta; non enim

omnia repetenda sunt. Passio verò substantiæ materialis totum est aptitudo ad eliciendā, & recipiendam in se quantitatem, quæ aptitudo idem realiter est cum substantia materiali, & eadem actione reali producitur, & cōseruatur, qua obducitur, & cōseruatur ipsa substantia materialis.

10 Secunda conclusio, *Sicut in nutritione corrumpitur pars alimenti, & de nouo pars substantiæ viuētis aggeneratur: ita in augmentatione viuētis corrumpitur pars quantitatis, quæ erat in parte alimenti, quæ corrumpitur, & noua pars quantitatis emanat in illa parte substantiæ viuētis, quæ de nouo aggeneratur.* Hæc conclusio, est contra primum, quod iuniores illi adducti pro prima sententia supponebant ad probandum augmentationem non esse motum realiter distinctum à nutritione. Inferitur autem necessario hæc nostra conclusio ex doctrina, quam cum Scoto, & Diuo Thoma statuimus supra disp. 2. quæst. 5. cōtra istos, & alios recentiores, videlicet, quantitatem non solum esse coetam materiæ primæ, sed neque in ipsa immediatè subiectari, sed potius in toto composito substantiali; ac per consequens corrumpi, & generari ad corruptionem, & generationem illius.

11 Verum enim verò iuniores isti, contra quos nunc disputamus, nolunt admittere ve-

ram,

ram; & cōmune doctrinā de inhærentia quantitatis immediatè in toto composito; oportet ergo ex alia doctrina Aristotelica, quam ipsi libenter admittunt, nostram cōclusionem contra ipsos demonstrare. Admittunt enim iuniores isti cum Arist. id, quod cōclusionem prima statuimus, videlicet, augmentationem esse verè, & propriè motum successiuum, & continuum, non solum per accidens, vt sunt generatio, & nutritio, sed etiam per se; quod non solum docuit Aristoteles 5. Physicorum, sed etiam hoc in libro cap. 5. textu 25. demonstrauit ex peculiari modo, quo afficitur motus augmentationis, quo non afficitur generatio, nec nutritio; nā id, quod augmentatur, necessario ratione partium mutat locum, quod non est necessarium in eo, quod generatur, vel nutritur; imo neq; in eo, quod alteratur. Et ratio à priori est, quia cum quæritas permanens, & continua, quæ est terminus per se augmentationis, ex se habeat partes natura sua impenetrabiles, & quarum vna perat esse extra aliam in ordine ad locum, ex se etiam, & secluso quocūque alio, habebit, quod non possint partes eius subire, & in instanti acquiri per augmentationem; sed necessario debent acquiri successiuè, & continuè; quæ est contrarietas ex mente Aristotelis (vt sæpè

dixi) requisita ad hoc, vt motus dicatur versari inter contraria: quod nō competit substantia (vt latius diximus super 5. Physicorum disp. 1. quæst. 3.) ad quam per se terminantur generatio, & nutritio; nā cōtra ex se habeat partes entitatuas, non tamen habet partes natura sua impenetrabiles, & quarum vna in ordine ad locum perat esse extra aliam, & consequenter ex se perat subito, & in instanti produci, & solum per accidens, scilicet, ratione quantitatis, & aliarum dispositionum ad ipsarum productionem requisitarum, ex postulat, quod successiuè, & continue producantur. Nam hæc Aristotelica doctrina, & quæ ab istis iunioribus recipitur, nescio, quo pacto saluari possit, admittendo, vt ipsi admittunt, motum augmentationis non terminari per se ad nouā partē quantitatis, sed ad continuatiua, quibus partes quantitatis alimentis continuantur, & cōpulantur cum partibus quantitatis in partibus viuētis præ-existentibus; siquidē hæc continuatiua, quæ ab ipsis ponuntur termini per se augmentationis, cum indiuisibilia sint, non possunt habere partes, quanto magis partes natura sua impenetrabiles, & quarum qualibet perat esse extra aliam in ordine ad locum; quod est simpliciter requisitum in termino per se augmentationis ad-



adhoc, vt augmentatio non subito, & in instanti, sed potius successiue, & cōtinuē fiat.

12 Nec valet, si respondeas, etsi augmentatio formaliter sumpta solum per se terminetur ad hæc indiuisibilia continuatua, nihilominus esse motum successiuum, eo quod in accretione viuētis quantitas coena materiæ alimenti nō tota simul, & in instanti vnitur, & continuatur cum quantitate viuētis, sed successiue, & parte post partem.

13 Nam contra hoc est primo, quia sicut de nutritione viuētis, etsi de facto non fiat in instanti, & tota simul, sed successiue, & parte post partem, nullus Peripateticus dixit, esse per se successiuam, sed solum esse successiuam per accidens, eo quod ista successio non cōuenit ei ratione sui termini: sed ratione alterationis præuie requisitæ in alimento. adhoc, vt conuertatur in substantiam viuētis: ita sic respondentes facteri coguntur, etsi augmentatio viuētis, & quæ sequitur ad eius nutritionem, de facto non fiat in instanti, & tota simul, sed successiue, & parte post partem: nihilominus non esse per se successiuam, sed solum per accidens, eo quod ista successio nō competit ei ratione sui termini, sed ratione alterationis præuie requisitæ ad nutritionē, & consequenter ad ipsam augmentationem viuētis.

14 Secundò, quia sicut in diuisibilia, quibus partes quantitates coeue materiæ alimenti successiue copulantur eū quantitate coena materiæ viuētis, etsi vnum succedat alteri, non tamen sunt inter se continua (mediat enim inter ipsa aliqua pars quantitatē) ita & productiones, quibus ista indiuisibilia producantur, etsi vna succedat alteri, non tamen erunt inter se cōtinua, sed discretæ; ergo coguntur sic respondentes facteri, augmentationem viuētis, etsi fiat successiue, non tamen esse vnum motum continuum, sed aggregationem plurium motuum, successiue, & cum ordine prioris, & posterioris se habentium, quæ omnia opponuntur doctrinæ Aristotelicæ supra allatæ, & ab his iunioribus receptæ.

15 Nec video, quid possit obijci contra hæc (si iuniores contra quos disputamus, contendunt apparere Peripatetici, & nō Zenoniste) nisi quod aliqui obijciunt instantiam, scilicet, accretionis quantitatē aquæ, quæ fit per applicationē nouæ partis aquæ ad partes aquæ præexistētis in aliquo vase, quæ accretio solum fit per productionem indiuisibilem, quibus partes quantitatē vtriusque partis aquæ copulantur inter se.

16 Sed hæc instantia non est ad rem, sed potius retorqueri potest in contrariis. Non est ad rem,

rem, quia partes aquæ, ex eo quod coniunguntur in aliquo vase, non ideo vna corrumpitur, & alia de nouo generatur, & sic non mirum, quod quantitates earum permaneant, & solum fiat accretio quantitatē earum per productionem indiuisibilem, quibus prædictæ partes quantitatē copulantur inter se. At in accretione quantitatē, quæ fit in viuētibus, e cōtrario contingit; nam per nutritionē alimentum substantialem corrumpitur, & noua pars substantialis viuētis aggeneratur, & sic non mirum, quod etiam quantitas alimenti pereat ex defectu subiecti, & noua pars quantitatē emanet in parte substantiali viuētis, quæ de nouo aggeneratur.

17 Porcū prædicta instantia in contrariis retorqueri; nam Aristoteles, tam hic, quàm 5. Physicorum solum de accretione quantitatē, quæ fit in viuētibus affirmavit, esse verè, & propriè motum distinctum in specie ab alteratione, & motu locali; nō verò de accretione, quæ fit in aqua, aut alijs similibus inanimatis. Perfectò nulla alia ratione ductus, nisi quia, vt certū supponebat, in accretione quantitatē, quæ fit in viuētibus, acquiritur nouam partem quantitatē, in qua, eo ipso, quod habet partes natura sua impenetrabiles, & quarum vna petit esse extra aliam in ordine ad locum, necessariò concurre-

bant omnes cōditiones ad terminandum per se motū requisitæ. At verò in accretione quantitatē, quæ fit in aqua, & in alijs similibus inanimatis, cum non acquiratur noua pars quantitatē, sed solum de nouo acquirantur indiuisibilia, quibus partes quantitatē præexistentes, & quæ erant discretæ, copulantur, & fiunt vnum cōtinuum, quæ indiuisibilia, cum non habeant partes natura sua impenetrabiles; & quarum vna petit esse extra aliam in ordine ad locum; imò hoc eis repugnet, implicabit eis etiam cōditio simpliciter requisita, ad terminandum per se motū. Vnde non immerito nos supra quest. 2. num. 9. vt certum itaque habemus, accretionem viuētium esse mutationem essentialiter distinctam ab accretione, quæ fit in rebus inanimatis, eū vna sit propriè motus, & a cōtrario in cōtrarium; alia verò sit mutatio a contradictorio in contradictorium, quæ est ratio, ob quam generationem omnem, tam substantialem, quàm accidentalem Aristoteles a propria ratione motus relegauit.

18 Tertia conclusio, Ad conuersionem substantiæ alimenti in substantiam viuētis, quæ fit per nutritionem, non presupponitur vniuersa materia primæ alimenti cum materia primæ viuētis, & consequenter neque vniuersa quantitas alimenti cum quantitate viuētis. Hæc cōclusio est cōtra secundā, quod suppone-



bant iuniores adducti pro prima sententia ad probandum, augmentationem non esse motum realiter distinctum a nutritione: est expressa apud Aristotelem 2. libro de partibus animalium cap. 3. ad finem, ubi loquens de sanguine, qui est proximum alimentum viuientis, sic ait, *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac ventis, quasi in vase continetur.*

19 Ratio huius conclusionis est, quia sicut in generatione substantiæ eadem est actio, per quam educitur forma substantialis de potentia materiæ, & per quam vnitur eidem materiæ, & fit totum compositum (vt probatum est 1. Physicorum disp. 4. quæst. 2. num. 11.) ita in aggeneratione, seu nutritione eadem omnino est actio, per quam forma viuientis educitur de potentia materiæ alimenti, & per quam non solum vnitur prædictæ materiæ, sed etiam pars viuientis de nouo producta aggeneratur, seu vnitur cum alijs partibus viuentibus. Neque video, quæ sit necessitas cogens nos ad multiplicandas has actiones, cum potius ex earum multiplicatione multa insurgant inconuenientia, quæ in hoc libro disput. 2. quæst. 5. tetigimus.

20 Quarta conclusio, *Augmentatio formaliter, & essentialiter non consistit in denominatione aliqua extrinseca, sed in reali, & proprio mo-*

*tu per se tendenti ad nouam partem quantitatis, & vnione illius cum cæteris partibus quantitatis viuentis.* Hæc conclusio militat directè contra illos iuniores citatos pro prima sententia, qui nixi duobus fundamentis, a nobis in 2. & 3. conclusione refutat, ausi sunt dicere, augmentationem viuientis formaliter, & essentialiter non consistere in motu per se tendenti ad nouam partem quantitatis; quia partem quantitatis de nouo productam non admittunt, neque in vnione quantitatis alimenti cum quantitate viuentis; quia hanc dicebant, præcedere nutritionem, seu conuersionem substantiæ alimenti in substantiam viuentis; & consequenter debebat etiam antecedere augmentationem viuientis, quia hæc sequitur ad nutritionem; sed dicebant consistere in denominatione extrinseca augmentationis, quæ accidebat nutritioni, ex eo, quod alimenti substantiam, cuius materiæ, & quantitas præsupponebantur vnita materiæ, & quantitati viuentis, conuertebat in substantiam viuentis.

21 Secunda falsitas sententiæ istorum recetiorum, & veritas nostræ conclusionis probatur primo, ex confutatione facta in 2. & 3. conclusione fundamentorum, quibus nixi sunt isti recetiores ad sic philosophandum.

22 Secundo probari potest ex du-

duplici inconuenienti, quod sequeretur ex eo, quod augmentatio viuientis formaliter, & essentialiter constitueretur in supradicta denominatione extrinseca, & non in acquisitione nouæ partis quantitatis, & vnione illius cum partibus quantitatis viuentis. Primum est, augmentationem non veritari circa quantitatem; quod non solum est contra Aristotelem, sed etiam contra ipsos met recetiores: sequela patet, nam iuxta hanc sententiam augmentatio formaliter sumpta non consistit in productione quantitatis, neque in vnione quantitatis alimenti cum quantitate viuentis; ergo nullo modo formaliter sumpta versatur circa quantitatem. Secundum est, augmentationem formaliter sumptam non esse verum motum; quod etiam est contra Aristotelem, & ipsos recetiores: patet sequela, nam verus motus neque est, neque potest consistere in denominatione extrinseca cum ex Aristotele 3. Physicorum sit, *actus entis in potentia, secundum quod in potentia*, id est, quid actiuus; & formaliter existens in subiecto, quod est potentia.

23 Quinta, & vltima conclusio, *augmentatio viuentium est motus realiter distinctus a nutritione ipsorum.* Hæc conclusio (quæ directè respõdet quæsitio) est contra omnes auctores pro prima sententiâ num. 4. citatos, & quæ

defendunt auctores secunda sententiæ num. 7. relatæ, quæ, vt ibi vidimus, est cõmunis omnium interpretum Aristotelis. Et ratio efficax est, quia distinctio realis in terminis, ad quos motus, est signum euidens distinctionis realis ipsorum motum, vt constat ex Aristotele 5. Physicorum cap. 4. sed augmentatio est verus, & realis motus, vt constat ex dictis in 1. & 4. conclusione, & insuper habet terminum ad quem realiter distinctum a termino ad quem nutritionis; quia, vt ex dictis in 2. conclusione constat, terminus ad quem augmentationis est partialis quantitas, quæ a parte substantiæ viuentis, quæ per nutritionem aggeneratur, dimanat, & vnitur alijs partibus quantitatis viuentis; terminus verò ad quem nutritionis, in omni sententiâ, est illa pars noua substantiæ viuentis, quæ ex materia alimenti, aggeneratur, & partibus substantialibus viuentis præexistentibus vnitur: ergo augmentatio est verus, & realis motus distinctus realiter a nutritione.

24 Et confirmatur. Quia illa distinguuntur realiter, quorum vnum per potentiam Dei absolutam, & sine vlla implicatione potest existere sine alio, sed nutritio potentia Dei absoluta, & absque vlla implicatione potest existere sine augmentatione (etiam si augmentatio sumatur pro acquisitione nouæ



ue partis quantitatis, & illius v-  
nitione cum partibus quantita-  
tis præexistētibus) ergo distin-  
guitur realiter ab illa. Minorē  
probo, quia nulla est repugnā-  
tia in hoc, quod facta conuer-  
sione substantiæ alimenti in  
substantiam viuētis, in quo  
consistit formaliter nutritio,  
impeccat Deus emanationem  
nouæ partis quantitatis, & vnio-  
nem illius cum quantitate vi-  
uentis, in quo consistit forma-  
liter augmentatio.

25 Ad auctoritatem Aristo-  
telis adductam num. 6. pro pri-  
ma sententia respondetur, quod  
cum Arist. docet, augmenta-  
tionem, & nutritionē esse ean-  
dem actionem subiecto, non  
loquitur de subiecto in quo, seu  
inhærensionis, sed de subiecto ex  
quo, seu circa quod; quasi dicat,  
tam nutritionem, quam augmen-  
tationem fieri ex eodem  
alimento; quia vt ipsemet in-  
ferius explicat, idem alimen-  
tum, in quantum substantia,  
nutrit, & in quantum est quan-  
tum, auget.

26 Si denum augmentatio  
ad diminutionem comparar-  
tur, certum est, esse motus op-  
positos, non secus, ac opposi-  
tus, generatio, & corruptio, &  
similiter intensio, & remissio  
in qualitatibus, & consequen-  
ter terminum ad quem augmen-  
tationis debere esse terminum  
a quo diminutionis: & e contra  
terminum a quo augmentatio-  
nis debere esse terminum ad

quem diminutionis. Et simili-  
ter certum est, quod sicut aug-  
mentatio in viuētibus natu-  
raliter cōsequitur ad quilitio-  
nem nouæ partis substantialis  
viuentis; ita diminutio natu-  
raliter cōsequitur ad corruptio-  
nem alicuius partis substā-  
tialis viuētis. Vnde sicut su-  
pra quest. 2. num. 9. augmenta-  
tionem viuētium definiui-  
mus, est mutatio accidentalis a mi-  
nori quantitate ad quantitatem ma-  
iorem vi anime: ita a contrariō  
diminutio viuētium erit de-  
finienda, est mutatio accidentalis  
a maiori quantitate ad quantita-  
tem minorem defectu virium ani-  
me.

27 Solum, quod veritatis in  
dubium est, au sicut augmen-  
tatio est motus positius; etiā  
sit motus positius diminutio?  
sunt qui affirmant, diminitio-  
nem esse motum positium,  
non secus, ac augmentationē.  
Et probant primō ex Aristotele,  
qui 5. Physicorum textu  
18. postquam interpretatur motus  
proprie sumptos a mutationi-  
bus motum proprie sumptum  
diuisit in tres species, scilicet,  
in motum ad quantitatem, in  
motum ad qualitatem, & in  
motum ad vbi. Deinde motū  
ad quantitatem in communi  
coalescentem, dixit, non ha-  
bere proprium nomen; bene  
tamen in specialibus quia diuisi-  
tur in eum, qui tendit ad ma-  
iorem quantitatem, & dicitur  
augmentatio, & in eum, qui  
ten-

tendit ad quantitatem minorē,  
& dicitur diminutio: sentit er-  
go Aristoteles, diminutionem  
esse motum positium, non se-  
cus, ac est augmentatio; nam si  
esset quid negatiuum, non pos-  
set in genere proximo cū aug-  
mentatione conuenire; nam  
ens positium, & negatio entis  
positiui pluresquam prædicamē-  
to differunt.

28 Secundō probant hac ra-  
tione. Ille motus est positius,  
cuius terminus ad quem posi-  
tius est; sed terminus dimini-  
tionis est positius, scilicet, mi-  
nor quantitas: ergo diminutio  
motus positius erit. Et confir-  
matur, quia si terminus ad quem  
diminutionis solum esset de-  
perditio quantitatis, nō distin-  
gueretur a corruptione; non est  
ergo terminus ad quem dimini-  
tionis sola deperditio quanti-  
tatis, sed potius quantitas mi-  
nor, quæ quid positium est.

29 Sed nobis dicendum est,  
diminutionem materialiter, &  
in esse rei consideratā non cō-  
sistere in aliquo positio influ-  
xu, sicut consistit augmētatio,  
sed potius in carentia influxus,  
quo viuens partē substantiæ, &  
consequenter partē quantitatis  
conseruabat; atque ideō non  
esse diminutionē inter motus  
positios, qualis est augmenta-  
tionis, numeratā, sed inter ne-  
gatiuos, quales, supra diximus,  
esse corruptionem substantia-  
lem, & remissionem qualita-  
tū, si materialiter, & in esse rei

considerentur: est communis  
sententia inter recentiores, &  
valde cōformis principijs Scoti,  
qui motū, vel mutationem  
materialiter, & in esse rei cōsi-  
derat, etsi distinguat realiter a  
suis terminis ad quos; sed non  
tanquā duas res, sed vt eadem  
res, vt in fieri, & in facto esse  
cōsiderata, qui sunt modi rea-  
les essendi realiter distincti; &  
cōsequenter docet, etsi motū,  
vel mutationem materialiter,  
& in esse rei considerata non  
ponatur per se in aliquo ex  
dece prædicemētis; reduci ta-  
men ad prædicamentum, imō  
ad speciem sui termini; & ex  
hoc principio deduci potest  
ratio a priori nostræ sententiæ,  
quæ sic eformari potest.

30 Omnis motus, vel mutatio  
materialiter, & in esse rei con-  
siderata reducuntur non solum  
ad prædicamentum, sed etiam  
ad speciem sui termini: ergo si  
terminus alicuius motus, vel  
mutationis materialiter, & in  
esse rei cōsideratus fuerit posi-  
tius, etiā motus, vel mutatio  
materialiter, & in esse rei cōsi-  
derata positia erunt, etsi nega-  
tius, negatiua; sed terminus  
diminutionis materialiter, & in  
esse rei consideratæ, nō est ali-  
quid positium, sed aliquid nega-  
tiuum: ergo diminutio materia-  
liter, & in esse rei cōsiderata nō  
inter motus positios, sed inter  
motus negatiuos debet enu-  
merari. Probat minor, & in  
primis, quod per diminutionē



aliquid negatiuū acquiratur, scilicet, amissio, seu non esse partialis quantitatis, est manifestū: est enim in intelligibile, quòd aliquid minuat, & quòd non deperdat aliquid de quantitate, quā antea habebat.

31 Deinde per diminutionē nihil positiuū acquiri, sic demonstrō. Si aliquid positiuū per diminutionem acquireretur, vel esset quantitas, quæ denominatur minor, vel ipsa relatio minoritatis, à qualis denominatur, & in ipsa resultat amissio alicuius partis quantitatis; sed nō acquiritur quantitas, quæ denominatur minor; quia hæc præsupponit acquisita; nec relatio minoritatis, quia cum sit intrinsecus adueniens, nō potest per se motū terminare, & solū resultat ex amissione, seu nō esse partis quantitatis: ergo nihil positiuū per diminutionem acquiritur per se.

32 Nec valet, si respondeas, etsi per diminutionē solū acquiratur per se amissio, seu nō esse partis quantitatis; nihilominus, quòd hæc amissio, seu non esse cōnotet minorem quantitatem, est conditio intrinsecè requisita ad specificationē motus diminutionis; nam illa connotatione sublata, prædictus motus non diminutio quantitatis, sed corruptio quantitatis diceretur. Nam etiā si hæc connotatio in termino acquisito per diminutionē sit intrinsecè requisita ad specificandam diminutionem

sumptam formaliter, & in esse motus: tamen ad specificandam diminutionē sumptam materialiter, & in esse rei, est conditio omnino per accidēs requisita: sicut in simili diximus, disp. 3. q. 2. à n. 10. loquēdo de distinctione, quæ veritatur inter alterationē intensiuam, & extensiuā. Cōstat autē ad explicandā, vtrum diminutio sit, vel non sit motus positiuus, solū esse considerandum id, quod ei cōuenit materialiter, & in esse rei; non verò id, quod ei cōuenit formaliter, & in esse motus.

33 Ex dictis colligo, augmentationē, & diminutionē, si materialiter, & in esse rei considerentur, differre (non secus, ac supra diximus, tam de generatione, & corruptione, quā de intensione, & remissione materialiter, & in esse rei consideratis) plusquā prædicamento; cū augmentatio sit motus positiuus, diminutio verò negatiuus. Et dico notanter, si materialiter, & in esse rei considerentur; nā si cōsiderentur formaliter, & in esse motus, solū differunt specie, cū cōueniant in genere proximo, quale est motus ad quantitatem, & differūt per tendentiā ad maiorem, vel minorem quantitatem, vt clarè manifestant earū definitiones supra traditæ, & expressè docuit Aristot. loco pro opposita sententia n. 27. adducto.

34 Nec mireris, quòd iste dū mutationes materialiter, & in esse rei consideratæ plusquam præ-

prædicamentis differāt, & quòd formaliter, & in ratione motus sumptæ solū differāt specie; nam ratio formalis motus (sicuti & actionis, & passionis, quas essentialiter includit motus) non est prædicatū intrinsecū, & essentialē ipsarū, si materialiter, & in esse rei considerentur; sed quidā modus ad ipsas consequutus, qui modus nec per se, nec reductiue ad aliquod ex decem prædicamentis spectat; & ideo Aristoteles illum in nullo ex decē prædicamentis collocauit, sed inter modos, qui ad ea, quæ ponuntur in prædicamentis, cōsequitur, & cōmunitur post prædicamenta appellatur, *modū motus* enumerauit, vt ex dictis in Logica capite 14. manifestè constat.

35 Neque ex eo, quòd *modum motus* Aristot. à prædicamentis relegauit (sicut & cæteros modos, scilicet, *oppositiois*, *prioris*, *similis*, &c. quos post prædicamenta appellamus) inferat aliquis, prædictū *modum motus* carere in sua sphaera modali, serie prædicatorū essentialium superiorū, & inferiorū; nam etiam enarrationis relegatū est à decē prædicamentis, & nihilominus in eo seriem prædicatorum essentialium, superiorū, & inferiorū in sua sphaera cōstituiamus. Imò Arist. loco citato *modum motus* in cōmuni in varia genera, & species diuisit. Qualiter autem ordinanda sit series prædicatorū essentialium, quæ includun-

tur in motu, ex professio docuimus 5. Physic. disp. 2. q. 1. à n. 2. vsque ad 6. Recolat & cotitit; nam si benè calet, multas difficultates (ex æquiuocatione ortus) quibus plures auctores premuntur, facile superabit.

36 Ex dictis, & enodatis, enquam facillè ad obiecta in cōtrarium respondemus. Ad auctoritatem Arist. ex 5. Physic. tex. 18. desumptam, dicimus, ibi non loqui Aristotelem de diminutione materialiter, & in esse rei considerata, quæ est consideratio, secundum quam nos dicimus, esse motū negatiuum; & plusquam prædicamento distinctam ab augmentatione; sed de diminutione formaliter, & in esse motus sumpta, in qua consideratio nos non negamus, sed potius positiuè affirmamus cum iplomet Aristotele, solū specie differre ab augmentatione, & cum ipsa in genere proximo, quale est motus ad quantitatem, conuenire.

37 Ad rationē, cōcessā maiori, negamus minorem, si diminutio sumatur, & sumi debet materialiter, & in esse rei; quia vt sic terminus per se illius solū est negatiuus, seu amissio partis quantitatis præexistētis, vt probatum est; & licet in prædicto termino connotatio minoris quantitatis sit intrinseca conditio, & essentialiter requisita ad specificationem diminutionis formaliter, & in esse motus cō-



siderate; tamen si consideretur (vt quo ad presentem difficultatem considerari debet) materialiter, & in esse rei, est conditio accidentalis, & extrinseca. 38 Ad confirmationem dicimus, ex eo quòd terminus per se diminutionis, materialiter, & in esse rei consideratè, solum sit negatio partis quantitatis; connotatio verò minoris quãtita-tis solum sit conditio accidentalis, & extrinseca, sequi quidem id, quod nos libenter fatemur, scilicet, diminutionem materialiter, & in esse rei consideratam solum differre accidentaliter à corruptione totius quantitatis; non tamen inferri, quòd diminutio formaliter, & in esse motus non differat essentialiter à corruptione quantitatis; nam connotatio in termino minoris quantitatis, vt sæpè dictum est, cõditio intrinseca est, & essentialiter requisita ad specificãdã diminutionem formaliter, & in esse motus consideratam, & per quam essentialiter differt à corruptione totius quantitatis.

#### QVÆSTIO IV.

*Vtrum nutritio, & augmentatio sint motus successiuus, & continuus?*

**I**Dupliciter potest intelligi, nutritio, & augmentatio esse motus successiuos, & continuos. Primò ita, vt cõtinuũ sit idem, ac perpetuum, & ita sensus quæstionis erit, an nutritio, & augmentatio durent

absque vlla intermissione toto tempore vitæ. Secundò ita, vt quãuis nõ perpetuò durent, durant tamen aliquo tẽpore cõtinuo, & non fiant discretè, & in solis instantibus temporis?

2 In primò sensu non defunt, qui existimèt, saltem nutritio-nem esse perpetuam, & durare toto tempore vitæ sine aliqua interruptione. Et probant primò ex Aristotele, qui cap. 5. huius libri dicit, quòd viuens, quamdiũ viuitt, semper nutritur; nõ tamen semper augetur. Secundò probant, quia in animali, quamdiũ viuitt, numquã cessat actio caloris natuui, per quam disponitur alimentum ad nutritionem, & similiter numquam cessat alimentum, quòd disponatur; nam, vt ex dictis in prima quæstione constat, vltimum alimentum disponendũ est sanguis, qui numquam deest animali viuenti; ergo etiam numquã cessabit nutritio, seu actio conuersiua alimenti in substantiam viuents.

3 Sed dicendũ est cum communi sententia, nutritioem, & consequenter augmentatiõem non esse motu perpetuum; sed interrumpi posse, imò de factò sæpè cõtingere, dum viuitt animal. Probatur primò ex Aristotele, qui s. Physic. textu 23. docet, ita fieri diminutionẽ viuents, vt nõ necesse sit, quolibet tẽpore aliquam partẽ substantiæ amittere; sicut non est necesse, guttas aquæ cadentes quo-

quolibet tempore extrahere aliquam partem lapidis, sed eodem pacto, quo fit diminutio substantiæ, fit etiam nutritio, & consequenter augmentatio; ergo de omnibus sentit Aristoteles aliquibus temporibus interrumpi.

4 Secundò probatur ratione à priori, quæ sic efformari potest. Ad nutritionem duo necessariò requiruntur, scilicet, & quòd calor naturalis sit bene dispositus ad agendum circa alimentum, & insuper, quòd alimentum ad conuersionem in substantiam aliti sit aptum, & loco debito approximatum; sed potest contingere, quòd calor naturalis non sit bene dispositus, cũ subdat morbis, nõ fecus, ac cæteræ partes corporis; & similiter potest contingere, quòd alimentum non sit loco debito approximatum, vt siquid cibos non fumeret, vel quod sit ineptum ad conuersionem; ergo ex vtroque capite potest provenire, & sæpè de factò provenit in viuentsibus interruptio; seu suspensio nutritionis, & cõsequenter augmentatiõis, quæ sine nutritioe in viuentsibus nõquã fit.

5 Neque ea, quæ in contrariũ obiecta sunt, multum vrgent. Ad auctoritatẽ Aristotelis respondemus, in prædictis verbis non intendere, quòd animal semper, & absque vlla interruptione nutriatur, sed aduerbium semper distribui pro quolibet ætate, ita vt sensus verbo-

rum sit, in qualibet ætate viuens nutritur; quia in qualibet ætate alimentum conuertit in suam substantiam; non tamen augetur in qualibet ætate; quia ad augmentum, vt supra dicebamus, non sufficit, quòd viuens acquirat de nouo partem quantitatis, sed etiam, quòd ex præcedenti non amittat alia via æqualem, vel maiorem illa, quam acquirat; nam si hoc cõtingat, vt de factò contingit in secunda, & tertia ætate; acquisitio nouæ partis quantitatis non dicitur augmentatio viuents; quia augmentatio, vt supra dictum est, nõ est qualiscumque acquisitio quãtita-tis, sed quantitatis maioris præexistente in viuenti.

6 Ad rationem, negamus in animali, quamdiũ viuitt, numquam cessare actionem caloris naturalis circa alimentum; nam vt probatum est, cessare potest, & de factò sæpè cessat, vel propter in dispositionem ipsius caloris naturalis, vel propter ineptitudinem alimenti, aut earentiã illius. Et cum obijctur, vltimũ alimentum esse sanguinem, qui numquam deest viuentsibus. Respondetur, non quemcumque sanguinem animalis esse alimentum, sed illum, qui ex cibo assumpto preparatur in poris, qui deficere potest, & solet, etiamsi non deficiat alius sanguis necessarius ad consistentiam animalis.

7 In secundo sensu. Prima sen-



sententia affirmat, nutritionē, & consequēter augmentatiōnem, quæ in viuētibz ad nutritionem consequitur, etū fiat successiue, non tamen esse motum continuum; quia non fit in tempore, sed in quibusdam instantibus temporis discretis, & determinatis; ita vt tempore aliquo disponatur aliqua pars minima alimēti per alterationem successiuam, & continuā à calore naturali, & in instanti terminatio illius temporis, quod durat dispositio illius partis alimēti, pars illa perfectē disposita conuertitur in substantiam viuētis, & simul augetur viuēns: tēpore verò sequenti disponitur alia pars alimēti, & in instanti terminatio eius conuertitur in substantiam viuēntis, & simul augetur viuēns; & sic successiue de reliquis partibus alimēti. Pro hac sententiā citant Quambricenses hic capite 15, quæst. 16, art. 1. Aueroeroem lib. 3. Physicorum, cōmētō 8. Magnum Albertum 8. lib. eiusdem operis, textu 23. Ferraricus eodem libro q. 6. Soncinatem 8. Metaph. q. 22. & 28. Capreolum in 1. distinct. 17. q. 2. & Pomponatium lib. 1. de nutritione, cap. 9. & eam defendit Cardinalis Toletus hic quæst. 11. & ex recērioribus Petrus Hurtado disp. 3. de augmentatione sect. 3. subsect. 2. qui pro ipsa citat notitiam Scotum in 4. dist. 44. q. 5. sed Scotus in prædicta distin-

ctione tres tantū exagitat quæstiones, nō quinque: & quamuis in prima ipsarum num. 14. §. Si ergo nutritionem distinguat ab augmentatiōne, in hoc, quod nutritio est instantanea, & augmentatio est motus successiuus, & consumens tempus; tamē ibi loquitur de eo, quod his mutationibus conuenit per se, & ex natura sua; non verò de eo, quod de facto, & per accidens cōuenit nutritioni, tam ratione alterationis, quam augmentationis, quæ ipsam comitantur; nam vt sic non negat Scotus, imò vbique, vt certum præsupponit, nutritionem esse motum non solum successiuum, sed etiam continuum, vt sunt motus alterationis, & augmentationis; qui ipsam comitantur; Citat etiam Petrus Hurtado pro hac sententiā Diuum Thomam 2. 2. quæst. 24. artic. 6. vbi expresse ait, *Augmentum corporale in animalibus, & plantis non esse motum continuum*; sed etiam immeritū; quia, vt bene respondent eius asseclæ recentiores; ibi Angelicus Doctor *ly continuū non sumit*; vt opponitur *discretū*; sed vt opponitur *regulari*, id est, quod si tanto tempore crescit viuēns quatuor digitos, in dimidio alius temporis crescat duos digitos; neque aliter philosophari poterat sine contradictione, qui 3. part. quæst. 3. articulo 1. ad 4. dicit, *Augmentationem non esse actionem instantaneam*,

*neam, sed successiuam*; id est, in tempore factam.

8. Probari potest hæc sententia, primò auctoritate Aristotelis; qui 8. Physicorum textu 23. docet, diminutionem non fieri cōtinuò; & probat exemplo lapidis excauati à guttis aquæ cadentibus, quæ non cōtinuò diminuunt partes lapidis, ita vt si tanto tempore extrahatur tanta pars, in dimidio illius temporis extrahatur medietas, sed toto illo tempore disponitur, & in vltimo pars extrahitur: ergo idem dicendum erit de augmentatione, quia vt numero 3. dicebamus, eadem est ratio de diminutione, ac de nutritione, & augmentatione.

9. Secundo probari potest rationibus. Prima, viuētia (vt ex dictis 1. Physicorum disp. 5. quæst. 4. constat) via generationis habent terminum intrinsecum paruitatis, qui appellatur *minimum*, quod sic, eo quod sub illa quantitate potest anima informare materiam, & fieri viuēns, non verò sub minori; ergo cum in nutritione viuēntis, noua pars materie informetur anima, requirit talis nutritio in materia certam, & determinatam quantitatē versus paruitatem, ita vt minori fieri non possit; sed illa, quæ requiritur in materia certam, & determinatam quantitatē, fiunt in instanti: ergo nutritio, & consequenter augmentatio,

quæ ad ipsam sequitur in viuētibz, in instante fit.

10. Secunda (& est ipsorum Achilles) si nutritio (& consequenter augmentatio, quæ ad ipsam consequitur in viuētibz) esset successiua, & continua, inciperet necessariò extrinsecè, & per vltimum sui non esse, ita vt verum esset dicere, nunc non est nutritio, & tempore immediato erit (patet ex dictis 6. Physicorum disput. 2. quæst. 3. sect. 2. & 3.) modo sic argumentatur; vel in illo instanti, quod ponitur extrinsecum, & est vltimum non esse nutritiois, completa est vltima dispositio alimēti, vel nō, sed complenda est tempore immediato sequenti, hoc vltimum (inquiunt) sustineri non potest in sententia communi, quæ sustinet, quantitatem, & cætera accidentia materialia subiectari non in materia prima, sed in toto composito substantiali. Primò, quia subiectū vltimæ dispositionis alimēti est ipsum alimētum; sed tempore, quo adæt nutritio, non est alimētum, aliàs eadem numero materia informaretur similibus forma viuēntis; & forma alimēti: ergo neque etiam esse poterit vltima dispositio; quia vltima dispositio est accidens, & nullum accidēs existere potest sine subiecto. Secundo, quia vltima dispositio requirita ad conuersionem alimēti in substantiam alimēti requirit certum,



& determinatum gradum intensiōnis ad hoc, vt sit vltima: ergo non completur in tempore, in ratione vltimæ dispositionis, sed potius instanti. Tertio, quia res permanentes materiales, vt est alimentū, necessariō desinūt extrinsecē, & per primum sui non esse: ergo conuersio alimenti in substantiam viuētis, quæ est nutritio, necessariō debet incipere per primum sui esse, ac per cōsequens fiet in instanti, & non in tempore: patet consequentia, nam si quando aliquid desinit esse extrinsecē, & per primum sui non esse, id, quod generatur, ex ipso incipere esse etiā extrinsecē, & per vltimum sui non esse, vel daretur materia pro aliquo instanti sine forma, vel duo instantia darentur, vnum immediatum post aliud, quorū vtrūque est naturaliter impossibile: sustinendum igitur est (inquiant) primum, scilicet vltimam dispositionem, alimenti ad hoc, vt conuertatur in substantiam viuētis, cōpleta esse pro illo instanti, & consequenter nutritionē fieri pro illo instanti, & non tempore subsecuti, falsumque esse, illud instantans esse extrinsecum, sed potius intrinsecū inceptiōnis nutritionis; aliās daretur vltima dispositio sine forma, cuius est vltima dispositio; imō simul cum forma contraria tali dispositioni, quod est absurdum.

11. His tamen non obstanti-

bus, dico primō: omnis augmentatio, imō omnis emanatio quantitatis, siue per ipsam augetur viuēns, siue non, per se, & natura sua est motus successiuus, & continuus; & cōsequenter petit fieri nō in instanti, sed in tempore: est expressa sententia Aristot. 5. lib. Physic. quæ omnes eius interpretes sequuntur, Scorusibi q. 8. & alibi sapē: & à nobis fuit sufficienter probata super 5. Physicorum disp. 1. q. 2. & etiam quæstione præcedenti conclusione prima, & summa probationis est, quia omnis quantitas per manens, & continua habet ex se, & natura sua partes impenetrabiles, & quarū vna pōt est extra aliā in ordine ad locum, & consequenter contrarias sumpta contrarietate pro naturali impotētia ad hoc, vt simul, & in instanti acquirantur omnes.

12. Dico secūdo: nutritio per se, & ex natura sua non petit fieri in tempore, sed in instanti, ac per consequens per se, & ex natura sua non est motus successiuus, & continuus, sed potius inter mutationes instantaneas numeranda. Hæc est sententia Scoti in 4. dist. 44. q. 1. n. 14. 8. si ergo: imō est expressa sententia Aristotelis, qui 5. Physicorū absolutē affirmat, ad substantiam non dari per se motum, quod ex professo probauimus 5. Physicorum disp. 1. quæst. 2. Et summa probationis fiat in hoc, quod nutritio

per se terminatur ad substantiam, non secus, ac generatio substantialis: Substantia autem, etsi habeat partes entitatiuas, sed non natura sua impenetrabiles, & quarum vna petat naturaliter esse extra aliam in ordine ad locum (hoc enim est peculiū quantitatis) & consequenter non habet partes contrarias, sumpta contrarietate pro naturali impotētia ad hoc, vt simul acquirantur, & sic deficit ei secūda conditio, quam loco citato diximus, esse simpliciter requisitam ad terminandum per se motum.

13. Dico tertio, & vltimo: nutritio per accidens, scilicet, ratione quantitatis, quæ cōmitatur alimentū, ex quo fit, & similiter ratione quantitatis, quæ ad partē substantiæ viuētis, quæ per nutritionē acquiritur, naturaliter consequitur, habet, quod fiat in tempore, & nō in instanti, & consequenter, quod semper, & de facto sit motus successiuus, & continuus. Hæc conclusio est directē opposita auctoribus citatis pro prima sententiā, & cōmunitis, & receptatā apud Scotistas, quā Thomistas, & eam tenet Marsilius, & quam plures alij, quos referunt, & sequuntur Murcia de la Llana hic disput. 4. q. 3. & Rubius tractatu de augmentatiōne quæst. 3. nu. 27. & probari potest à posteriori, & à priori.

14. A posteriori probatur, quia in omnium sententiā, qui

sustinet, quātitatem subiectari in immediatē in toto composito, & non in materia prima, nutritioni cōcomitatūr necessariō duo motus, scilicet, corruptio partis alimētī, ex quo fit: (& cōsequēter diminutio quātitatis alimētī) aliās daretur eadē numero pars materiæ simul informata duplici forma substantiali, scilicet, forma alimētī, & forma viuētis, quod est absurdū, & emanatio partis quātitatis in illa parte substantiæ viuētis, quæ per nutritionē acquiritur, aliās daretur noua pars viuētis, nulla affecta quantitate, quod etiā est absurdū. Sed omnis emanatio nouæ partis quātitatis, siue sit augmentatio, siue non, & cōsequenter omnis diminutio quātitatis, sunt per se, & ex natura sua verē, & propriē motus successiuī, & continui, facti in tempore, & nō in instanti, vt n. 11. cum Aristotele ostensum est; ergo etiam nutritio per accidens, & ratione cōcomitatū: cum prædictis motibus, erit etiā de facto motus successiuus, & cōtinuus, & cōsequenter factus in tempore, sicuti & illi, & non in instanti.

15. A priori probatur ex duplici principio à Peripateticis recepto. Primū, agens naturale approximatu passo diuisibile, & sibi contrario, fortius, & cōsequenter prius agit in partē eius sibi propinquiores, quā in remotiores, vt g. ignis approximatus manū, vel igno, fortius,



& prius agit in partes superficiales, & quæ ei propinquiores sunt, quam in profundiores, & quæ ab eo sunt remotiores. Hoc principium manifestum facit ipsa experientia tactus, & visus.

16. Secundum est, quod etiã si viuentia in prima sui generatione postulent terminum intrinsecum suæ paruitatis, ita vt in tanta materia possit introduci anima, non verò in minori; non illum postulare in sua nutritione, sed data quacumque parua portione alimenti apta, vt conuertatur in substantiam viuentis, quod alitur, posse assignari aliam, & aliam, minorem, & minorem vsque in infinitum: cuius discriminis ratio est, quia si viuentia in prima sui generatione postulant determinatam materiam ad hoc, vt in ipsa introducat anima, est, quia, vt cù Aristotele, Scoto, & alijs diximus 1. Physicorum disput. 5. quæst. 6. num. 7. & 8. anima, cum sit actus corporis physici, & organici, in quo debet diuersas operationes exercere, determinata membra, certaque magnitudinis in prædicto corpore, quod informare debet, exoptat, per quæ, tãquam per instrumenta illa exerceat; nam adeo minima esse possunt, vt prorsus inutilia sint ad hunc finem. At in nutritione cum iã supponatur anima introducta in corpore, habente

membra in debita dispositio, ne ad hoc, vt per ipsa exerceat anima suas operationes, & solum sit extensio eiusdem animæ ad nouam partem materiæ informandam pro conseruatione perfecti status naturalis, non est, cur exposulet determinatam quantitatem in materia; ad quam informadã extenditur. Vnde sicut in dispositione alimenti, ex quo fit nutritio, non datur minimum quod sic, sed data quacumque parte minima alimenti, potest calor natiuus disponere minorem, & minorem vsque in infinitum; ita in nutritione non poterit assignari minima pars alimenti conuersa in substantiam viuentis, quod alitur, quin assignari possit alia minor, & minor vsque in infinitum.

17. Ex his ergo principijs, quæ à nullo (si Peripateticus sit) possunt in dubium verti, demonstrari potest nostra conclusio hoc discursu: calor natiuus viuentis est agens naturale, & agit in alimentum sibi approximatum, vt in passum diuisibile, sibi dissimile, & contrarium, vt docet Aristoteles cap. 5. huius libri: ergo fortius & consequenter prius agit, & disponet partes alimenti, sibi propinquiores, quam remotiores; sed introductio animæ in materiam alimenti sequitur vltimam dispositionem; ergo prius introducit in partes pro-

proximiores alimenti, siue, quod idem est, prius proximiores partes alimenti conuertuntur in substantiam viuentis, quæ remotiores; & consequenter nutritio per accidens, scilicet, ratione dispositionis alimenti, ad quam consequitur, fiet successiue, continuè, & in tempore. Patet hæc vltima consequentia ex secundo principio præsupposito, scilicet, viuentia in sua nutritione non postulare terminum intrinsecum paruitatis, sicut illum ex postulant in sua generatione, ac per consequens sicut in dispositione alimenti calor naturalis continuè, & successiue disponit alimentum; ita vt assignata quacumque parte alimenti, quantumuis minima vltimatè disposita, potest assignari alia, & alia minor, & minor, prius vltimatè disposita vsque in infinitum: ita in nutritione, quæ ad ipsam dispositionem vltimã alimenti naturaliter consequitur, non poterit assignari pars alimenti conuersa in substantiam viuentis, ita minima, quin possit assignari alia, & alia pars alimenti conuersa in substantiam viuentis, minor, & minor vsque in infinitum: est ergo nutritio per accidens, & ratione dispositionis alimenti, ad quam naturaliter consequitur, motus successiuis, continuus, & facilius in tempore.

18. Idem discursus applicari potest ad probandum, nutritio-

nem esse motum successiuum, cõtinuum, & factum in tempore per accidens ratione, scilicet, quæritatis, quæ ad partem substantiæ viuentis, quæ de nouo generatur, naturaliter consequitur; nam cum ista quantitas habeat partes (quamuis paruisima sit) diuisibiles in partes proportionales minores, & minores vsque in infinitum, quæ eo ipso, quòd sunt impetetrabiles, & vna extra aliam in ordine ad locum, non possunt subito, & in instante resultare, sed successiue, continuè, & in tempore; necessarium etiam erit, quòd illa pars substantiæ, quæ per nutritionem in viuenti aggeneratur, cum etiã habeat partes entitatius continuas, quæ etiam si ex se, & natura sua perant subito, & in instante acquiri, tamen per accidens, & ratione quæritatis, quæ naturaliter ad ipsas consequitur, non possit subito, & in instante acquiri, sed potius successiue, continuè, & in tempore, sicut acquiritur eius quantitas; alias darentur partes substantiæ pro aliquo tempore nulla affectæ quantitate, quòd est absurdum.

19. Restat argumentis in fauorem primæ sententiæ adductis satisficere. Ad auctoritatè Aristotelis respondendum, quòd dum loco citato affirmat, diminutionem non fieri continuè, ibi *continuè* idem significare, ac *perpetuò* (disputabat enim







si non esse. Et cum insurgunt aduersarij inquirendo, an in isto instanti, quod est extrinsecum, & vltimum non esse nutritionis, sit posita in alimento vltima dispositio ad nutritionem requisita? an verò non, sed ponatur in tempore immediatè ad ipsum consequente? Respondeatur, non esse positam in illo instanti, aliàs, vt argumentum probat, & nos etiam statumus, daretur vltima dispositio sine forma, cuius est dispositio vltima, imò cum forma ei opposita; sed ponendam esse tempore immediatè sequenti ad illud instans, sicut & ponitur ipsa nutritio, & corruptio ipsius alimenti. Neque tres probationes adductæ ad oppositum conuincendum aliquid sunt roboris, vel momenti, nam facilè solui possunt.

26 Ad primam dicimus; in tempore nutritionis non esse quidem alimentum in statu perfectæ dispositionis, cum verum sit de illo dicere in instanti extrinsecò initiatiuo nutritionis, nunc est alimentum in statu perfectæ dispositionis, & tempore immediatè sequenti, quod est, in quo corruptitur, non erit in statu perfectæ dispositionis, esse nihilominus in statu corruptionis, cum pro illo tempore actualiter corruptatur, & hoc sufficere, imò est simpliciter necessarium ad hoc, vt sit subiectum vltimæ dispositionis.

27 Ad secundam fateamur liberè, vltimam dispositionem necessariam in alimento ad hoc, vt conuertatur in substantiam viuientis, esse quidem quoad suam intensionem indiuisibilem, & constitui in esse vltimæ per certum, & determinatum gradum intensiōis; ac per consequens ex se, & natura sua petere constitui in esse vltimæ dispositionis in instanti; nihilominus, quia hæc vltima dispositio introducit in alimentum, quod, ratione quantitatis, quam habet, est quid diuisibile, & habet partes localiter extensas, ideo non posse poni in illo instanti, sed successiuè, & in tempore, præcipuè cum certum sit, non habere terminum intrinsecum paruitatis secundum extensionem, sed posse introduci in minori, & minori parte alimenti vsque in infinitum.

28 Pro solutione tertie probationis nota, alimentum (& idem est iudicium de quacūque alia re permanenti materiali, quæ corruptitur in tempore) habere duplicem statum, scilicet, statum perfectæ dispositionis, & statum actualis corruptionis. Instans desitionis ab statu actualis corruptionis (cū hæc fiat in tempore) extrinsecum est actuali corruptioni; nam pro ipso verificatur, nunc non est actualis corruptio alimenti, & tempore immediatè antecedenti erat. Instans verò de-

desitionis alimentum ab statu perfectæ dispositionis (cum hæc consistat in indiuisibili) intrinsecum est; nam pro ipso verificatur, nunc est alimentum in statu perfectæ dispositionis, & tempore immediatè sequenti non erit in hoc statu, sed potius in statu actualis corruptionis.

29 Ad rem ergo: cum inter tria probatione dicitur, res permanentes materiales, & quæ in tempore conuertiuntur, desinunt esse extrinsecæ, & per primum sui non esse; distinguendum est, nam vel sermo est de desitione ab statu corruptionis actualis, vel de desitione ab statu perfectæ dispositionis. Si de primo sermo sit, fateamur liberè instans huius desitionis esse extrinsecum, cum pro illo instanti optimè verificetur, nunc non est actualis corruptio alimenti, & tempore immediatè antecedenti erat; tamen falsissimum est, hoc instans esse initiatiuum nutritionis, cum potius nutritionis terminatiuum sit, sicut enim pro illo instanti optimè verificatur, nunc non est actualis corruptio alimenti, sed tempore immediatè antecedenti erat: ita pro eodem instanti optimè verificatur, nunc non est nutritio, seu conuersio actualis substantiæ alimenti in substantiam viuentis, sed tempore immediatè antecedenti erat. Quod si hoc instans, quod est terminatiuum

actualis corruptionis alimentum, non est initiatiuum nutritionis, sed potius terminatiuum, nihil refert, quod tam corruptioni alimenti, quam nutritioni sit extrinsecum, imò cum vtraque fiat in tempore, quod vtrique sit extrinsecum, simpliciter necessarium est; aliàs daretur aliqua pars materiæ alimenti sine vlla forma substantiali.

30 Si verò sit sermo de secundo, scilicet, de desitione alimentum ab statu perfectæ dispositionis, fateamur liberè, instans huius desitionis alimenti esse etiam initiatiuum nutritionis; & similiter sustinemus, esse nutritioni extrinsecum; nã pro illo verum est dicere, nunc non est nutritio viuientis, & tempore immediato erit; teds falsum est hoc instans desitioni alimentum ab statu perfectæ dispositionis esse talè desitioni extrinsecum, quia, vt dictum est, cum hic status perfectæ dispositionis alimenti consistat in indiuisibili, desitio ab illo erit instantanea, & pro prædicto instanti initiatiuo nutritionis, & ei extrinsecò optimè verificatur, nunc est alimentum in statu perfectæ dispositionis; sed tempore immediato non erit in hoc statu, sed potius in statu actualis corruptionis. En quam debili Achile autè sunt auctores primæ sententiæ sustinere, nutritionem, & consequenter augmentationem, quæ na-



turaliter cōsequitur ad ipsam, neque per accidens esse motū successiuum, & continuum, factum in tempore; sed potius esse motum constantē ex pluribus mutationibus instantaneis discretis cum ordine prioris, & posterioris.

### QVÆSTIO V.

*Vtrum in accretione maneat idem numero subiectum?*

**C**ommunis, & recepta sententia est inter Philosophos, manere idem numero subiectum, seu corpus, quod nutritur, & augetur, autē, & post nutritionē, & augmentationem; quod non solum docuit Aristoteles cap. 5. huius libri per plures textus; sed & posuit pro vna extribus conditionibus simpliciter necessarijs ad nutritionem, & augmentationem, vt quæst. 2. numero 2. animaduertebamus. Et ratio efficaç, & qua vitur Aristoteles ad hoc probandum, est, quia si non maneret idem numero subiectum ante, & post nutritionem, & augmentationem, sequeretur nutritionem, & augmentationem non distinguī a generatione, & corruptione.

2. Verum enim verò cum per actionem caloris naturalis in omni nutritione, & augmentatione cōsumatur aliqua pars substantiæ corporis, seu subie-

cti, quòd nutritur, & augetur, & alia loco illius substituitur de nouo; ideo merito dubitāt auctores, quo pacto verificari possit hoc Aristotelis assatum? Nam tot possunt esse nutritiones, & augmentationes, vt cōsumatur tota substantia, quam habebat subiectum ante primā nutritionem, & habeat aliā diuersam per nouas nutritiones, & augmentationes acquiritam.

3. Ad satisfaciendum prædictæ difficultati plures sunt adinueniēte solutiones. Primò dixerunt aliqui, in nutritione, & augmentatione manere idem numero corpus, seu subiectum, quod nutritur, & augetur. Quia etiam si actione caloris natui deperdatur aliqua pars materiæ corporis, quod nutritur, & augetur, & alia noua pars materię, loco illius acquiratur; nō tamen deperditur aliqua pars formæ substantialis, quæ tribuit illi esse corporis, carnis, scilicet, & ossis, &c. & hoc sufficere adhuc, vt dicatur idem numero corpus; nam forma substantialis est, quæ dat esse simpliciter, & à qua præcipue desumitur vnitas numerica. Huius sententiæ meminit Scotus in 4. dist. 4. quæst. 1. littera D. num. 5. *Aliter dicitur*, & à Marginis tribuitur Henricho, quòd libeto 2. quæst. 9. & ab alijs tribuitur Alberto tractatu 1. de nutritione cap. 3. Philopono, & Nipho hic capite 5. &

& Durando in 2. distinct. 3. o. quæst. 4. & cuiuscumque sit, probari potest. *Primo ex Aristotele*, qui in hoc libro cap. 5. textu 36. & 37. affirmat, *carnein secundū formam augetur non vero secundū materiam*, & reddit pro ratione, quia *carne secundum formam manet; sed secundum materiam fluit, & reficitur*. Ergo sentit Aristoteles, in nutritione id, quod de nouo acquiritur, vel deperditur, esse partes materiales, nō vero partes formales; aliàs non esset verum, formam manere, non etiā finire, & refueret, sicut fluit, & reficitur materia. Secundo probari potest à simili de anima rationali, quæ in nutritione, & augmentatione hominis, semper eadem manet, nec fluit, & reficitur, sicut fluit, & reficitur hominis materia. Sed licet hæc doctrina (in sententia Thomistarū, & aliorum), qui sustinent, in viuētibus præter animam non dari formas corporeitatis, scilicet, carnis, ossis, herbi, &c. sed materiam primam viuētis, sicut ab ipsa anima habere esse viuēs, ita etiā ab ipsa sola anima in genere capta formalis habere esse corporeum, scilicet, carnis, ossis, herbi, &c. in nutritione hominis sustinere possit, & debeat; tamen in nutritione aliorum viuētium, quorum anima nō creatur, sicut creatur anima rationalis sed potius educuntur de potentia mate-

ria, sustineri non debet. Imò in sententia Scoti, quam nos amplecti sumus (qui omnibus viuētibus præter animam, à qua habent, quòd sint viuētia, ponit simul formas corporeitatis substantiales, à quibus habet materia prima in genere cause formales; quòd sit caro, quòd sit os, quòd sit herbus, &c.) etiā in nutritione hominum, in qua noua, aggeneratur pars carnis, ossis, herbi, &c. nō debet, nec potest sustineri. Vnde merito Scotus, & contra quēter ad sua principia, loco numero 3. citato, absoluit illam scijcit ratione sequenti.

6. In nutritione cuiuscumque viuētis (secundū Henrichū, & etiam auctores) acquiritur noua pars materia, & cōsequēter in viuēte sunt plures partes materiæ, quæ erāt ante nutritionē. Nūc inquirō, an illa noua pars materiæ existat in toto viuētibus vili forma? an informetur de nouo aliqua forma? Primū à nullo dici potest, quia nullus affirmare audeat, naturaliter posse materiam existere sine forma substantiali; ergo sustinendum est secundum, scilicet, materiam illam, informari de nouo aliqua forma. Modo sic, vel forma, quæ de nouo informat prædictā partē materiæ, est forma, quæ præexillebat in alijs partibus materiæ viuētis, vel aliqua forma de nouo producta. Primū (loquēdo, vt loquimur de formis materialibus, quæ non



non creatur, sicut creatur anima rationalis, sed potius educuntur de potentia materie) est naturaliter impossibile; quia vel hoc præstaret, relinquendo informationem, quam præstabat in præexistente parte materie, & hoc non; nam sicut impossibile naturaliter est, quod idem numero accidens migret ex subiecto in subiectum; non alia ratione, nisi quia accidens, cum educatur de potentia subiecti, pendet ab illo in suo esse, fieri, & conservari in genere cause materialis, ita naturaliter est impossibile in formis substantialibus materialibus, quod eadem numero forma migret ex vna materia in alia; nam cum ista formæ substantiales educantur de potentia materie, penderet etiam ad illa in suo esse, fieri, & conservari in genere cause materialis, vel hoc præstaret simul informando vtraque partem materie, antiquam, scilicet, & nouam; quod etiam est naturaliter impossibile, tum, quia ageret vltra virtutem suam; nam simul informatet duas materias, quarum qualibet est subiectum ad eam quod est in formationis, tum etiam, quia cum formæ materiales, & quæ educuntur de potentia materie, non possint informare materia, nisi simul ex eius potentia educantur (nam actio educationis formæ de potentia materie, & vitio formæ cum materia eadem actio est, vt sæpe dictum est) si eadem numero formam, quæ au-

tea informatat ad aquatam vnam partem materie, informaret simul de nouo partem materie de nouo per nutritionem acquisitam, bis esseteducta, de potentia materie, & consequenter idem numero effectus in genere cause materialis penderet a duobus causis totalibus, & ad aquatis, quod est absurdum. Dicendum igitur est a sufficienti partium enumeratione secundum, scilicet, prædictam partem materie, quæ per nutritionem acquiritur de nouo in viuente, informati per formam partialem, etiam de nouo per nutritionem acquisitam, & consequenter Henrichum, & alios auctores ad soluendam difficultatem numero 2. tactam a magistro pseudo-falsum fundamentum, scilicet, in nutritione viuentium solum acquiritur, & deperdit partem materie, non verò partem formæ.

7. Neque eis in aliquo fauent auctoritas Aristot. & exemplum anime rationalis, quæ ad ducta sunt in contrarium. Non auctoritas Aristot. nam cum Arist. ait, *Certum augeri secundum formam, non verò secundum materiam, nomine formæ, & materie non intelligit formam, & materiam, quæ sunt partes essentielles, ex quibus ens naturale physicum coalescit, vt aduersarij supponunt, sed nomine formæ intelligit naturam specificam, & nomine materie naturam individuum, ita vt sensus sit, id, quod augetur, semper habet partes eiusdem speciei; quia ista per augmenta-*

tionem non fluunt, & refluunt; non tamen semper habet easdem partes individuales ipsum integrantes; quia ista per augmentationem fluunt, & refluunt; nec nouum est apud Aristotelem nomine formæ intelligere naturam specificam, & nomine materie intelligere naturam individualement, vt cum Scoto docuimus i. Physicorum disp. 6. quæst. 1. sect. 2.

8. Non exemplum anime rationalis. Nam si in nutritione, & augmentatione hominis semper eadem maneat, nec fluat, & refluat, sicut fluit, & refluat hominis materia; hoc est, quia anima rationalis, cum sit spiritualis indiuisibilis, & nullo modo in suo esse, fieri, & conservari dependens a corpore, quod informat; quia non educitur de potentia eius, sed creatur a Deo; non mirum, quod sicut est tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, ita tota de nouo sit in noua parte corporis, quæ per nutritionem aggeneratur de nouo; quæ omnia cum non contineant alios animalibus, seu formis materialibus; quia hæc sunt diuisibiles in partes, & in suo esse, fieri, & conservari dependent a materia, ex cuius potentia educitur; non mirum, sed potius necessarium erit, quod sicut non possunt informare corpus, vel materiam, ita vt tota anima, vel forma sit in toto corpore, vel in tota materia, & tota in quali-

bet parte; sed potius est contra tota in toto, & pars in parte; ita quod viuens aggeneratur per nutritionem, sicuti acquiritur de nouo noua pars corporis, vel materie; ita de nouo acquiritur noua pars anime, vel forme substantialis, a quibus illa noua pars corporis, vel materie informantur, & aduentur.

9. Secundò respondet alij, ideò manere idem numero corpus, seu subiectum post nutritionem, seu augmentationem, ac erat, antequam nutriretur, seu augetur; quia etiam si actioe natui caloris dependant aliqua partes substantiæ ex minus præcipuis in viuente, quod nutritur, & augetur, & alia de nouo acquirantur: tamen partes præcipuæ, & a quibus præcipue defumitur vnitas numerica, non deperduntur, neque de nouo acquiruntur. Est tamen dissensio apud istos auctores in explicando, quæ sint in viuente ista præcipuæ partes, quæ per nutritionem, & augmentationem, nec deperduntur, nec de nouo acquiruntur.

10. Magister sententiarum in 2. dist. 30. Alexander cap. 5. huius libri textu 35. Albertus in summa de homine, quæst. 1. Niphus hic quæst. 5. quæ etiam sequitur Toletus, afferunt, has præcipuas partes, quæ in viuentibus per nutritionem, & augmentationem non variantur, esse *spermatias*, id est, illas, quæ immediatè generantur ex fe-



mine, & ex quibus substantia primò producta per generationem coalescit. Minus autem præcipuas, & quæ in nutritione, & augmentatione variatur, esse *nutrimentales*, id est, illas, quas postea vivens acquirit per nutritionem. Unde partes spermaticas appellant humidum radicale, & ab eis dicunt pendere vitam animalis; nutrimentales vero appellant humidum nutrimentale, quod dicunt deferuire, tum ad augmentationem, tum etiam in fomentum aduecti calorem natium.

11 Sed licet negari possit, in viucentibus partes spermaticas in virtute operandi, & resistendi contrarijs excellere nutrimentales; imò inter nutrimentales, (cæteris paribus) illas, quæ in periodo vitæ prius acquiruntur, excellere illas, quæ postea successiuè acquiruntur (vt ex prologo in 4. dist. 44. citata, q. 1. conclusione 3. num. 3. demonstrat Scotus) non tamen propter hoc est sustinendum, partes spermaticas in nutritione, & augmentatiõne nullo modo augeri, vel minui, vt auctores citati in sua solutione supponunt.

12 Primò, quia est cõtra Aristot. qui cap. 5. huiuslibri textu 31. expressè affirmat, omnes partes viuētis augeri, & minui; imò inter tres cõditiones, quas enumerat, vt simpliciter requiritur ad augmentatiõnem, vna est (vt supra diximus) quòd fiat secundum omnes partes viuētis.

13 Secundò, quia non potest assignari ratio, cur partes, quæ per nutritionem acquiruntur, postea actione natui caloris minuuntur; nõ verò spermaticas, cū tam vna, quàm alia corruptibiles sint; imò eiusdẽ speciei, & ambæ sint illi debere proximata. Quod enim spermaticæ (vt ex Scoto dicebamus) in virtute agendi, & resistendi contrarijs excellent nutrimentales, valebit vtique ad hoc, vt nõ ita facile corruptantur; nõ verò ad hoc, vt simpliciter sint incorruptibiles, sicuti etiã inter partes nutrimentales illæ, quæ in periodo vitæ prius acquiruntur, sunt in virtute agendi, & resistendi contrarijs excellentiores illis, quæ acquiruntur posterius; licet hoc præstet, nõ esse ita facile corruptibiles, nõ tamen præstet, quòd incorruptibiles sint. Unde iam communis sententiã fert, humidum radicale, quòd est illa substantia, à qua pendet vita animalis, non esse solã substantiã spermaticã, sed etiã substantiam per nutritionem acquisitã; imò vttramque istã substantiam esse per mixtam, & facere vnicum humidum radicale: humidum verò, quòd dicitur nutrimentale, esse nutrimentum, nõ postquã conuersum est in substantiam viuētis, sed antequã conuertatur, dum adhuc retinet substantiam sanguinis.

14 Philoponus super textu 31. capituli 5. huiuslibri, & alij recentiores affirmant,

has

has præcipuas partes, quæ in viucentibus per nutritionem, & augmentatiõnem non diminiuntur, esse duriores, & solidiores, vt sunt ossa, nerbi, &c. partes verò minus præcipuas, & quæ per nutritionem, & augmentatiõnem variantur, esse moliores, vt sunt caro, & ei similes.

15 Sed licet negari non possit, calorem natium non ita fortiter agere in partes solidiores, neque illas ita faciliter consumere, ac agit, & consumit partes moliores, quod ad oculum offendit infirmitas animalis, in qua partes moliores, vt sunt caro, & ei similes, maxime attenuantur; solidiores verò, vt sunt ossa, nerbi, &c. valdè parum. negari tamen non debet, etiam aliquantulum minui, sicuti & accrescunt partes istæ in nutritione, & augmentatiõne viuētis. Hoc conuenit, tam auctoritas Aristotelis num. 12. allata, quàm ratio numero 13. facta ad idem probandum de partibus spermaticis: & nunc cõfirmari potest, nam si guttæ aquæ cadentes excabant lapidem durissimum, si durè aliquo tempore, cur calor natuus non aequaliter consumat ossa, nerbos, & partes alias solidiores, cum agat toto tempore vitæ animalis, & maior sit eius actiuitas, quàm guttarum aquæ.

16 Pro solutione supradictæ difficultatis annotandum est ex

Marfilio hic quest. 12. & ex pluribus alijs, tripliciter posse aliquid dici manere eodem numero; primò, quia manet in entitate sua individuali intrinsecè inuariatam, qua ratione calu, & omnia alia incorruptibilia dicuntur manere eadem numero ab instanti suæ productionis vsque nunc. Secundò, quia forma, quæ est præcipua illius pars essentialis, & a qua præcipuè defumitur eius vnitas numerica, intrinsecè inuariata manet, non obstante, quòd materia, seu id, quòd se habet, vt materia, vt est in animatis corpus organicum varietatem in sua entitate actuali accipiat, qua ratione Petrus puer, & Petrus senex ab omnibus dicitur vnus numero homo. Tertio, quia etiam si ab eo aliquid, tam materia, quàm formæ separetur, vel aliquid tam materia, quàm formæ ei addatur, & cū partibus, tam materia, quàm formæ præexistentibus copuletur; tamen pars, quæ separatur, vel additur, respectu illius, à quo auferitur, vel cui additur, ita est parua, vt quasi pro nihilo reputetur; qua ratione mare dicitur manere eodem numero, etiam si ab illo anforam aquæ haurias, vel anforam aquæ effundas.

17 Ad rem ergo: cum Aristoteles, in nutritione, seu augmentatiõne debere manere substantium, seu corpus, quòd nutri-



tur, & augetur, idem numero ante, & post nutritionem, & augmentationem; non est intelligendum de vnitare numerica in primo sensu sumpta. Ratio est, quia cum in nutritione id, quod nutritur, aliquam partem substantiæ (quidquid illa sit) de nouo acquirat, & aliquam partem substantiæ amittat, implicationem involuet, quod aliquod viuens nutriatur, & quod maneat idem numero, ante, & post nutritionem, seu augmentationem, sumpta vnitare numerica in primo sensu, scilicet, pro eo, quod manet in sua entitate individuali intrinseca inuariatum.

18. Neque etiam est intelligendum de vnitare numerica sumpta in secundo sensu. Ratio est, quia etiam si in homine, cuius vltima forma est anima rationalis, per nutritionem neque acquiratur, neque deperdatur aliqua pars huius vltimæ formæ (quia est spiritualis, indiuisibilis, & independens in suo esse, fieri, & conseruari à corpore, quod informat cum non educatur ex eius potentia passiuâ) sed solum acquiratur, & deperdatur aliqua pars corporis, scilicet, carnis, nerbi, ossis, &c. quod induit rationem materiæ. Tamen in omnibus alijs viuentibus (cum eorum vltimæ formæ, seu animæ sint materiales, diuisibiles, & dependentes in suo esse, fieri, & conseruari à corporibus, ex

quorum potentia educuntur) non solum in ipsarum nutritione acquiratur, & deperdatur aliqua pars substantiæ corporis, quod se habet, vt materia; sed etiam aliqua pars animæ; quæ est vltima ipsorum forma, vt cõtra auctores num. 10. citatos ostensum est.

19. Sed est intelligendum de vnitare numerica sumpta in tertio, & vltimo sensu; in quo verissimum est commune, & Aristotelicum assertum de identitate numerica illius viuentis, quod nutritur, & augetur ante, & post nutritionem, & augmentationem. Ratio est, quia etiam si in nutritione, seu augmentatione viuentis aliqua pars, tam materiæ, quàm formæ de nouo, si aggeneretur, & alia corrumpatur, tamen hæc pars substantiæ, quæ de nouo aggeneratur, vel corrumpitur, comparata ad alias partes, quæ in viuente præexistunt, tam parua est, vt pro nihilo reputetur.

20. Neque obstat, quod ita possint multiplicari nutritiones, seu augmentationes in viuente, vt sit maxima pars illa substantiæ, quæ de nouo acquiratur, & similiter illa, quæ de nouo corrumpitur. Nam etiam si singulæ partes, quæ per singulas nutritiones, seu augmentationes de nouo acquiruntur, vel deperduntur, collectiue sumptæ faciant magnam quantitatem, & fortassis maiorem, quàm erat illa substantia, quam habebat

debat viuens in suo principio, & ante primam nutritionem; tamen sigillatim sumptæ, vnaquæque paruisima est respectu viuentis, quod nutritur, & augetur, & hoc sufficit ad hoc, vt viuens post centesimam nutritionem non dicatur distinctum numero, non solum à se ipso pro illo statu, quem habebat immediatè ante centesimam nutritionem; sed neque à se ipso pro illo statu, quem habebat ante primam nutritionem; nam si viuens post centesimam nutritionem est idè

numero cum esse, quod habebat ante centesimam nutritionem, & post nonagesimam noam nutritionem est idem numero cum esse, quod habebat ante illam, & sic descendendo vsque ad primam nutritionem, profectò inferas, viuens post centesimam nutritionem esse idem numero cum esse, quod habebat ante primam nutritionem; nam ex communi Dialecticorum axiomate, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, eodem genere vnitatis.

## DISPUTATIO QVINTA.

### De rarefactione, & condensatione entis naturalis.

**Q**VAMVIS Aristoteles ex professo in hoc libro de rarefactione, & condensatione non agat; nos tamen post disputationem de nutritione, & augmentatione hanc disputationem inserimus; quia rarefactio, & condensatio magnam affinitatem habent cum augmentatione, & diminutione. Sunt autem tria, quæ in hac disputatione versantur examinanda. Primum, an, & quomodo entia naturalia rarefiant, & condensentur? Secundum, vtrum in rarefactione acquiratur noua quantitas, & per condensationem deperdatur? Tertium, an rarefactio terminetur per se ad quantitatem; an ad qualitatem? an ad vbi?



## QVÆSTIO PRIMA.

*An, & quomodo entia naturalia rarefiant, & condensentur?*

**R**arefactionem, & condensationem esse affectiones corporum naturalium, nullus ausus est denegare; nam euidenter experientia constat, dari in rerum natura quadam corpora, quorum vnum comparatione alterius rarum sit; & e contra vnum comparatione alterius sit densum, sumptu raritate; & densitate, ut sumptu sunt ab Aristotele 4. Physicorum textu 84. dum sic rarum, & densum definiuit, *rarum est, quod habet paruum materiam sub magna quantitate; densum est, quod habet multam materiam sub parua quantitate.* Manifestum est enim ipsa experientia ducere, quod si ignis comparatur ad aerem in eadem quantitate, minus materiam (id est, substantiam) esse in igne, quam in aere; & consequenter ignem respectu aeris esse rarum, aerem vero esse densum. Et hæc est ratio, cur omnes affirmant, ignem esse rariorem aere, & aerem aqua, & aquam terra; & e contra terram esse densiorem aqua, & aquam aere, & aerem igne. Ex quibus colliges, raritatem, & densitatem suscipere magis, & minus,

& quod respectu vnius dicitur rarum, respectu alterius appellari posse densum.

2. Sed quamuis omnes affirmant raritatem, & densitatem esse affectiones corporis naturalis; disidium autem est inter auctores in explicando, quomodo corpora naturalia rarefiant, & condensentur? Nam in primis Aristoteles 4. Physicorum textu 83. refert quorundam veterum sententiam, qui putabant, corpora rarefieri per separationem, & diuisionem partium, & relinquendo inter eas inanitates, seu vacuitates quasdam: condensari autem per appropinquationem situm partium, saltemque earum contractionem, ut remoueantur vacuitates illæ intermedie, vel saltem minores, aut pauciores reddantur.

3. Tamen hic modus explicandi, quo pacto fiant rarefactio, & condensatio corporum naturalium, audiendus non est. Tum, quia admittit dari, de facto in rerum natura vacuum, cuius oppositum cum Aristotele & communi omnium doctrina ex professo ostendimus 4. Physicorum disput. 2. q. 1.

Tum

Tum etiam, quia si corpora naturalia rareficerent per interpositionem harum vacuitatum inter partes ipsorum, necessarium fatendum esset (cæteris paribus) tanto magis aliquid rarefieri, quanto plures, vel maiores vacuitates inter partes suas reciperet; & consequenter, cum eadem numero pars materia olei, dum convertitur in flammam ignis, plusquam vigesimè rarefcat, etiam fatendum esset, inter partes prædictæ materiae, dum informantur à forma ignis, intercedere plusquam viginti vacuitates, ac intercedebant inter partes eiusdem materiae, quando informabatur forma olei, quod ad oculos apparet falsum; nam cum in illis vacuitatibus, non sit forma ignis, sicuti neque materia; partes flammæ ignis non solum essent discretæ, & loco separate, sed etiam hæc discretio, & separatio localis ad oculos appareret; quod non appareret in flamma lucerne, sed potius apparet, partes eius esse continuas.

4. Propter hoc alij dixerunt, raritatem corporum naturalium vera prouenire ex separatione, & diuisione suarum partium, facta à rarefaciente, non medijs aliquibus vacuitatibus, ut veteres Philosophi confixerunt, sed facta medijs aliquibus corporibus subtilibus, vel genitis à rarefaciente, vel à corporibus circumstantibus attractis, & in-

sertis in poris prædictarum partium: condensationem vero è contrario prouenire ex coniunctione prædictarum partium, facta à condensante, vel per corruptionem prædictorum corporum subtilium, vel exclusionem ipsorum a poris partium, quibus erant inserta. Huius opinionis meminit Scotus in 4. dist. 12. quæst. 4. num. 1. 2. §. *Ad secundum*, sed non approbat, sed statim reiecit num. 13. ipsam ram è approbat Valles 4. Physicorum circa textum 84. & ad tyrones cõtrouersia 27. & Pater Ioannes Pontius disp. 4. de nutritione, quæst. vltima, conclusionem 5.

5. Sed quamuis negari non possit, corpora naturalia sæpissimè extendi ad occupandum maiorem locum, quam antea, ratione aliquorum corpusculorum subtilium, quæ in poris suarum partium inferuntur, vel per nouam generationem ipsorum, vel per attractionem ad ipsos poros ex corporibus circumstantibus: & e contra sæpissimè contrahi ad occupandum minorem locum, quam antea ratione corruptionis, vel expulsiõis prædictorum corpusculorum subtilium à poris; quod præter plurimas alias experientias, ad oculos ostendit experientia spongiæ, quæ sibi derelicta, maiore occupat locum, ac quando cõstringitur manu, non alia ratione, nisi, quia sibi derelicta, post

eius



eius implentur aëre, qui aër ab ipsis expellitur, cum spongia manu constringitur. Nihilominus tamen extensiones, & contractiones istæ improprie factis, & contra communem modum loquendi, præsertim Aristotelis, rarefactiones, & densationes appellantur, cum potius enumerari debeant, vel inter motus tamesfactionis, aut repletioris; vel inter motus istis contrarios, ut sunt resolutionis, aut euacuationis; quod facile ostendi potest, tum à priori, tum à posteriori.

6 A priori ostenditur, quia non qualiscumque extensio ad maiorem quantitatem dicitur rarefactio; aliàs, tam conuersio corporis densi in corpus rarum, ut est conuersio aquæ in aërem, quam augmentatio cuiuscumque corporis naturalis rarefactiones dicerentur: & similiter non qualiscumque contractio ad minorem quantitatem dicitur condensatio: aliàs, tam conuersio corporis rari in corpus densum, ut est conuersio aëris in aquam, quam cuiuscumque corporis naturalis diminutio dicerentur condensations, quæ planè, & omnium calculo falsa sunt. Sed ad rationè verè rarefactionis simpliciter requiritur, quòd eadè materia (id est, substantia) ex minori quantitate transeat ad maiore: & similiter ad rationem verè condensationis simpliciter necessarium quòd eadè materia ex ma-

iori quantitate transeat ad minorem, ut ex præse dicitur Aristoteles 4. Physicorù textu 84. Sed cum corpus naturale transeat ex minori quantitate ad maiorem, ratione corpusculorù subtilium, quæ in poris suarù partium intereruntur, vel per nouam ipsorum generationè, vel per attractioem ex corporibus circumstantibus; materia, quæ erat in minori quantitate, non transit eadem (id est, ipsa sola) ad maiorem quantitatem, sed simul cù corpusculis subtilibus, quæ in poris eius intereruntur. Et similiter cum corpus naturale transit ex maiori quantitate ad minore, ratione resolutionis, seu euacuationis corpusculorum subtilium, quæ in poris suarù partium erant inserta, materia, quæ erat in maiori quantitate, non transit eadè ad minore quantitatem; nam deficiunt corpuscula, quæ simul cù ea erant sub maiori quantitate; ergo cum corpus naturale transit ex minori quantitate, ad maiore ratione corpusculorù, quæ in poris suarù partium intereruntur; vel è contra corpus naturale transit ex maiori quantitate ad minorem ratione resolutionis, vel euacuationis prædictorù corpusculorù subtilium, quibus erat repletù, præfactæ mutationes inepte inter veras rarefactiones, vel condensationes numerantur; sed priores inter tamesfactiones, vel repletiones, posteriores verò inter

ter

ter resolutiones, vel euacuationes erunt numerandæ: aliàs, cù folles, vel vter implentur aere, verè dicerentur rarefieri; & cù euacuantur aëre, dicerentur verè, & proprie condensari, quod est ridiculum.

7. Confirmatur, & declaratur amplius. Quia cum lac, v. g. rarefit per calorem, quælibet pars eius rarefit; sicut & quælibet pars eius calefit: & similiter, cù condensatur per frigiditatem, quælibet pars eius condensatur; sicut & quælibet pars eius frigeft; sed si raritas contingeret per interpositionè aliquorum corpusculorù inter partes lactis, & densitas eueniret per expulsionem istorum corpusculorum, non quæcùque pars fieret rara, vel condensata, imò nulla fieret rara, vel condensata; siquidem in vtroque casu omnes partes perseuerarent, sicut antea erant in ordine ad recipiendam maiorem, vel minorem quantitatem. Non ergo fit rarefactio entis naturalis per interpositionem istorum corpusculorum, nec condensatio per istorum corpusculorù expulsionem.

8 A posteriori ostenditur eadem veritas; quia experientia constat, ignem rarefieri, & condensari; sed nullum est assignabile corpus magis subtile, quàm ignis; nec similiter actiuitas ignis admittit in se poros; ergo saltem in igne raritas non potest euenire ex separatione sua-

rum partium, medijs aliquibus corporibus subtilioribus, receptis in poris suarù partium; nec densitas ex expulsionè prædictorum corporù à dictis poris, nisi fortè velis fingere aliquid corpus insensibile, & nobis ignotum, magis subtile, quàm ignem: est enim mera chimæra tenuissima illa substantia, quæ dicebatur per vniuersum mundù discurrere, & per omnia corpora se intrormittere.

9. Confirmatur experientia curioite, apud Hispanos *Ventosa* quando applicatur infirmo. Nam cum stupa in illa inclusa recipit ignem, tum rarefcit materia stupa, & aëris; consumptio autem igne, eadè materia densatur, & locum, quem occupabat, dum erat sub forma ignis, occupatur carne tumefcente, & ascendente, nec datur vacuum: quòd non contingeret, si in igne essent pori, & in eis corpuscula ipso subtiliora, per quæ repleti posset spatium totius eueniuit, sicut replebarur, dum erat ignis: ergo signum euidentis est, rarefactionem in igne non euenire ex infertione aliquorum corpusculorum, quæ sunt magis subtilia, quàm ignis, & inclusa in poris eius. Omitto alias experientias, quæ ad huiusmodi veritatem comprobendam adducuntur, & late expenduntur à recentioribus; quia perspicuum est in hac re, quia suspicua est, multum immorari.



10 Dicendum ergo nobis est cum communi, & peripatetica doctrina, rarefactionem, & condensationem in corporibus naturalibus euenire ex eo, quod substantiæ materiales, etiam si ex se non habeant partes quantitativè extensas, id est, quarum vna potest esse extra aliam in ordine ad locum, seu spatium; sed hoc eis conveniat omnino per accidens, ratione, scilicet, quantitatis; nihilominus cum non sint indivisibiles, sicut sunt substantiæ spirituales, sed divisibiles (vel ut proprie loquar realiter distinguibiles) in partes entitativas, natura sua postulant ad suam cõservationem affici aliqua quantitate ab ipsis emanante; cuius beneficio (licet per accidens) extendantur in genere cause formalis ad maiorem, vel minorem locum, iuxta exigentiam quantitatis, qua afficitur. Sed quia contingere solet, substantiam materialem, quæ aliàs erat affecta quantitate requisita ad suam cõservationem in statu perfectæ dispositionis, ob aliquam alterationem corruptivam (vt cum lac, v.g. frigidus) exposulare ad illum statum corruptionis minorem quantitatem illa, sub qua cõservabatur in statu perfectæ dispositionis; hinc etiã provenire, vt in dicta substantia emanet minor quantitas, & in qualibet parte eius, ac erat illa, sub qua cõservabatur in statu perfectæ dispositionis. Et cum hoc contingit, verè, & propriè dicitur illa substantia condensari; quia eadem materia (id est, substantia) sine diminutione alicuius partis, aut ablatione aliquarum vacuitatum, vel expulsiõne aliquorum corporum subtiliorum manet in illo statu corruptionis sub minori quantitate, ac erat in statu perfectæ dispositionis, quæ est definitio condensationis tradita ab Aristotele.

Et dispositio: & cum hoc contingit, verè, & propriè dicitur illa substantia rareferri; quia eadè materia (id est, substantia) sine additione nouæ partis, aut insertione aliquarum vacuitatum, aut corporum subtiliorum, manet sub maiori quantitate, in statu corruptionis, ac erat in statu perfectæ dispositionis, quæ est definitio raritatis tradita ab Aristotele. Et similiter, quia è contrario contingere solet, substantiam materialem, quæ aliàs erat affecta quantitate requisita ad suam cõservationem in statu perfectæ dispositionis, ob aliquam alterationem corruptivam (vt cum lac, v.g. frigidus) exposulare ad illum statum corruptionis minorem quantitatem illa, sub qua cõservabatur in statu perfectæ dispositionis; hinc etiã provenire, vt in dicta substantia emanet minor quantitas, & in qualibet parte eius, ac erat illa, sub qua cõservabatur in statu perfectæ dispositionis. Et cum hoc contingit, verè, & propriè dicitur illa substantia condensari; quia eadem materia (id est, substantia) sine diminutione alicuius partis, aut ablatione aliquarum vacuitatum, vel expulsiõne aliquorum corporum subtiliorum manet in illo statu corruptionis sub minori quantitate, ac erat in statu perfectæ dispositionis, quæ est definitio condensationis tradita ab Aristotele.

11 Ex dictis colliges, quàm rectè dixerit Aristoteles 4. Physicorum textu 84. magnitudinem, & paritatem quantitatis in solis, quibus materia, seu substantia afficitur in sui rarefactione, vel condensatione, non provenire ex eo, quod materia, seu substantia aliquid de nouo accipiat, vel deperdat; sed ex eo, quod est in potètia ad vtrũlibet, & modo magnitudinem, modo paritatem quantitatis accipiat, iuxta exigentiam diuersarum dispositionum, seu alterationum: verba Aristotelis sunt, *Magnitudine, & paritate sensibilis molis, non aliquid in se per accipiente materia extenditur, sed quia potentia est in materia vtriusque; quæ verba multum conducent ad planam intelligentiam eorum, quæ quæstione sequente statuenda sunt.*

### QVÆSTIO II.

*Vtrum per rarefactionem acquiratur noua quantitas, & per condensationem deperdat*

1 **D**E hac re loquitur Scotus in 4. sententiarum, dist. 12. quæst. 4. sed nõ in vniuersali, sed in speciali de rarefactione, & condensatione, quæ fieri possunt in speciebus Eucharistiæ; & inter varias sententias, quas ibi adducit, tres sunt celeberrime. Prima est, quæ à Marginistis Scoti tribui-

tur Gotfredo quodlibeto 11. quæst. 3. & ab alijs tribuitur Marsilio hic, quæst. 3. & in 4. quæst. 9. & Pomponatio hic quæst. 10. & ex recentioribus eam defendit Aueria quæst. 38. sect. 4. Tenet, in rarefactione totam priorem quantitatem corrumpi, & aliam maiorem de nouo generari, & idem per oppositum in condensatione contingere.

2 Probat Gotfredus hanc suam sententiam ex Aristotele, qui 5. Physicorum textu 26. docet, terminos ad quem, & à quo esse impossibiles; sed rarefactio est motus à quantitate minori ad quantitatem maiorem: ergo nihil prioris quantitatis, à qua incipit motus rarefactionis, manet cum posteriori quantitate, quæ de nouo per motum rarefactionis acquiritur, idem argumentum cum proportione debita fieri potest ad probandum in condensatione totam priorem quantitatem corrumpi, & aliam minorem de nouo generari.

3 Ariaga vero, & alij, quos pro sententia secunda citabimus, probant ex pluribus inconuenientibus, quæ sequerentur ex eo, quod remaneret, tam in rarefactione, quàm in condensatione quantitas præexistens, & aliqua pars quantitatis de nouo in rarefactione acquiratur, & in condensatione deperdat. Sed quia plura ex his inconuenientibus non militat cõtra



hanc sententiam Gotsfredi, sed solum fauere possunt secundæ sententiæ, quæ absolutè negat, in rarefactione acquiri nouam quantitatem, & in condensatione deperdi, ideo illa omnia in fauorem secundæ sententiæ adducam, ne semel, & iterum eadem repetamus.

4. Secundâ sententiâ affirmat per rarefactionem non acquiri vllam quantitatem, nec totalem, nec partialem, neque præexistentem corrupti, & similiter in condensatione non amitti vllam quantitatem, nec totalem, nec partialem, sed rarefactionem fieri per extensionem quantitatis præexistentis ad maiorem locum, & condensationem per reductionem, seu contractionem quætitatis præ-existentis ad minorem locum. Ita Angelicus Doctor pluribus in locis, & præcipuè 4. Physi-corum, lectione 14. & 1. 2. q. 52. artic. 2. ad 1. & 2. 2. quæst. 24. art. 5. ad 1. Capreolus in 2. dist. 18. quæst. 1. conclusionè 4. Gregorius ibidem dist. 12. quæst. 2. conclusionè 1. Durandus in 1. dist. 17. quæst. 7. & in 2. distinct. 18. quæst. 1. Agidius quolibeto 2. quæst. 11. label-lus 4. Physi-corum quæst. 19. Coimbraenses hic capite 5. quæst. 17. Soncinas 8. Metaph. quæst. 27. & eam sequi debent, qui cum Auerroë tenent, quætitatem esse cocuam materiæ, ac per consequens ingenerabilem, & incorruptibilem.

5. Probari autem solet hæc sententiâ primò ex Aristoteliæ, qui 4. Physi-corum tex. 84. ponit hæc verba, quæ supra retulimus, *Magnitudine, & paritate sensibilibus malis, non insuper accipi-ente aliquid, materia extenditur, sed quia potentia est in materia vtriusque;* quibus verbis expressè excludit quantumque additionem totalem, vel partialem in rarefactione.

6. Secundo probari solet ex pluribus inconuenientibus, quæ sequerentur ex eo, quod per rarefactionem acquiratur noua pars quantitatis, & per condensationem perderetur. Primum est, quod daretur, penetratio dimensionum, vel quantitas sine subiecto, quorum vtrumque est absurdum. Sequela patet, quia in rarefactione, vt quæstione præcedenti ostensum est, non aduenit noua pars materiæ, seu substantiæ, quæ rarefit; & insuper, vt supponitur contra Gotsfredum, non corrumpitur quantitas præexistens in materia, seu substantiâ, quæ rarefit: ergo necessario inferitur vnum ex duobus, vel quod illa pars quantitatis, quæ in rarefactione de nouo acquiritur, maneat sine subiecto; vel quod inhercat in materia, seu substantiâ, quæ rarefit, quæ cû sit secundû omnes eius partes affecta quætitate permanente, eadè numero materia, seu substantiâ erit affecta duplici quantitate, quæ est penetratio dimensionu.

7. Secundum est, quod rarefactio non esset motus distinctus ab augmentatione, nec condensatione a diminutione, quorum vtrumque est contra Aristotelem, & contra commune Philosophorum placitum. Sequela patet, quia si per rarefactionem acquiratur noua quantitas, & per condensationem deperditur, rarefactio, & condensatione perse terminabuntur ad maiorem, & minorem quantitatem, non secus, ac augmentatio, & diminutio terminantur.

8. Tertium inconueniens deducitur ex mysterio Eucharistiæ, in quo experientia cõstat, species sacramentales vini posse rarefieri, & post rarefactionem concedunt omnes Theologi manere sub illis sanguinem Christi, non secus, ac antea: ex his ergo principijs colligunt duo inconuenientia; ex eo quod in rarefactione ponatur acquiri noua pars quantitatis. Primum, in rarefactione specierum sacramentalium dari creationem alicuius quantitatis, factâ ab agente naturali. Sequela patet, nam cû ibi nulla sit substantia vini, ex cuius potentia quantitas illa noua educatur, fieret ex nullo præsupposito subiecto, quod est creati.

9. Secundum est, quod daretur aliqua quantitas sine subiecto, sub qua non contineretur sanguis Christi, contra communem omnium Theologorum sententiâ. Sequela patet, nam:

sanguis Christi solum continetur sub speciebus vini consecratis; constat autem, illam quantitatem de nouo per rarefactionem acquiritam, & non habentem subiectum, nõ fuisse cõsecratam, siquidem tempore consecrationis non erat. 10. His tamen non obstantibus tenenda est tertia sententiâ, quæ duo affirmat. Primû contra Gotsfredum, Marsilium, & alios pro prima sententiâ citatos, neque in rarefactione, neque in condensatione totam priorem quantitatem corrumpi, & aliam maiorem, vel minorem generari. Secundû cõtra auctores secundæ sententiæ, per rarefactionem aliquam partem quantitatis supra præ-existentm acquiri, & in condensatione aliquam partem quantitatis præ-existentis corrumpi. 11. Primum ex his assertis expressè tenet Scotus loco quartæ citato numero 8. & 9. 8. *Prima tamen conclusio*, quoniam omnes discipuli sequuntur; & ex alijs idè affirmit Angelicus Doctor, & omnes alij auctores citati pro secunda sententiâ, & probatur rationibus Scoti. Prima, quia si quantitas præexistens, tam in rarefactione, quàm in condensatione corrumpetur, seu desineret esse, etiam corrumpetur, seu desineret esse quæ ratio- nia alia accidentia, quæ ratio- nis quantitatis conueniebant substantiæ, quæ rarefit, vel condensatur, vt sunt omnes quali- tates.



ratēs materiales, color, fapor, odor, &c. Imò etiam corrumperetur, & desineret esse ipsa substantia, quæ rarefit, vel condensatur; cum nulla substantia nasci aliter existeri possit sine suis dispositionibus; quorum primum est; contra experientiam: secundum verò contra rationem intrinsecam, tam rarefactionis, quam condensationis, in quibus, vt supra ex Aristotele dicebamus, intrinsecè requiritur, vt nulla fiat variatio substantialis.

12. Secūda quia cum certum sit apud Theologos, corpus, aut sanguinem Christi desinere esse in sacramento Eucharistia, quotiescumque species consecrata desinunt esse, si in rarefactione, vel condensatione desinere esse, tam, quantitas, quam accidentia, quæ antea erant, sequeretur, non posse rarefieri, vel condensari species sacramentales, quin desinerent esse subtilis corpus, aut sanguis Christi, quod nullus Theologus admittit.

13. Neque audiendus est Pater Auerſa, qui, vt hanc, & similes alias difficultates effugiat, conſingit in substantijs quamdam potentiam accidentalem passivam, in qua asſeruat, tam quantitatem, quam cætera accidentia materialia, vt in subiecto quod inhæret; & hanc (inquit) remanere in Eucharistia post transubstantiationem panis, & vini in cor-

pus, & sanguinem Christi, & in ipsa, tãquam in subiecto communi species sacramentales inhæret. *per uno minibus ois* 14. Non, inquam, est audiendus. Tum, quia cum ista potentia accidentalis, quam fingit, non minus subiecta sit rarefactioni, & condensationi, ac cætera accidentia, non vitat contentens; nam consequenter in suis, & Goffredi principijs asſertendum erit, quòd si cat in rarefactione, & condensatione corrumpitur, seu desinit esse tota quantitas præexistens, & alia de nouo generatur; ita etiam corrumpitur, seu desinit esse totam itam potentiam subiectiuam, & aliam de nouo generari.

15. Tum etiam, & præcipuè; quia sicut in materia prima potentia passiva ad recipientes formas substantiales non est aliquod accidens superadditum materiæ primæ, sed quedam illius propria passio, idem realiter, & substantialiter cum illa; neque est subiectum quod formam substantialem, sed solùm subiectum quod: ita in substantijs completis potentia passiva ad recipientem quantitatem, & alia accidentia, non est aliquod accidens eis superadditum, sed quedam illarum propria passio, idem realiter, & substantialiter cum illis, neque est subiectum quod quantitatis, & cæterorum accidentium, sed potius subiectum quod.

16. Tertia, & est ratio à priori; quia nõ apparet, à quo possit provenire ista totalis corruptio quantitates præexistentis. Nam non ex defectu conseruantis, neque ex defectu subiecti, cum in rarefactione manifestum sit, vtrumque adesse: neque ex introductione contrarij, quia quantitas nullum habet contrarium, à quo corrumpi possit, quæ sunt tria capita, ex quibus solum provenire potest desitio totalis alicuius accidentis absoluti.

17. Ad fundamentum primæ sententiæ deducum ex auctoritate Aristotelis benè respondet Scotus, illud axioma termini à quo, & ad quem sunt incompossibiles, esse intelligendum, & verum de primisterminis, qui semper sunt priuatio, & forma; non verò de terminis illos concomitantibus, vt sunt in rarefactione, & in condensatione quætitates præexistentes.

18. Secundum asseritum, vt doctrina communis, & certa sæpè supponit Scotus loco quarti citato; imò §. *Quantum ad istam opinionem*, reijciendo primam opinionem Goffredi, paulò infra aperte dicit, quòd licet non sit verum, quòd in rarefactione fiat acquiritio totius nouæ quantitatis; tamen omnis opinio cogitur dicere, quòd fiat acquiritio alicuius nouæ partitatis; & probat, quia alio-

quin corpus rarefactum non esset post rarefactionem maius, vnde tanquam Scoticum ipsum defendit Philippus Faber theoremate 44. & communiter Scotitæ, & ex alijs Caietanus 3. part. quæst. 77. artic. 5. Heruicus quodlibeto 2. quæstione 15. Buridanus 4. Physicorum textu 84. Tolemus ibidem, quæst. 11. & quàm plures alij.

19. Probari potest hoc nostrum secundum asseritum contra auctores secundæ sententiæ, ex eo quòd ipsi, manifesta consulti experientia libenter concedunt, nimirum, per rarefactionem acquiri maiorem extensionem localem, & per condensationem aliquam partem huius extensionis localis deperdi: ex hoc ergo principio sic argumentor. Per vos per rarefactionem acquiritur noua pars extensionis localis, & per condensationem aliqua pars extensionis localis deperditur; sed extensio localis est quantitas: ergo, velitis, nolitis, per rarefactionem acquiritur noua pars quantitatis, & per condensationem deperditur.

20. Ad hoc argumentum quod efficacissimum est, rafa fronte respondent aliqui ex aduersarijs, negando minorem, scilicet, extensionem localem esse quantitatem: sed licet negare non possimus id, quod contra Nominales statuitur



in Logica capite de quantitate, disput. 1. quæst. 1. videlicet, relationem actualem commensurationis, quam dicunt, tam quantitas, quam eius partes ad locum, non esse de essentia quantitatis, imò, neque quid pertinens ad eius prædicamentum, sed ad prædicamentum *vbi*, ac per consequens posse quantitatem existere per potentiam Dei absolutam sine illa, vt de facto contingit in quantitate corporis Christi, existentis in Eucharistia; tamen quod extensio partium, quæ natura sua petunt occupare diuersum locum, & quæ est fundamentum istius relationis, seu commensurationis, non sit quantitas, necesse, qua fronte ab villo asseruari possit.

21 Primò, quia si extensio partium, quæ natura sua petunt occupare diuersas partes loci, & consequenter natura sua sunt impenetrabiles, & vna in ordine ad locum petit esse extra aliam, non est quantitas, inquituram, quid est quantitas? Dices, quantitatem esse extensionem partium in ordine ad locum, aptitudinalem. Fateor, in ista aptitudine consistere essentiam, & quidditatem quantitatis. Sed contra, cui conuenit ex se extensio actualis in ordine ad locum, conuenit etiam ex se aptitudo ad habendas partes extensas in ordine ad locum; sicuti cui conuenit ex se adu-  
ridere, conuenit etiam, & ex

se aptitudo ad ridendum; sed extensioni, quæ per rarefactionem acquiritur, conuenit ex se habere partes actualiter extensas in ordine ad locum: ergo etiam conuenit ei ex se aptitudo ad habendas partes extensas in ordine ad locum, & consequenter erit essentialiter, & quidditatiuè quantitas.

22 Secundò, quia illud formaliter est quantitas, à quo aliquid formaliter est quantum, sicuti illud est formaliter albedo, à quo aliquid formaliter est album; sed res denominantur, formaliter quantæ ab extensione partium, quarum quælibet petit esse extra aliam in ordine ad locum, puta à longitudine, vel latitudine, vel profunditate: ergo extensio, quæ acquiritur per rarefactionem, cum habeat partes, quarum quælibet petit esse extra aliam in ordine ad locum, puta longitudinem, latitudinem, & profunditatem, erit formaliter, & essentialiter quantitas. Et ab ea res, quæ rarefit, sicut denominatur formaliter magis extensa in ordine ad locum, pura magis longa, magis lata, & magis profunda, ita denominari debet, & esse formaliter magis quanta.

23 Tertiò, quia si hæc maior extensio localis, quæ in rarefactione acquiritur, non est formaliter quantitas, vt aduersarij,

farij contendunt, assignare vti- que debent aliquid aliud distinctum à quantitate, in quo formaliter consistat, quod non apparet, vt expendo ea, quæ ab aduersarijs ex cogitata sunt, erit manifestum.

24 Quidam dicunt, hanc maiorem extensionem localem formaliter consistere in commensuratione, seu presentia circumscriptiua substantiæ, quæ rarefit eum maiori loco illo, cui commensurabatur, seu erat circumscriptiue præfens, antequam rareficeret. Sed hæc assignatio non satisfacit; tum, quia ista maior commensuratio, seu presentia circumscriptiua substantiæ ad maiorem locum, etsi necessariò supponat in substantia maiorem extensionem quantitatiuam; sed non est formaliter extensio quantitatiua, sed quædam relatio extrinsecus adueniens, spectans ad prædicamentum *vbi*. Tum etiam, quia cum substantiæ ex se nõ commensurentur, seu sint presentes alicui loco circumscriptiue, sed hoc illis conueniat beneficio quantitatis, erit impossibile, quod in rarefactione substantiæ, quæ rarefit, accipiat maiorem commensurationem, seu presentiam circumscriptiuam ad locum, nisi prius, saltem natura, informetur, & afficiatur maiori quantitate. Probo consequentiam, quia sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.

25 Propter hæc Capreolus

loco citato in responsione ad primum argumentum Adami, quem aliqui ex recentioribus sequuntur, affirmat, hanc maiorem extensionem localem, quam accipit substantia, cum rarefit, consistere formaliter in quodam modo reali ipsius quantitatis, qui modus neque est quantitas, neque pars quantitatis, reducitur tamen ad prædicamentum quantitatis.

26 Sed quæsi fictitiuus sit iste modus, manifestè constabit, si motus, qui necessariò concurrunt ad rarefactionem alicuius substantiæ, & eorum terminos, perpendamus. Primus motus, qui ad rarefactionem concurrunt, est productio alicuius primæ qualitatis, exempli gratia, in rarefactione lactis, productio caloris, quem motum, manifestum est, non habere pro termino aliquem modum quantitatis, sed aliquam primam qualitatem, ad tertiam speciem qualitatis spectantem, scilicet, calorem. Deinde, cum lac per calorem in se receptum desinat esse in statu perfectæ dispositionis, & transeat ad statum corruptionis, necessariò petit, vt ab ipso emanet maior extensio localis, & hoc sine additione nonæ partis substantiæ, vt ocularis experientia ostendit, qui motus, seu emanatio, cum per se terminetur ad extensionem, cuius partes natura sua petunt, vnam esse extra aliam in ordine ad



locum, in quo consistit essentia quantitatis; habebit necessarium pro termino non modum quantitatis, sed veram, & quidditativam quantitatem, vt a priori ostensum est, & statim à posteriori demonstrabimus. Item cum ratione huius maioris extensionis quantitativæ necessarium sit, quòd lac sit præfens maiori loco, ac antea erat; assignandus erit in rarefactione lactis alius tertius motus, quo ista maior præsentia localis acquiratur, qui, cum localis sit, non poterit terminari per se ad aliquem modum, qui reductivè spectet ad prædicamentum quantitatis, sed ad ipsam præsentiam localem, quæ per se spectat (vt per se notum est) ad prædicamentum *vbi*. Demum positus his tribus motibus, & terminis eorum, secluso quocumque alio motu, resultat in lacte raritas, quæ est forma, à qua dicitur rarum, seu rarefactum; quæ raritas, si materialiter consideretur, est quædam qualitas, vt docuit Aristoteles 7. Physicorum capite 2. & cum eo commentator Averroes; & secundo libro de partibus animalium capite 1. & magis expressè 4. Physicorum textu 83. & vt in Logica docuimus capite de qualitate disput. vnica, quæstione 2. numero 13. spectat ad quartam speciem qualitatis; nam est dispositio, seu determinatio sub-

stantiæ in se ipsa, exterior, & non primò, sed secundò per se sensibilis, vt sunt forma, & figura, asperitas, lenitas, &c. Si verò consideretur formaliter, cum consistat in diuersa positione partium quærituarum eiusdem substantiæ, dicentium actualem ordinem ad locum, spectat ad prædicamentum *si- tus*, vt expressè docet Aristoteles in prædicamentis capite de qualitate, & in simili philosophatus est Scotus in 1. distinct. 17. quæstione 2. littera O, & quodlibeto 8. littera I, de pulchritudine, lenitate, & asperitate, alijsque similibus qualitatibus, quæ materialiter sumptæ spectant ad quartam speciem qualitatis. Eni omnes motus, & terminos eorum, qui in rarefactione interueniunt, accuratè expèdimus; vbi est, quæro, iste motus realis quantitatis, qui nec est quantitas, neque pars quantitatis, sed reducitur ad prædicamentum quantitatis, in quo secundum Capreolum, & alios formaliter consistit maior ista extensio localis, quam acquirit substantia per rarefactionem? Est ergo fictitiuus, & nodum in scirpo querere, ipsum assignare velle.

27. Quartò, & vltimò, quia si extensio localis non est quantitas, sequeretur, quòd magis extensum localiter, non posset appellari magis quàm, & sic deiceret nobis medium certū.

cog.

cognoscendū maiorem, vel minorem quantitatem. Vnde dicere quis posset, hominem non esse magis quantum, quàm formicā, quin ab aliquo euidenter conuinci possit falsitatis.

28. Nec valet, si respondeas, illum, qui affirmaret, hominem non esse magis quantum, quàm formicam, conuinci posse euidenter falsitatis, ex eo, quòd homo habet plus materiæ, quàm formica; nam si habere plus materiæ est argumentum efficax maioris quantitatis, pugillus terræ esset magis quantum pedali aëris; quod falsum est, & ridiculum apud Mathematicos. Sequela patet, nam pugillus terræ plus materiæ habet, quàm pedale aëris.

29. Ex omnibus ergo dictis manifestè concluditur, maiorem extensionem localem, etsi includat maiorem præsentiam ad locum, includere etiā maiorem quantitatem, ac per consequens, quòd si in rarefactione acquiritur de nouo maior extensio localis, & in condensatione deperditur aliqua pars huius maioris extensionis; vt experientia ad oculos ostendit, nec negare audent auctores secunda sententia; in rarefactione acquiri nò solum nouam partem præsentia ad locum, sed etiam nouam partem quantitatis, & per oppositum in condensatione deperdi.

30. Etsi aliquis inquirat, au sicut in augmentatione viuentium statuum est cum Aristotele, non solum augeri totum, sed etiam quamlibet partem eius; ita in rarefactione non solum extendatur localiter tota quantitas præexistens, sed etiam quamlibet pars illius? Respondemus, eodem modo esse philosophandum, sed cum hoc discrimine, quòd in augmentatione viuentium, cum maior quantitas sequatur ad nutritionem, non possunt augeri partes quantitatis præexistentes, nisi multiplicentur partes substantiæ; quæ per nutritionem acquiruntur. At in rarefactione, cum maior quantitas non sequatur ad nutritionem, sed ad productionem alius cuius primæ qualitatis (verbi gratia, in lacte ad productionem caloris) etsi quamlibet pars quantitatis præexistentis localiter extendatur, sed sine multiplicatione partium substantiæ; quòd discrimen optimè notauit Aristoteles 4. Physicorum textu 84. verbis supracitaris num. 5.

31. Et ratio à priori est, quia prima qualitas producta, & quæ est radix, & causa in substantia, quæ rarefit (vt num. 26. statuum est) huius maioris extensionis localis, non solum afficit totam substantiam, sed etiam quamlibet eius partem; imò totam substantiam afficit, quia afficit omnes illius partes.

O 3

Ex



Ex quo etiam inferes, quam recte dixerit Socus loco quarti citato in rarefactione, non solum totum substantiale rarefieri, sed etiam quamlibet eius partem; imò ex eo, quòd omnes partes eius rarefcat, rarefcat ipsum totum, quod ex prædictis partibus integratur.

32 Restat argumentis adductis pro secunda sententia satisfacere. Ad auctoritatem Aristotelis ex 4. Physicorum n. 5. adductam; miror, quòd ipsa utantur auctores secundæ sententiæ, cum expressè sit contra ipsos: licet enim Aristoteles ibi affirmet, in rarefactione nullam partem materiæ de novo acquiri, & per oppositum in condensatione nullam partem materiæ, seu substantiæ deperdi, & in hoc differre ab augmentatione, & diminutione viuentium; nam in augmentatione acquiritur noua pars materiæ, seu substantiæ, & in diminutione deperditur: tamen expressè docet, in rarefactione materiam, seu substantiam *extendi magnitudine sensibilis molis*, & in condensatione, *paruitate sensibilis molis*, non alia ratione, nisi quia materia, seu substantia, licet ex se non habeat, neque magnitudinè, neque paruitatem sensibilis molis; est tamen in potèria ad hoc, vt vtrūque recipiat (iuxta varias dispositiones alicuius primæ qualitatis) sine accretione, vel diminutione substantiali.

33 Ad primum inconuenièns ex adductis pro secunda sententiæ num. 6. miror etiam, quòd illud nobis obijciant auctores illius, & non conati fuerint illud soluere, cum ex ipsorū sententia idemmet, vel aliud valdè simile absurdum consequatur; imò in eorum principijs indissolubile. Ipsi enim (vt vidimus num. 4.) etiam negent, per rarefactionem acquiri aliquam nouam quantitatem, & in condensatione deperdi; affirmant tamen ( experientia oculari conuincti) rarefactionem fieri per extensionem præexistentis, quæritatis ad maiorem locum; & condensationem per contractionem, seu reductionem, quantitatis præexistentis ad locum minorem. Ex hac enim doctrina videtur manifestè inferri, seu sequi, eandem quantitatem sine sui augmentatione in rarefactione occupare duo loca, & in condensatione duas partes quantitatis in eodem loco penetrari.

34 Sequelam quoad vtramque partem probo, instantia tã rarefactionis, quàm condensationis lactis. Ponomus in aliquo vase aliquam portionem lactis in statu perfectæ dispositionis, cuius quantitas occupet locum semipalmarem; calciet istud lac, & consequenter rarefiat, ita vt eius quantitas occupet locum palmarem: tum sic, illa præexistens quantitas retinet locum semipalmarem, quem antea

antea occupabat, & per calcificationem, & rarefactionem occupat simul alium locum semipalmarem sine augmentatione sui; ergo eadem numero quantitas simul est in duobus locis adæquatis; quod saltem naturaliter est impossibile. Eo trario ponamus in aliquo vase aliquam portionem lactis in statu perfectæ dispositionis, cuius quantitas occupet locum palmarem; frigeat istud lac, & consequenter condensetur, ita vt eius quantitas occupet locum semipalmarem: tunc sic, duæ illæ partes quantitatis semipalmares, quæ ante condensationem integrabant quantitatem palmarem, & occupabant locum palmarem sine sui diminutione per condensationem, sunt in loco duplo minori, quàm antea erant; ergo in illo minori loco penetrantur; quia ante condensationem vna quantitas semipalmaris occupabat totum locum, quem post condensationem occupat etiã alia quæritas semipalmaris: ergo in eodem loco semipalmari sunt simul penetratæ duæ quæritates semipalmares, quod est absurdum.

35 Quibus accedit, in aduersariorum sententia, quæ affirmat, per rarefactionem eandem quantitatem sine sui augmentatione acquirere maiorem extensionem localem; & per condensationem eandem quantitatem sine sui diminutione

acquirere minorem extensionem localem, necessariò sequi, quantitatem rarefieri, & condensari, quòd est absurdum; nam raritas, & densitas non sunt affectiones quantitatis, alias quantitas non esset per se extensa localiter, sed per accidens: affectiones enim quantitatis sunt augmentatio, & diminutio; raritas verò, & condensatio solum conuenire possunt his, quæ per accidens efficiuntur maiori, vel minori quantitate, vt sunt substantia, & qualitates. Sequela patet, quia in Aristotelica sententiâ, & ab omnibus recepta, illud dicitur rarefieri, quod sine sui accretione suscipit maiorem extensionem localem, & illud dicitur condensari, quod sine sui diminutione accipit minorem localem extensionem, quorum vtrumque in sententia aduersariorum competit quantitati.

36 Vt autem prædicto inconuenienti, quod nobis obijciunt, satisfaciamus, (vt verius loquar) allucinacionem, qua laborant, qui nobis illud obijciunt, aperiamus; notare oportet, subtilitatis materiam (idem est iudiciū de qualitatibus materialibus) etiam ex se, & seclusa quantitate habere partes entitativas; tamen istas partes entitativas ex se nullum ordinem circumscriptiuum dicere ad locum, sed hoc conuenire eis beneficio quantitatis, quia efficiuntur. Vnde 4. Physicorum dis-



put. 1. quæst. 3. num. 16. pro  
 competo statuimus, quod si  
 Deus sua potentia absoluta au-  
 ferret à substantia materiali qua-  
 titatem, qua de facto afficitur,  
 talis substantia, non esset in lo-  
 co circumscriptiue, ita vt toto,  
 ista substantia esset in toto lo-  
 co, & partes eius entitatiue ef-  
 fect: correspondentes partibus  
 loci, quia hic modus essendi in  
 loco solum illi cōueniebat ra-  
 tione quātītatis, qua afficiebat-  
 tur; sed haberet quendam mo-  
 dum essendi in loco superna-  
 turalem, v. Idē similem modo  
 essendi in loco definitiue, quo  
 poriantur substantiæ spirituales;  
 siquidem esset in loco modo  
 ināiuisibili, tota in toto loco, &  
 tota in qualibet parte loci, &  
 solū esset discrimen inter hunc  
 modum essendi in loco defini-  
 tiue, & modum essendi in loco  
 definitiue rerum spiritualium,  
 quod hic modus esset superna-  
 turalis, & materialis, non secus,  
 ac est materiale eius subiectū;  
 modus autem essendi in loco  
 definitiue rerum spiritualium est  
 illis connaturalis, & spiritualis,  
 non secus, ac est eius subiectū.  
 37 Ecce ergo allucinationē,  
 qualaborant auctores, qui no-  
 bis obijciunt ex sententia nos-  
 tra, quæ sustinet in rarefactio-  
 ne acquiri nouam partem qua-  
 titatis sine corruptione præxi-  
 stentis, & sine acquisitione nouæ  
 partis entitatiue substantiæ, se-  
 qui vnum ex duobus inconue-  
 nientibus, vel quod daretur pe-

netratio dimensionū, vel quod  
 pars quantitatis, quæ de nouo  
 acquiritur, maneret sine subie-  
 cto: laborant enim auctores isti  
 falsa apprehensione. Cū enim  
 de facto omnis substantia ma-  
 terialis affecta sit quantitate, &  
 ratione illius sit in loco circums-  
 criptiue, tota in toto loco, &  
 pars in parte loci; auctores, qui  
 sequuntur sensum, apprehen-  
 dunt hunc modum essendi in  
 loco, qui non conuenit substā-  
 tijs ex se, sed beneficio quanti-  
 tatis, ac si ipsi substantijs ex se  
 competeret, & hac falsa appre-  
 hensione ducti philosophantur  
 de substantia materiali, non se-  
 cus, ac de quantitate nos num.  
 33. & 34. philosophati sumus  
 contra ipsos. Vnde sicut nos ibi  
 inferebamus ex ipsorum senten-  
 tiæ, quæ ita negat in rarefactio-  
 ne acquiri nouam partē qua-  
 titatis, & per condensationem  
 perdi; vt simul sustineat, in  
 rarefactione extendi præxi-  
 stentem quātītatem ad maiore  
 locum, & per condensationem  
 contrahi, seu reduci ad locum  
 minore: necessario sequi, eam-  
 dē numero quantitatē per rare-  
 factionem circumscriptiue esse  
 simul, seu occupare duo loca,  
 & per condensationē duas par-  
 tes quantitatis esse simul circums-  
 criptiue in eodē loco, & conse-  
 quenter in illo penetrari: ita  
 ipsi hac falsa apprehensione ducti,  
 scilicet, partes entitatiuas  
 substantiæ ex se, & seclusa qua-  
 titate esse extensas in ordine ad  
 lo-

locum, & consequenter ex se,  
 & seclusa quantitate, esse in lo-  
 co circumscriptiue, nobis obij-  
 ciunt, quod si in rarefactione (vt  
 nos sustinemus) acquireretur  
 noua pars quantitatis sine cor-  
 ruptione quantitatis præexistē-  
 tis, & sine acquisitione nouæ  
 partis substantiæ, necessario se-  
 queretur, vel dari penetrationē  
 quantitatis, vel partem quanti-  
 tatis de nouo productā manere  
 sine subiecto, quorū vtrumque  
 est absurdū. Quam se quæmā nul-  
 lateus inferret, si deposita hac  
 falsa apprehensione sentitiua,  
 qua ducitur, essent intelligibi-  
 les, & per intellectum agnosce-  
 rēt, quod etiā de facto substā-  
 tia materialis est extensa in or-  
 dine ad locum, & vt dici solet  
 est in loco circumscriptiue; tamē  
 hanc extensionem localem, seu  
 circumscriptiuam non illi  
 conuenire ex se (vt ipsi appre-  
 hendunt) sed beneficio quanti-  
 tatis maioris, vel minoris, qua  
 afficitur, & consequenter, ex eo,  
 quod in rarefactione acquiratur  
 noua pars quantitatis sine  
 corruptione præexistētis, & sine  
 acquisitione nouæ partis  
 substantiæ, nec sequi penetratio-  
 nē quātītatis; quia illa pars noua  
 quātītatis, quæ in rarefactio-  
 ne acquiritur, etiam copuletur cū  
 quantitate præexistente, sed nō  
 in eodē loco, cū quātītatis tota-  
 lis, quæ ex his partialibus resul-  
 tat, maiore occupet locum, ac  
 quælibet pars eorū sumpta.  
 Neque etiam sequi, quod noua

pars quantitatis in rarefactione  
 acquisita maneat sine subie-  
 cto; subiectatur enim in substā-  
 tia materiali, quæ rarefit; sicut  
 & subiectatur pars quantitatis  
 præexistens, quia cum omnis  
 substantia materialis (etiā ex-  
 se nullam habeat extensionem  
 localem, sed hæc illi cōueniat  
 beneficio quantitatis) habeat  
 partes entitatiuas, est in potētia  
 (vt loco quarti Physicorū sapē-  
 citato elegāter, & acutē docuit  
 Aristoteles) ad recipiendam sine  
 sui accretione, vel diminu-  
 tione maiorem, vel minorem  
 quantitatem, & consequenter  
 maiorem, vel minorem exten-  
 sionem localem iuxta varias  
 dispositiones; nam quando per  
 calorem rarefit, recipit maio-  
 rem quantitatem, & extensio-  
 nem localem; & quando eō-  
 trario per frigiditatem condē-  
 satur, recipit minorem quanti-  
 tatem, & localem extensionē.  
 Quid ad rem? nil profecō, si  
 (vt in simili dixit Scotus in 4.  
 dist. 10. quæst. 2. loquens de  
 possibilitate existendi per po-  
 tentiam Dei absolutam vnum  
 corpus in duobus locis circums-  
 criptiue) auctores non falsam  
 imaginationem, sed veram ra-  
 tionem sequerentur.  
 38 Ad secundum inconue-  
 niens num. 7. adducunt iterū  
 miror, quod ipso vtantur au-  
 ctores secunda sententiæ: ad nos-  
 tram sententiā impugnantā.  
 Licet enim in rarefactione ac-  
 quiratur noua pars quantitatis,  
 sicut



sicuti & acquiritur in augmenta-  
tione, & in condensatione de-  
perditur aliqua pars quantita-  
tis, sicuti & deperditur in dimi-  
nutione, sed diuersimodè; nam  
in augmentatione simul cum  
noua parte quantitatis acqui-  
ritur noua pars substantiæ, & in  
diminutione simul cum aliqua  
parte quantitatæ deperditur ali-  
qua pars substantiæ. At in rare-  
factione acquiritur noua pars  
quantitatis, nulla acquisita de  
nouo parte substantiæ, & in con-  
densatione deperditur aliqua  
pars quantitatis, nulla deperdi-  
ta parte substantiæ, & cum istæ  
diuersæ connotationes sint in-  
trinsecæ istis motibus, quid mi-  
rum, quod ab Aristotele, & ab  
omnibus, vt distincti motus, in  
ratione formali motus, repu-  
tentur?

39 Ad alia duo inconuenientia,  
quæ num. 8. & 9. deduce-  
bantur ex mysterio Eucharis-  
tiæ, respondetur; ad primum  
statemur libenter eum Scoto,  
in rarefactione specierum sa-  
cramentalium dari creationem  
illius partis quantitatis, quæ de  
nouo acquiritur; sed non ab  
agente creato, sed ab auctore  
naturæ, scilicet, Deo, qui sup-  
posito miraculo, quo in sacra-  
mento Eucharistiæ conseruat  
accidentia sine subiecto, statuit  
ipsemet efficere per creationem,  
quidquid alias efficeret agens  
naturale creatum per genera-  
tionem, si illa accidentia essent  
in subiecto. Et hæc est comu-

nis Theologorum solutio, non  
solum ad hanc experientiam,  
sed etiam ad aliam, quæ experi-  
mur, ex speciebus sacramen-  
talibus creati vermes, aut alias  
similes substantias.

40 Ad secundum, negamus  
sequelam, scilicet, dari aliquam  
quantitatem in sacramento Eucharis-  
tiæ sine subiecto, sub qua  
non contineatur Christus Do-  
minus: & cum obijcitur, Chris-  
tum solum contineri sub spe-  
ciebus consecratis, & illam par-  
tem quantitatis, quæ in rarefac-  
tione de nouo acquiritur, non  
esse consecratam; responderetur,  
quod etiã illa noua pars quan-  
titatis non sit consecrata; tamè  
qualitates panis, vel vini, quæ  
sunt, quæ rarefiunt, & conse-  
cratur extenduntur, non solum  
per præexistentem, sed etiã  
per de nouo aduenientem quan-  
tatem, non fecus, ac extende-  
rentur substantiæ panis, & vini,  
si ibi adessent, esse species con-  
secratas, & sic ratione illarum  
esse Christum sub parte quan-  
titatis, quæ de nouo creatur in  
rarefactione specierum sacra-  
mentalium.

### QVÆSTIO III.

*Utrum rarefactio per se terminetur  
ad quantitatem? an ad quali-  
tatem? an ad vbi?*

I Magna controuersia est  
inter auctores in expli-  
cando, ad quod prædicamen-  
tum

tum terminetur per se motus  
rarefactionis, & idem dico per  
oppositum de motu condensa-  
tionis. Nam quidam dicunt ter-  
minari per se ad qualitatem.  
Ita Aueroes in 4. Physicorum  
textu 64. & est communis sen-  
tentia inter auctores, qui, vt ca-  
pitæ præcedenti vidimus, affir-  
mabant, in rarefactione non  
acquiri nouam quantitatem,  
nec totalem, nec partialem.

2. Fundamentum ipsorum est,  
quia raritas, & densitas, quæ  
sunt termini per se motus rare-  
factionis, & condensationis, &  
ad quibus suam specificationem  
sumunt, non sunt quantitates,  
neque vbi, id est, præsentia lo-  
cales, sed potius suæ qualitates.  
Et probant, primo ex Aristotele,  
qui 7. Physicorum textu  
11. dicit, quod differentia cor-  
poris naturalis sunt rarum, &  
densum: ergo sentit raritatem,  
& densitatem non esse quanti-  
tates, sed qualitates; alias non  
insequerentur corpus naturale,  
sed corpus mathematicum, quod  
non est verum, quia Mathematicus  
abstrahit à raritate, & den-  
sitate. Item libro 2. de partibus  
animalium cap. 1. enumerans  
qualitates tangibiles, inter eas  
collocat raritatem, & densita-  
tem: & magis expressè hoc doc-  
cet 4. Physicorum textu 83.  
3. Secundo probant, quia si ra-  
ritas non esset qualitas, sed quæ-  
ritas, seu extensio localis, vt alijs  
placet, sequeretur, quod vbi-  
cumque esset æqualis quanti-

tas, seu extensio localis, esset  
etiam æqualis raritas; sed con-  
sequens est falsum; ergo & an-  
tecedens; quod consequens sit  
falsum, patet, nam si sumerentur  
duo vasa æqualis capacita-  
tis, & vnum impleretur aère, &  
aliud aqua, ille aër, & illa aqua  
haberent æqualem quantitatem,  
seu extensionem localem; &  
nihilominus nõ haberet æqua-  
lem raritatem, cum in omni-  
nium sententia aër sit rarior  
aqua.

4. Alij affirmant, motum ra-  
refactionis per se terminari ad  
maiorem quantitatem, & mo-  
tum condensationis ad quan-  
tatem minorem: ita philoso-  
phantur aliqui ex his, qui quæ-  
sitione præcedenti nobiscum sus-  
tinerunt; in rarefactione ac-  
quiri de nouo aliquam partem  
quantitatis, & in condensa-  
tione deperdi; imò & aliqui ex  
his, qui sustinebant in rarefac-  
tione, etiam non acquiritur noua  
pars quantitatis, acquiri tamen  
maiorem extensionem localem  
eiusdem quantitatis; id est, sus-  
tinent, nam etiam si hæc ma-  
ior extensio localis secundum  
ipsos non sit quantitas, nec pars  
quantitatis; dicunt tamen esse  
modum quantitatis, & reduci-  
uè in eius prædicamento col-  
locari, & consequenter mo-  
tum ad illam esse motum, sal-  
tem reductiuè ad quantitatem.  
5. Et fundamentum ipsorum  
est, quia raritas, & densitas, quæ  
sunt termini per se motus rare-



factionis, & condensationis, dicunt consistere formaliter, non in aliqua qualitate, sed in maiori, vel minori quantitate, seu extensione locali; & probant ex Aristotele, qui 4. Physicorum, & densum definiuit per ordinem ad maiorem, vel minorem quantitatem, seu extensionem localem, dicens, *Rarum est, quod habet parum materia sub magna quantitate: Densum est, quod habet multum materia sub parua quantitate.* Et confirmant, quia raritas non potest concipi sine maiori quantitate, seu extensione locali; neque condensatione sine minori quantitate, seu extensione locali: ergo signum est, quod raritas formaliter consistat in maiori quantitate, seu extensione locali, & densitas in minori.

6. Denum, auctores, qui vt vidimus quaest. 1. non admittunt veram, & propriam rarefactionem, & condensationem; sed dicunt, corpora rarefieri per separationem, & diuisionem localem suarum partium, vel relinquendo inter eas aliquas vacuitates, vt putabat Philosophi illi Aristotele antiquiores, vel per insertionem in poros earum aliorum subtilium corporum, vt aliqua recentiores sustinent; condensari vero per appropinquationem localem suarum partium, vel adimplendo illas vacuitates, vel per expulsionem illorum corporum subtilium; conse-

quenter sustinebant, & sustinent, tam rarefactionem, quam condensationem per se terminari ad praedicamentum *ubi*; & fundamentum ipsorum erat, & est, quia in ipsorum principis raritas, & densitas, quae sunt termini per se rarefactionis, & condensationis non consistunt formaliter in aliqua qualitate, vel quantitate, sed in praesentia partium ad loca distantiora, vel propinquiora, quae praesentia in omnium sententia spectant ad praedicamentum *ubi*.

7. Verum enim vero, si ea, quae quaestione praecedenti num. 26. statuimus, bene perpendantur, plane apparebit, rarefactionem (& idem ito per oppositum iudicium de condensatione) non esse vnum simplicem motum, sed includere necessarium tres veros motus, & insuper quandam aliam entitatem, quae, etsi ex suppositione horum trium motuum, necessario resultat, sed non per se, sed per accidens, & ad instar modi, quo relationes resultant ex positione fundamenti, & termini. Primus motus est productio alicuius primae qualitatis, exempli gratia, in rarefactione lactis, productio caloris. Secundus motus est emanatio maioris extensionis localis in partibus lactis sine additione nouae partis substantiae, & sine interuentione aliquarum vacuitatum, vel intransmissione aliorum corporum subtilium in poros earum.

Ter-

Tertius motus est productio nouarum praesentiarum, quibus partes lactis beneficio illius maioris extensionis localis, sunt praesentes maiori loco. Entitas, quae ex oppositione istorum trium motuum, etsi necessario, non tamen per se, sed per accidens resultat, est ipsamet raritas, quae est forma, a qua lac formaliter, & est, & denominatur rarefactum, quae raritas, si materialiter consideretur, est qualitas secunda spectans ad quartam speciem qualitatis, quae dicitur forma, vel figura; si vero consideretur formaliter, spectat ad praedicamentum *stus*, vt loco citato, tam auctoritatibus Aristotelis, & Scoti, quam rationibus stabilimus.

8. Ad rem ergo. Primus ex his tribus motibus, etsi per se terminetur ad qualitatem, sed non idem est formaliter rarefactio; nam illa qualitas, ad quam per se terminatur, non est formaliter raritas; quia raritas, non inter primas qualitates, sed inter secundas numeratur, & vt dictum est, spectat ad quartam speciem qualitatis: ad qualitates autem quartae speciei ex Aristotele non datur per se motus, seu alteratio, sed est qualitas spectans ad tertiam speciem, quae est, in qua collocantur omnes primae qualitates, & ad quas datur secundum Aristotelem per se motus, qui dicitur alteratio.

9. Secundus ex his motibus, eum terminetur per se ad maiorem extensionem localem partium lactis, seu quod idem est, ad maiorem ipsarum quantitatem; etsi conducerat raritatem lactis, sed non est formaliter rarefactio; quia eius terminus ad quem non est raritas; nam, vt efficaciter probant, tam auctoritates Aristotelis, quam ratio adducta pro prima sententia, raritas non ad praedicamentum quantitatis, sed ad praedicamentum qualitatis spectat; & ideo hic secundus motus inter motus, qui terminantur ad quantitatem, erit enumerandus.

10. Neque obstant ea, quae in contrarium pro secunda sententia adducta sunt. Nam etiam si maior, vel minor quantitas, seu extensio localis non sint formaliter raritas, vel densitas; sunt tamen conditiones intrinsecae requisitae ad hoc, vt in re, quae rarefit, vel condensatur, resultat raritas, vel densitas; & sic non mirum, quod Aristoteles rarum, & densum per ordinem ad maiorem, vel minorem quantitatem definiat, & quod sine ipsis a nobis rarum, vel densum exacte cognosci nequeant.

11. Tertius ex his motibus, cum per se terminetur ad nouas praesentias locales, quibus partes lactis, quod rarefit beneficio illius maioris extensionis localis, sunt praesentes maiori loco, non

por-



poterit esse formaliter rarefactio, cum eius terminus ad quem, non sit aliqua qualitas spectans ad quantam speciem, & consequenter, neque raritas; sed potius quo idam ubi, qui eo ipso inter motus locales ab omnibus numeratur.

12 Neque obstat in sententia auctorum (qui pro tertia sententia adducti sunt) ponentium raritatem fieri per separationem, seu divisionem localem partium, vel relinquendo inter ipsas aliquas acuitates, vel per insertionem aliorum corporum subtilium in poros earum, necessarium fatendum esse, raritatem formaliter non consistere in aliqua qualitate, sed in his nouis presentijs localibus; nam quam falsa sit sententia, in qua fundantur, ex professo in 1. quæst. huius disputationis ostentum est.

13 Sed quamuis nullus ex tribus motibus enumeratis, sit per se, & formaliter rarefactio; nihilominus quia ad positionem eorum, & terminorum per se ipsorum (etsi per accidens, & sine interventione alterius motus, necessarium tamen, & ad istarum modi, quo resultant relationes ex positione fundamenti, & termini) resultat illa entitas, in qua dictum est, consistere formaliter raritatem: hinc est ut rarefactionem sumptam pro causatione raritatis his tribus motibus coniunctam sumptis distribuamus; nam ipsi sunt,

per quos causatur raritas, licet non per se saltem per accidens, non secus, ac motibus, quibus per se producantur fundamentum, & terminus relationis, attribuisimus non per se, sed per accidens causationem, seu resultantiam relationis, & solum est discrimen inter istos tres motus, quod productio alicuius primæ qualitatis (v. gr. productio caloris in lacte) etiam sit prima causa per accidens rarefactionis lactis, est tamen causa remota. At secundus, & tertius motus, scilicet, emanatio maioris extensionis localis, seu, quod idem est, maioris quantitatis, & productio nouarum præsentiarum circumscriptionum ad maiorem locum sunt causæ per accidens raritatis resultantis magis immediate, & proximè.

14 Ex omnibus dictis colliges, quam inaniter plures auctores laborent in inuestigando motum, qui per se terminetur ad raritatem, vel densitatem; nam si ad raritatem, & densitatem non datur per se motus, sed solum per accidens; profecto inuestigare, quisnam motus per se terminetur ad raritatem, vel ad densitatem, erit nodum in scirpo querere. Solum ergo inuestigari potest, & debet, qui sint motus per accidens ad rarefactionem, vel condensationem requiriti: Et facile respondetur ex dictis, ad rarefactionem necessario requiri tres motus in

hac

hac quæstione assignatos, & ad condensationem alios tres prædictis motibus oppositos:

15 Non melaret (vt nihil in tactum relinquamus) recentiores aliquos contendere, tres motus a nobis enumeratos non esse necessarios, adhuc per accidens ad resultantiam raritatis, & idem dicitur per oppositum de condensatione; & non aliunde probant, quam instantia corporis Christi existentis in Eucharistia, ubi æqualis portio entitativa carnis est rariore æquali portione entitativa ossis; & est contra æqualis portio entitativa ossis est densior æquali portione entitativa carnis; & nihilominus ibi nulla est maior, nec minor extensio localis istarum portionum; nec maior, nec minor præsentia ad locum, cum tam portiones istæ carnis, & ossis, quam earum quantitates existant in loco indiuisibiliter totæ in tota hostia, & totæ in qualibet eius parte.

16 Sed hæc assertio doctrinæ Aristotelis est contraria; licet enim Aristoteles non sentiat raritatem, & densitatem consistere formaliter in maiori, vel minori extensione locali in eadem materia; tamen maiorem, vel minorem extensionem localem in eadem materia requirit, vt conditiones, seu connotari intrinsecè, & simpliciter requirita ad rarefactionem, & condensationem. Alias perperam definisset, tam rarum,

quam densum, vt de factis 4. Physicorum definitum per ordinem ad maiorem, vel minorem extensionem localem in eadem materia.

17 Neque instantia corporis Christi existentis in Eucharistia aliquid eis fauet. Nam assumunt falsum, dum affirmant, ibi æqualem portionem entitativam carnis esse rariorem æquali portione entitativa ossis; & est contra æqualem portionem entitativam ossis, esse densiorem æquali portione entitativa carnis, si de raritate, & densitate actuali (quæ sunt, de quibus nunc loquimur) & non de aptitudinali sermo sit. Sicut enim æqualis portio entitativa carnis Christi ad sui conservationem in statu suæ perfectæ dispositionis exigit maiorem extensionem localem, seu quantitativam actualem, ac exigit æqualis portio entitativa ossis, ita & maiorem actualem raritatem; sed quia in Eucharistia miraculose, seu virtute diuina impeditur, ita in carne Christi, quæ in eius ossibus actualis est extensio ad locum; ita eodè miraculo, seu virtute diuina impeditur, ita actualis raritas, quæ actuali condensatione, quæ necessarium (licet per accidens, & sine interventione alterius motus) consequitur, seu resultaret ex actuali maiori, vel minori extensione locali, quæ deficit, & in miraculo, seu virtute diuina non impeditur.

DIS-



## DISPUTATIO SEXTA.

## De actione, &amp; reactione.

**Q**VAMVIS Aristoteles in 6. capite huius libri agat de similitudine, & contactu requisitis inter agens, & passum ad agendum; nihilominus nos hic ab examine huius difficultatis supercedemus; quia difficultatem istam rursus super 7. librum Physicorum disp. vnica, quaest. 3. expēdimus, & declarauimus. Solum ergo in hac disputatione agendum est de actione, & reactione; & alijs conditionibus ad agendum, & reagendum requisitis, de quibus ex professo disputat Aristoteles in 7. & 8. & 9. capitibus huius libri. Sunt autem septem, quae ad istorum exactam intelligentiam discutienda sunt. Primum, quid sint actiuitas, & resistentia? Secundum, quo pacto actiuitas, & resistentia conueniant primis qualitatibus? Tertium, utrum ad actionem debeat esse maior actiuitas in agente, quam resistentia in passio? Quartum, utrum simile possit agere in simile? Quintum, utrum agens possit producere effectum omnino sibi similem? Sextum, utrum eadem qualitas possit se ipsam intendere? Septimum, utrum omne agens, dum agit, recipiatur a suo contrario?

## QVÆSTIO PRIMA.

## Quid sint actiuitas, &amp; resistentia?

**I**N hac disputatione, in qua (vt dictum est) non solū est sermo de actione, & reactione, sed etiā de conditionibus ad agendum, & reagendum requisitis ab actiuitate agentis, & resistentia passii, in ritum sumimus. Quia actiuitas, & resistentia conditiones sunt ad cognoscendum, an vnū contrarium possit agere, & repari ab alio, maximè obseruandæ, & in hac quaestio-

ne solū inquirimus, quid sint, seu in quo formaliter consistant?

2. Et quidem, si sermo sit de actiuitate, nulla est controuersia; nam conueniunt omnes, actiuitatem in agente esse virtutē, media qua operatur, v.g. in igne actiuitatem ad calefaciendum esse calorem; actiuitatem ad vtendum esse, non aliquid accidentale, sed aliquid substantiale, licet non intrans-

in

In rationem quidditariam ignis, identificatum tamen realiter cum substantia ignis, iuxta dicta, & stabilita super secundum Physicorum disp. 4. q. 6. cōtra aliquos Thomistas. Totā ergo praesens controuersia est in explicando, quid sit resistentia, & in quo formaliter consistat? Et praesuppono, tunc passum dici resistere agenti, quando impendit, ne sequatur eius actio, vel quod non ita citò, vel ita intensè fiat, ac fieret, si non adesset resistentia.

3. Prima sententia affirmat, resistentiam formaliter consistere in actione, qua passum reagit in ipsum agens, v.g. resistentiā, qua aqua resistit igni, ne ipsam calefaciat, seu ne ita citò, vel ita intensè in eam inducat calorem, esse frige factionem aquae, per quam destruit, vel debilitat in igne virtutem calefaciendi, scilicet, calorem. Ita Iacobellus 9. Metaph. quaest. 2. & ibidem Sconcinus quaest. 6. Valtesius cōtrouersia 11. & 1. Medic. cap. 5.

4. Secunda sententia sustinet, resistentiam formaliter consistere in forma contraria, qua informat passum, ei, quam agens inducere conatur in ipsum passum; nam cum sit contraria ei, quam inuocere conatur agens, resistit, ne agens illam introducat, vel ne ita citò, vel intensè. Ita Marsilius hic quaest. 19. Albertus de Saxonia quaestione 16. Paulus Venetus sum-

ma de generatione cap. 25. & alij.

5. Ego verò existimo, vtramque sententiam veram esse, si vna non includat aliam, nec vniuersaliter loquatur. Quare nobis dicendum est cum communi, & recepta sententia, praeter resistentiam negatiuā, quam habent plures res, & consistit in omnimoda incapacitate subiecti ad aliquā actionē, vel formā recipiendā, quae satis improprie dicitur resistentia, distinguendam esse duplicē resistentiam positiuam, vnā actiuam, & aliam passiuam, seu formalem; & resistentiam actiuā dicentis cum auctoris primae sententiae consistere formaliter in actione, qua passum reagit in ipsum agens; resistentiam verò passiuam, seu formalem consistere in forma contraria, seu impossibili, qua informat passum cum illa, quā agens in passum introducere conatur, vt auctores secundae sententiae sustinebant; vtramque probari potest.

6. Et in primis dari resistentiā actiuā, nimirum, actionē contrariā, qua patiens reagit in ipsum agens, patet ex eo, quòd resistere (vt dictū est) nihil aliud est, quam impedire, ne agens agat in passum, vel retardare illud ab actione, ita vt non ita citò, vel intensè agat, ac aliās ageret; sed cum passiuam reagit in agens, debilitat eius virtutem agendi, & consequē-

P

ter



ter impedit, ne agat in ipsum, vel saltem retardat eius actionem, ne ita citò, vel ita intense agat, ac aliàs ageret; datur ergo resistentia ista actiua.

7 Deinde dari etiam resistentiam passiuam, seu formalem (quæ sine dubio magis immediata est, quam præcedens) nimirum formam contrariã, qua informatur passum, & incompossibile cum ea, quã in ipsum passum agens introducere conatur, patet; nam cù forma, qua informatur passum, sit cõtraria, & incompossibilis cum forma, quã agens per suã actionem in passum introducere conatur, necessariò resistet tali introductioni in genere causæ formalis, vel saltẽ retardabit, ne eius introductio fiat ita citò, vel ita intense, ac aliàs fieret, si prædictò passum prædicta forma non esset informatum. Et confirmatur experientia; nam cum aqua calida reducit se ad pristinã, & connaturalem frigiditatẽ, hoc præstat cum resistentia caloris in ipsã existente; sed tunc calor non resistit aliquid producendo, sed solum ratione cõtrarietatis, & incompossibilitatis, quam habet cum frigiditate, quam aqua molitur in se introducere; datur ergo resistentia passiuã, seu formalis, quam intendimus.

8 Sed obijciat aliquis primò; si agens conseruans formã cõtrariã in passò, desineret ipsam conseruare, desineret resistẽtia;

sed actio conseruatiua pertinet ad agens causã efficiẽtis, & nõ formalis: ergo omnis resistentia est actiua, & cõsistẽs in actione alicuius causæ efficiẽtis, & nulla datur passiuã, seu formalis.

9 Rõspõdetur, quod sicut existẽtia formæ actiuæ nõ est formalis ratio agendi, sed cõditio simpliciter necessaria ad hoc, vt forma agat; ita conseruatio formæ contrariæ in passò, non est formalis actio resistẽtiæ, sed cõditio simpliciter requisita ad hoc, vt forma contraria existẽs in passò formaliter resistat. Vnde ex eo, quòd conseruatio illius formæ contrariæ in passò spectet ad genus causæ efficiẽtis, & non formalis, deducero, etiã pertinere resistentiã ad genus causæ efficiẽtis, & nõ formalis, est mala consequentia; nam cõmittitur in ea fallacia *accidentis*, affirmando de causã formali resistentiæ id, quòd affirmatur de cõditione requisita ad formaliter resistendum.

10 Secundo obijciat aliquis, quia si forma cõtraria existens in passò formaliter resisteret; vel resisteret, antequã agẽs cõtrariũ agat, vel quando actualiter agit, nõ antequam agat; nõ nullus dicitur resistere alicui, antequam impugnetur ab illo, neque quando actualiter agit; quia si actio est instantanea, in instanti, in quo agit, iam est introducta forma opposita; & sic ibi nulla erit resistentia; si verò sit successiua, & consumens tẽ-

pus.

pus (vt semper cõtingit in agẽtibus cù resistentia) cum tẽpore, quo agit, introductus sit aliquis gradus formæ, & aliquis gradus formæ resistẽtis expulsus, non poterit prædicta forma resistere agenti per gradum expulsum, cum iam nõ sit, neque per permanentes, siquidem pro illo priori tẽpore, nõdum agens operatur circa illos.

11 Vt huic obiectiõni respõdeat Rubius hic q. I. n. 9. prius notat, hic solum esse cõtrouersiam de resistentia, tam actiua, quã passiuã, seu formali, quæ versatur inter formas cõtrarias, & diuisibiles oppositas, & consequenter inter formas, quæ nõ in instanti, sed successiue, & in tẽpore se expellunt ab eodem subiecto. Et in hoc rectẽ loquitur, & iuxta cõmunem Philosophorum placitũ. Nam quando formæ, quæ se mutuò expellunt, non sunt cõtrariæ, sed priuatiue oppositæ, vt sunt lux, & tenebræ; vel si sunt cõtrariæ, nõ diuisibiliter, sed indiuisibiliter opponitur, vt sciẽtia, & error, cum vna expellat aliam in instanti, illa expulsiõ non fit cum resistentia illius, quæ expellitur, vt in argumento supponitur.

12 Hoc supposito ad obiectiõnem factam respondet idẽ Rubius, formam cõtrariã, quæ est in passò, resistere formaliter actioni contrarij agentis, non tẽpore, quo agit; quia vt argumentũ obijcit, cum pro illo tẽpore sit introductus aliquis gra-

us formæ agẽtis, & aliquis gradus formæ resistentis sit expulsus, non poterit forma resistere per gradũ expulsum, circa quẽ agebat, quia iam nõ est; neque etiam tẽpore antecedẽti actionem agentis; quia, vt etiam argumentũ obijcit, nullus dicitur resistere contrariõ, antequã actu ab illo impugnetur, sed in instanti immediatẽ antecedẽti tẽpore, quo agens cõtrarium dicitur incipere agere, quod est vltimum non esse actionis successiue, per quam agit.

13 Sed hæc solutio Rubij nõ placet; tam, quia ex ipsa sequitur, formam resistere actiõni successiue agentis solum pro illo instanti antecedẽti tẽpore, in quo agit, & quod est vltimum, nõ esse actionis successiue agentis, ac per consequens tranfacto illo instanti, in quo nondum est actio, possemus dicere, agens contrarium agere abique vlla resistentia passiuã, quòd nihil absurdũ, cum agat successiue, & nõ aliud, nisi quia toto illo tẽpore, quo agit, inuenit resistentiam in passò, qua agere retardat.

14 Tum etiam, quia si negat Rubius (& optime) formã actiuã resistere agenti tẽpore antecedẽti, eius actionem, & nõ a'ia ratione, nisi quia pro illo tẽpore, nondum operatur agens, & nullus vnquã dicitur actiuã resistere contrariõ, nisi quando actu impugnetur ab illo; cur igitur concedit formam actu



resistere agenti pro instanti immediate antecedenti tempore, in quo agens agit, si verum est, pro illo instanti non verificari, quod agens agit, sed quod tempore immediato agat?

15. Aliter ergo à nobis respondendum est præfata objectioni. Nimirum, formam contrariam, quæ est in passio, resistere formaliter actioni contrarij agentis pro toto illo tempore, quo durat prædicta actio, & consequenter ex pulso prædicta forma ab ipso passio. Et cum obijciunt, pro illo tempore esse introductum aliquem gradum formæ agentis, & aliquem gradum formæ passio esse expulsum, &c. respondetur, falsum omnino esse, quod pro illo tempore, quo durat, tam introductio formæ agentis, quam expulso formæ passio, verificari possit, formam agentis (& cum proportione debita aliqua parsus) esse introductam, & formam, quæ est in passio esse expulsum; nam quod in Peripatetica doctrina verificatur, solum est, formam agentis actu introducti, & formam, quæ est in passio, actu expelli; & consequenter adesse utramque formam, licet in esse imperfecto, & viali, vñ ad sui perfectionem, & alteram ad sui corruptionem; imò addo, nunquam posse reperiri actualem repugnantiam, & resistantiam inter formas contrarias, nisi quando sunt in fieri, & statu viali, vna ad sui perfectio-

nem, & altera ad sui corruptionem; nam quando vna est in facto esse introducta, & alia expulsa, tunc non est pugna, neque resistantia, sed victoria vnius, & mors, seu corruptio alterius.

## QVÆSTIO II.

*Quo pacto actiuitas, & resistantia conueniant primis qualitatibus?*

**L**oquendo de actiuitate conueniunt omnes, non solum actiuitatem conuenire omnibus quatuor primis qualitatibus, sed etiam hoc ordine, quod calor sit magis actiuus, deinde frigus, postea humiditas, & tandem siccitas.

2. Et quidem actiuitatem conuenire, non solum calori, & frigori, (vt experientia omnibus notum efficit) sed etiam conuenire humiditati, & siccitati, probant etiam manifestæ experientie, quibus experimur, rem in humido positam humectari, & tandem putrescere; quod fieri non posset, nisi humiditas esset actiua. Et similiter rem ex nimia siccitate ex loco sicco contracta in tantum siccari, vt corrumpatur, quod etiam non posset contingere, nisi siccitas actiua esset.

3. Deinde actiuitatem conuenire prædictis primis qualitatibus ordine præscripto, probari potest, tam à priori, quam à

posteriori. A priori, quia actiuitas oritur ex perfectione qualitatis: ergo eo modo se habent istæ qualitates in actiuitate, quo se habent in perfectione; sed in perfectione ita se habent, quod calor sit omnibus perfectior, deinde frigus, postea humiditas, & vltimo loco siccitas: ergo eundem ordinem obseruabit in actiuitate. A posteriori colligitur, quia experientia, constat, calorem celerius omnibus agere, cæteris paribus, deinde frigus, postea humiditatem, & tandem siccitatem omnibus tardiores esse.

4. Longè difficilior est, assignare ordinem, quo conueniat his quatuor primis qualitatibus resistantia. Et difficultas non est de resistantia actiua; quia cum hæc resistantia (vt dictum est) idem sit, ac actio, qua vna qualitas reagit in contrariam, dicendū est consequenter, istas qualitates eundem ordinem habere in resistantia actiua, quæ habent in actiuitate; siquidem agendo resistunt, & consequenter, quæ fortius agit, fortius etiam resistit. Sed tota difficultas est de resistantia passiuæ, seu formali.

5. Sunt, qui affirmant, omnes quatuor primas qualitates resistantia passiuæ, seu formali æqualiter esse resiliuas; ita Petrus Martinez 1. de celo cap. 9. quæst. 9. Valesius controuersia 1. cap. 1. & fundamentum ipsorum est, quia existi-

mant, resistantiam passiuam, seu formalem consistere formaliter in informatione subiecti, per qualitatem contrariam; ex hoc ergo principio sic argumentantur, resistantia passiuæ, seu formalis consistit in informatione qualitatis contrariæ; sed omnes qualitates contrariæ æqualiter informant subiectum; ergo & æqualiter resiliuæ, & formaliter resiliuæ, seu sunt resiliuæ.

6. Sed nobis cum communi sententia duo statuenda sunt. Primum est, resistantiam passiuam, seu formalem non esse æqualem in omnibus quatuor primis qualitatibus, sed potius inæqualem, & ita quasdam esse magis resiliuas, quam alias; & probari potest contra auctores relatos.

7. Primò ex Aristotele, qui capite de qualitate, agens de secunda specie qualitatis (in qua continentur non solum qualitates innatæ ad facilius, vel difficulter agendum, vt sunt agilitas, vel torpedo ad currendum; sed etiam qualitates innatæ ad facile, vel difficile resistendum contrarijs, vt sunt durities, & molliities) docet hanc speciem appellari potentiam, seu impotentiam, non alia ratione (vt exposuimus in Logica cum communi sententia) nisi quia inter qualitates innatas, tam ad agendum, quam ad resistendum formaliter contrarijs, quædam sunt fortiores, & ideo dicuntur po-



rentia, quædam verò imbecilliores, & ideo dicuntur *imbecillæ*: sentit ergo Aristoteles inter qualitates formaliter resistentias contrariorum, quasdam esse efficaciores, quæ ideo merentur nomen potentia, vt *durities*; quasdam verò imbecilliores, quæ ideo nomen imbecillæ sortiuntur, vt *mollities*, quæ sunt exempla eiusdem Aristotelis, & consequenter resistentiam passiuam, seu formalem non esse æqualem in omnibus qualitatibus, sed potius inæqualem. 8. Item idem Aristoteles 4. Physicorum cap. 8. textu 71. docet medium magis dæsum; quia magis resistit diuisioni, magis retardare mobile, quam medium rarum, quod minus resistit diuisioni, & ideo cæteris paribus velocius fieri motum per ærem, quam per aquam; sed resistentia medij non est actiua, sed passiuæ, seu formalis, vt per se est manifestum: sentit ergo Aristoteles, resistentiam passiuam, seu formalem non esse æqualem, sed maiorem in vniis qualitatibus, quam in alijs. 9. Secundò probari potest, quàm pluribus experientijs, sed sufficit illa, quæ videmus ingens faxum aquæ resistere mouenti, vt non possit illud mouere; aliud verò non ita magnum, non ita resistere, sed moueri a suo loco: sed hæc resistentia faxi non est actiua, quia faxum in motum nihil agit, sed

passiuæ, seu formalis; non est ergo resistentia passiuæ, seu formalis equalis in omnibus qualitatibus, sed potius maior in vniis, quam in alijs.

10. Neque argumentum Petri Martinez, & Valleti oppositum probat; nam supponit falsum, scilicet, resistentiam passiuam, seu formalem consistere formaliter in informatione subiecti, quod resistit per qualitatem contrariam; licet enim ad hoc, vt aliquod subiectum dicatur resistere contrario agentis, simpliciter sit necessarium, quod sit informatum qualitate contraria ei, quam agens in ipsum infundere molitur; tamè hæc informatio non est formaliter resistentia (hoc enim cõpetit qualitati contrariæ, quæ inforatur) sed cõditio simpliciter requisita ad hoc, vt subiectum dicatur resistere per qualitatem contrariam in se receptam, quæ est in qua formaliter consistit resistentia passiuæ, seu formalis.

11. Secundò, quod statuumus cum communi sententia, est, resistentiam passiuam, seu formalem cõpetere quatuor primis qualitatibus hoc ordine, nimirum, quod quanto qualitas prima est minus actiua, tanto sit magis resistentia, & ita loquendo de resistentia passiuæ, seu formalis, sic citatè esse magis resistentiam, deinde humiditatem, postea frigiditatem, & vltimo loco calorem: & probari potest.

12. Primò ex Aristotele, qui 2. libro de generatione ait, calorem, & frigus esse qualitates actiuas; humiditatem verò, & siccitatem esse qualitates passiuas; non quia actiuæ non sint, nam esse actiuas, constat experientia, vt supra visum est; sed quia (vt communiter interpretantur auctores) sunt minus actiuæ, quam calor & frigus, & multo magis resistentiæ resistentiæ passiuæ, seu formalis.

13. Secundò probatur ex ordine, & dispositione vniuersi, quod constat esse compositum ex elementis contrarijs, ex quibus etiam generatur mixta contraria, & ita ferè omnia corpora sunt in perpetua pugna, & contrarijs circumseptæ; sed quædam illorum qualitates sunt magis actiuæ, ergo necesse est, vt alia participant qualitates, quæ etsi sint minus actiuæ; sint tamen magis resistentiæ, vt sic possint se defendere, & conseruari; nam si maior actiuitas agentium non competeretur per maiorem resistentiam formalem eorum, quæ patiuntur, absque dubio consumerentur ab eis, & sic corruerent dispositio naturalis huius vniuersi.

14. Tertiò, & est ratio à priori; quia sicut resistere agendo arguit perfectionem, & ideo perfectiorem resistentiam actiuam tribuimus perfectiori, & magis actiuæ qualitati: ita resistere nihil agendo, sed quasi

passiuè se habendo, & adherendo ipsi subiecto arguit imperfectionem: ergo maior resistentia ex his tribuenda est imperfectiori, & minus actiuæ qualitati, qualis est siccitas, & secunda post hanc humiditati, quæ in imperfectis secundum locum habet, & sic de reliquis.

### QUESTIO III.

*Vtrum ad agendum debeat esse maior actiuitas agentis, quam resistentia passiuæ?*

1. PRO intelligentia tituli quæstionis, & æquiuocatione auferenda, annotare oportet, actiuitatem agentis ad tria posse comparari. Primò ad effectum, quem præstare potest, quo pacto comparata duo dubitari solent; primum, an agens possit producere effectum sua virtute agendi perfectiorem; Quam dubitationem latè expèdimus 2. Physicorum disp. 4. q. 7. circa illam difficultatem, primum accidentia possit effectiue attingere productionem substantiæ. Secundum, an agens saltem per accidens id prestare possit; scilicet, vel ratione maioris, seu densioris materiæ, vel ratione antiparitalis, seu obfessionis contrariorum, vel ratione reflectionis sui effectus, quas difficultates absoluemus quæst. 4. 5. & 6. huius disputationis. Secundò comparari potest ad subiectum, in quod agit, quo pacto comparata grauis



difficultas exagitari solet, an, scilicet, agens per propriam virtutem, saltem equivoce possit agere in se ipsum, seu quod idem est, an aliquid possit moveri à se ipso, quam difficultatem late discussimus, tam 7. Physicorum disp. vnica quæst. 1. & 2. quam 8. Physicorum disp. 3. quæst. 1. explicando illud Aristotelicum axioma, *Nihil mouetur, nisi à se primo; omne quod mouetur, primo ab alio mouetur;* & similiter illam grauem quæstionem, *utrum grauius, & leuius moueantur à se ipsis?* Tertiò comparari potest ad resistantiam passi, quò modo comparata, duæ difficultates insurgunt, eo quòd resistantia (vt ex dictis constat) duplex est, vna actiua, & alia passiuæ, seu formalis. Si compararetur ad resistantiam actiuam, cum hæc non resistat immediatè actioni agentis, sed mediatè, & in quantum passum reagèdo in agens, debilitat eius virtutem agendi, difficultas, quæ insurgit, est illa, quam quæst. 7. & vltima huius disputationis proponemus, an, scilicet, *omne agens, dum agit reparatur à suo contrario?* Si verò compararetur ad resistantiã passiuam, seu formalem, quæ est, per quam passum immediatè resistit actioni agentis, difficultas, quæ insurgit est, quam inquiri præsens quæstio, scilicet, an ad hoc, vt agens agat in contrarium, requiratur maior virtus actiua in agente, quàm est resistantia passiuæ, seu formalis in passo contrario?

Quæ quæstio alijs verbis solet proponi, scilicet, an actio semper fiat à proportione maioris inæqualitatis? Sed in idem incidit, nam fieri actionem à proportionem maioris inæqualitatis, nihil aliud est, quàm quòd virtus agētis, & resistantia præsenti ita sint inæquales, vt illa maior sit, & ista minor; sicut est contra actionem fieri à proportione minoris inæqualitatis, nihil aliud importat, quàm quòd virtus agētis, & resistantia passi ita sint inæquales, vt illa sit minor, & ista maior.

2. Prima sententia distinguit duplicem actionem, vnam, per quam agens vincit passum destruendo totam qualitatem contrariam in eo existentem, quam propterea auctores istius sententiæ ipsam appellant victoriosam; & aliam, per quæ agens non vincit passum simpliciter, destruendo totã qualitatem contrariã in eo existentem, quæ est, per quæ formaliter resistit, sed solū aliquè gradum intensionis eius, vel aliquã partem eius, quæ propter exiguitatē citò recuperatur à contrario, vel recuperari potest; & idè ab his auctoribus actio nō victoriosa appellatur. Hac distinctio facta, respondet ad propositã quæstionem, quòd ad actionē victoriosam, requiritur semper maior actiuitas in agente, quàm sit resistantia formalis in passo: at verò ad actionē nō victoriosam nō requiritur, sed posse agēs paræ actiuitatis agere prædictã actionem

in

in passum habens maximã resistantiã. Ita Burleus 3. Physicorū à textu 16. quòd refert, & sequitur Toletus 1. de generatione, q. 13. & q. 15. ad 1. Vallesius controuersia 44. ad tyrones.

3. Probant suam sententiam ratione, & experientia. Ratione, quia si ad actionem requiritur maior actiuitas in agente, quàm resistantia in passo, sequeretur non posse dari mutuum actionem, & reactionem inter agens, & passum, cuius oppositum cum cōmuni sententiã statui-mus infra, q. 7. Sequela patet, quia si agens ad hoc, vt agat in passo, debet supponere illud esse inæquale, & inferius sibi: ergo tale passum non poterit reagere in ipsum agēs, quia inferius est illo; vel si agit, aliqua actio dabitur à proportione minoris inæqualitatis, quod est intentum.

4. Experientia probant, quia guttæ cadentes excauant lapidem, cuius maior est resistantia, quàm actiuitas gutturum cadentium; & idem exemplificari potest in formica sæpè mora super eum.

5. Dicendū nihilominus nobis est, ad omnē actionē requiri semper maiore actiuitatem in agente, quàm sit resistantia formalis in passo: est cōmunis sententiã inter recentiores, inter quos sunt Rubius hîc q. 3. num. 72. Murta disput. 4. q. 5. Ioannes à Sancto Thoma q. 5. art. 3. Patres Carmelitani disp. 8. q. 3. 6.

3. & citant pro ipso D. Thomam, & ipsam amplectitur Niphus hîc commentò 195. q. 3. 6. Probat primò; quòd resistentiã formalis passi est æqualis actiuitati agentis, nō sequitur actio: ergo multò minùs sequitur potent, quànò resistantiã est maior; consequentiã est euidens, antecedens patet, quia si tantū resistit passum, quantum agēs agit, nō superabitur ab illo, cū proportione debita, nec totaliter, nec partialiter: ergo neque in illud agit; nam si in illud ageret, superaretur ab illo.

7. Secūdo, dum agens per suã actiuitatē introducit formã in passum, & expellit partem, seu gradum formæ contrariæ existentis in passo, absque dubio vincit illud partialiter, id est, secundū illam partem, seu gradum formæ oppositæ, quæ expellit: ergo resistantia formalis, qua passum resistebat agenti, ne introduceret illam formam, non fuit maior, quàm actiuitas agētis; patet consequentiã, quia si fuisset maior, ita resisteret, vt non fineret se vinci.

8. Ex quo colliges, friuolam esse distinctionem illam, qua vtuntur auctores primæ sententiæ de actione victoriosa, & nō victoriosa, quia dū passum, v. g. frigidum, vt quatuor, reagit in calidū, vt octo, certū est producere in illud aliquem gradum frigiditatis, & per illã formaliter expellere à calido, vt octo, aliquem gradum caloris, &

COR



consequenter vincere secundum gradum calidum ut octo, & ideo actionem frigefaciendi appellari victoriam respectu calidi, ut octo, licet non absolute, saltem respectu illius gradus caloris, cum quo pugnant superavit.

9 Ad rationem in contrarium negamus sequelam, & ad eius probationem dicimus, ex nostra sententia solum sequi agens debere esse superius passio, non absolute, sed solum secundum illum gradum, in quo vincit illud. Constat autem calidum, ut octo, esse absolute sit superius frigidum, ut quatuor; tamē attendendo solum ad illum gradum, in quo vincitur à frigido, esse sanè frigidum inferius, ac per consequens posse optime inter calidum, ut octo, & frigidum, ut quatuor, esse mutuam reactionem, & repulsionem, si non absolute, sed secundum diuersas rationes assignatas comparatur, non secus, ac est mutua ratio superioris inter illa. Ex quo patet, deceptionem auctorum primæ sententiæ in eo consistere, quod existimant, agens secundum omnes suas partes, seu gradus actu resistere formaliter reactioni passio in ipsum, esse vera actu non resistat formaliter, seu passio, nisi secundum illas partes, seu gradus, quos passum regens molitur expellere ab agente, iuxta exigentiam graduum formæ contrariæ, quam passum reagens inducit in illud.

10 Quod si objicias; agens actu non agit secundum unum, vel alterum gradum, sed secundum omnes, & per modum unius: ergo similitur passum actu, non resistit formæ contrariæ secundum unum, vel alterum gradum, sed secundum omnes, & per modum unius. Respondeo negando contententiam; est enim dispar ratio; nam agens cum agat in genere causa efficientis, & intus per omnes gradus illius sint efficienter actui, quid mirum, quod omnes simul, & per modum unius concurrant ad agendum? At passum, cum solum resistat formæ contrariæ, quæ in ipso introducit in genere causæ formalis, solum potest ei resistere secundum illum gradum, qui est cum illa forma contrariæ, quæ introducitur in composibilibus. Unde cum in formis, quæ sunt diuisibiliter oppositæ, forma contrariæ, quæ introducitur de nouo, non introducatur tota simul, sed successiue, & per additionem successiuam gradus ad gradum; hinc est, ut forma contrariæ præexistens in passio actu non resistat ei formaliter secundum omnes eius gradus; seu solum secundum illos, qui non possunt simul comparari in eodem subiecto cum gradibus formæ contrariæ, qui de nouo introducuntur.

11 Ad experientias eodē modo respondetur, videlicet, quod

etiam si resistentia totius lapidis sit maior, quam actiuitas guttæ aquæ sæpe cadentis, & formicæ sæpe deambulantis super illum; tamen resistentiam parue illius quantitatis lapidis, quæ humectatur à guttis aquæ, & à deambulatione sæpe repetita formicæ, non esse maiorem; aliàs nullo modo excavaretur.

12 Sed dubitant recentiores, an iste excessus actiuitatis agētis supra resistentiam formalem passio, quem dicimus requiri, necessarius ad actionem, debeat esse determinata quantitatis? An vero sufficiat qualicumque? Rubius loco citato, quæst. 4. quem aliqui sequuntur docet debere esse determinatam quantitatis, neque quemcumque sufficere; & citat pro sua sententiâ Diuum Thomam 1. 2. quæst. 5. artic. 6. ad 2. ubi docet non omnia, quæ sunt calefacta, vel illuminata, posse alia calefacere, & illuminare, aliàs calefactio, & illuminatio procederet vsque in infinitum.

13 Fundamentum eius est, quia si qualicumque excessus actiuitatis supra resistentiam passio sufficeret ad actionem, sequeretur agentia naturalia ab intrinseco non habere spheram suæ actiuitatis determinatam; sed solum ab extrinseco determinari in sua actiuitate, quod non solum est contra omnes philosophos, sed etiam contra

naturam naturalis agētis, quod cum finita virtutis sit, ab intrinseco petit, finitè, & determinatè agere; imò est contra manifestam experientiam, quæ videmus corpus luminosum, in illuminatione habere determinatam spheram suæ actiuitatis, quæ determinatio, cum non possit ei provenire ab extrinseco; quia lux non habet contrarium, quod ei possit resistere; & intus subiectum tenebrosum non habeat in se similem qualitatem, necessarium fatendum est, hanc determinatam spheram agentis ei competere ab intrinseca sua entitate, quæ, cum finita sit non solum in esse, sed etiam in actiuitate, petit etiam, finitum, & determinatum effectum producere.

14 Nobis autem (si consequentes esse volumus his, quæ cum Scoto, & quam pluribus alijs statimus libro 1. Physicorum disp. 5. quæst. 5. scilicet, inanimata homogenea, ut sunt ignis, & aqua, &c. ab intrinseco, & ratione suæ formæ, non expossere, neque ad suam generationem, neque ad suam conseruationem, terminum intrinsecum paruitatis, ac per consequens posse ex se, & seclusis contrarijs, quibus circumstant, generari, & conseruari in minori, & minori quantitate vsque in infinitum: & similiter his, quæ loco citato quæst. 6. cum eodem Scoto, & pluribus alijs



alijs statuimus loquedo de intensione qualitarum, scilicet, qualitates in sua intensione nō habere, quantum est ex se, & natura sua, terminum intrinsecum suæ paruitatis, sed posse produci, quantum est ex se, in minori, & minori intensione vsque in infinitum) dicendum est primò, excessum actiuitatis agentis supra resistentiam passivi, quam dicimus necessariò requiri ad actionem, ex se, & natura sua non esse determinatum, neque in sua paruitate habere terminum intrinsecum; ac per consequens dato quocumque excessu diuisibili, minori, & minori vsque in infinitum, posse agens, quantum est ex natura intrinseca huius excessus, agere in passum actione prædicto excessui proportionata. Hęc conclusio est de mente Scoti, & aliorum, qui cum ipso tenent, neque in inanimatis homogeneis, neque in intensione qualitarum versus paruitatem dari terminum intrinsecum; & probari potest.

15 Primò, quia si verum est id, quod cum Scoto, & alijs auctoribus locis citatis statuimus, scilicet, inanimata homogenea, & similiter qualitates in sua intensione non ex postulare terminum intrinsecum paruitatis, neque ad suam productionem, neque ad suam conseruationem; sed posse generari, & conseruari, quantum est ex natura sua, & seclusis extrinsecis,

in minori, & minori quantitate vsque in infinitum. Profectò necessarium erit asserere, neque etiam excessum illum virtutis agentis supra resistentiam passivi, necessariò requisitum ad agendum in illud, habere terminum intrinsecum suæ paruitatis; sed posse agens per excessum diuisibilem minorem, & minorem vsque in infinitum, quantum est ex intrinseca ratione eius, agere, seu producere in passum certum minorem, & minorem vsque in infinitum, tali excessui proportionatum; quis hoc negabit?

16 Secundo, quia per quemcumque excessum actiuitatis agentis supra resistentiam passivi constituitur agens superius ipso passivo: ergo per illum, qualicumque sit, dummodò sit diuisibilis, poterit agens superare passum, seu in illud agere, quantum est ex se, & seclusis omnibus extrinsecis.

17 Tertio, quia si ad agendum in passum requireretur, quod excessus actiuitatis agentis supra resistentiam passivi, esset ex se, & ab intrinseco determinatus; sequeretur, quòd in puncto reflectionis ascensus lapidis proiecti per medium non repleto aliquo corpore, sed vacuo, daretur quies priuatiua, seu temporalis, cuius oppositum cum Scoto stabiluimus 8. Phisicorum distib. 2. quæst. 6. Sequela patet, quia in tempore, quod immediatè sequitur ad in-

instans, in quo verificatur, impulsus, quo ascendebat lapis, ad aquare grauitatem illius, & sic non posse lapidem magis ascendere, non poterit lapis excedere impulsus ex cessu determinato, & cōsequenter, nec descendere, si ad motum, seu actionem requiritur necessariò, & intrinsecè, & in virtute mouentis, seu agentis ex cessu determinatus.

18 Ad fundamentum Rubij negamus sequelam, & ad probationem fatemur libentissimè, & agentia naturalia ab intrinseco habere spheram determinatam suæ actiuitatis, quia sicut in sua entitate sunt finita, & determinata; ita & in sua actiuitate. Tamè quod ex hoc inferitur, solum est, non posse agentia naturalia protendere, suos effectus ultra spheram suam suæ actiuitatis, sed habere, versus magnitudinem terminum intrinsecum; aliàs (vt dicebat D. Thomas) protenderent suum effectum vsque in infinitum. Tamè quod intra spheram suæ actiuitatis nō possint producere effectus minores, & minores vsque in infinitum; sed habere terminum intrinsecum paruitatis, vnde quæso inferatur: Supposito, quòd tam effectus huius actiuitatis, quàm ipsa actiuitas sunt cōtinua, & cōsequenter diuisibilia in partes proportionales minores, & minores vsq; in infinitum.

19 Dicendum est secundo, per accidens (scilicet, ratione di-

statiæ, quæ reperitur inter agēs, & passum, quando nō sunt penetrata) excessus actiuitatis, qui supra resistentiam passivi requiritur ad agendum in illud, necessariò est determinatus versus paruitatē, nec potest agens ratione illius agere in passum in minori, & minori quātitate illius excessus vsque in infinitum; ita cōmuniter auctores: & ratio a priori est, quòd approximatio agentis ad passum est conditio simpliciter necessaria ad agendum, adeò, vt quanto agēs distat à passivo, tanto maiorē actiuitatē requirit ad illud attingendum, vt experientia demonstrat, & suadet illud axioma inter Philolosophos receptum, *Agens naturale fortius & intensius agit in propinquum, quàm in remotum*. Igitur dari potest in agente excessus actiuitatis supra resistentiam passivi, ita paruus, vt licet per ipsum posset agere in subiectum, nullo modo distans; sed potius cum ipso eodem loco penetratum; non verò in subiecto existens in diuerso loco, etiam si sit contiguo loco ipsius, eo quòd illa distantia maiorem obicem ponit ad agendum, quam sit excessus actiuitatis agentis.

20 Sed dubitabit aliquis, an iste excessus determinatus, què dicimus esse necessarium in actiuitate agentis ad agendum in passum sibi non penetratum, sed loco distans, sit determinatus intrinsecè, & vt dici solet, *per minimū quod sit*; an verò extrinsecè,



& ut dici solet, *per maximum quod non* Respondetur, quod in actionibus successivis, & quae sunt inter contraria divisibiliter opposita, quae sunt, de quibus nunc disputamus, solum debet esse excessus determinatus extrinsecus, & *per maximum quod non*, ita ut verum sit dicere, cum isto excessu activitatis non potest agens naturale operari in subiectum sibi distans, cum maiori autem poterit: cuius ratio est, quia hoc pacto, actio successiva potest incipere esse extrinsecus, & per ultimum sui non esse, qui est modus incipiendi successivorum, non vero si requireretur excessus determinatus intrinsecus, & *per minimum, quod sic*.

#### QVÆSTIO IV.

*Vtrum simile possit agere in simile?*

**E**X dictis in Logica cap. de relatione disp. 2. q. 1. sect. 1. circa relationes primi generis constat, non ideo appellari aliqua propria similia, quia participant qualitates eiusdem speciei; sicuti neque dicuntur æqualia, quia participant eiusdem speciei quantitates, sed quia participant qualitates non solum eiusdem speciei, sed etiam eiusdem intensiois; sicuti & æqualia, non solum, quia participant quantitatem eiusdem speciei, sed etiam eiusdem intensiois. Unde cum in hac

quaestione inquirimus, vtrum simile possit agere in simile, sensus quaestiois erit, vtrum vnum possit agere in aliud, quod participat, non solum qualitate eiusdem speciei, sed etiam eiusdem intensiois, v. gr. calidum, vt quatuor in aliud calidum, vt quatuor; nam si vnum exuperat aliud in gradibus intensiois, vt contingit in calido, vt tres, nulli dubium, quod ceteris paribus, calidum, vt quatuor possit agere in calidum, vt tres, non obitante, quod participant qualitatem eiusdem speciei. Potest autem hæc quaestio in duplici sensu exagitari. Primum solum attendendo ad id, quod duobus similibus convenit per se, & ex natura sua. Secundum attendendo ad id, quod convenit duobus similibus per accidens, scilicet, ratione maioris quantitatis, vel densitatis agentium, & in utroque sensu sigillatim est examinanda.

#### SECTIO I.

*Explicatur, an simile per se, & ex natura sua possit agere in sibi simi. c.*

**2** Communis consensus Philosophorum est, in eo, vt axioma inter ipsos receptum, simile per se, & ex natura sua non possit agere in omnino simili simile, id est, in id, quod non solum participat qualitatem eius-

eiusdem speciei, sed etiam eodem gradus intensiois, quod receperunt ex Aristotele hic cap. 7. vbi non solum docet simile non posse agere, nec pati ab alio omnino simili, & vnde quaque indifferenti, sed etiam à posteriori demonstravit. Primum, quia si simile potest agere, vel pati ab alio omnino simili, & vnde quaque indifferenti, non posset assignari ratio, cur hoc simile agat in aliud, & aliud patiatur, & non e contra, cum vtriusque eadem sit ratio. Secundum, quia si simile posset agere, & pati ab alio omnino simili, & vnde quaque indifferenti, sequeretur, quod idem posset actione vniuoca agere, & pati à se ipso. Et ex hoc secundo inconuenienti colligit tertium, nimirum, quod nihil esset incorruptibile, aut immobile, quia omne moueret, & corrumpere se ipsum: verba Aristotelis textu 48. sunt, *Simile enim, & vnde quaque indifferenti rationabile est, non pati à simili aliquid. Cur enim magis alterum erit actiuum, quam alterum? atque si à simili pati aliquid possibile est, & ipsum à se ipso, & c.*

**3** Et ratio à priori est, quia ad actionem & passionem vniuocam (quae est de qua nunc agimus) simpliciter necessariū est, quod agens sit in actu formali, & patiens in potentia formali. Nam si vtrumque est in actu formali, vel in potentia formali, impossibile erit, quod vnum

agat in aliud actione vniuoca; alias, vt rectè intulit Aristoteles, idem posset agere in se ipsum actione vniuoca; imo posset generare, vel corrumpere se ipsum, quae sunt absurda. Sed si duo similia non solum in qualitate, sed etiam in gradibus intensiois ad inuicem comparentur, v. gr. calidum, vt quatuor ad aliud calidum, vt quatuor, ceteris paribus, & vnde quaque indifferentibus vtrumque respectu caloris, vt quatuor est in actu formali: ergo impossibile erit, quod actione vniuoca vnum agat, vel patiatur ab alio, vel e contra, si cetera sint paria, & vnde quaque indifferentia.

**4** Dices: licet vnum calidum, vt quatuor non sit in potentia formali, sed potius in actu respectu caloris, vt quatuor, esse tamen in potentia respectu caloris, vt sex, & c. vsque ad octauum. Bene quidem; sed ego idem affirmo de altero calido, vt quatuor, scilicet, quod etiam non sit in potentia formali, sed potius in actu respectu caloris, vt quatuor, esse tamen in potentia formali respectu caloris, vt quinque, vt sex, & c. vsque ad octauum: ergo vtrumque respectu caloris, vt quinque, vt sex, & c. erit in potentia formali, & nullum in actu: ergo nullum poterit agere in alium calorem, vt quinque, vt sex, & c. patet conuenientia; quia non minus repugnat, quod.



quod vnū agat in aliud, quando vtrumque est in potentia formalis respectu effectus, ac quando vtrumque est in actu formalis; nam vt dictum est, ad actionem, & passionem vniuocam simpliciter requiritur, quod respectu effectus, si vnum est in actu formalis, aliud sit in potentia, vel e contra, quod si vnum sit in potentia formalis, aliud sit in actu. Neque ad hoc necessarium est, recurrere ad inæqualitatem, seu heterogeneitatem graduum intensiōnis (vt aliqui sibi suadent) nam etiamsi gradus intensiōnis homogenei sint (vt nos asserimus) constat ex dictis supra disput. 3. quæst. 5. à num. 21. calorem, v. gr. vt duo, etsi possit pluries producere in diuersis subiectis, non habentibus calorem, vt duo, aliquem gradū caloris, repugnare tamen illi in subiecto habente calorem, vt duo, producere aliquē gradum caloris, etiam minimum; recolantur ibi dicta.

## SECTIO II.

*Explicatur, an saltem per accidens possit simile agere in sibi simile?*

5 Simile posse agere in omnino sibi simile, saltē per accidens, scilicet, in casu, quod quantitas agentis, vel densitas suæ materiæ sit maior, quàm quantitas, vel densitas materiæ

patientis, affirmant aliqui auctores; Toletus hic quæst. 3. & Niphus commēto 195. quæst. 2. Marfilus quæst. 18. & Sotus 2. Physicorum quæst. 4. conclusione vltima. Et fundamētum ipsorum est, quia maior quantitas in agente, & similiter maior densitas iuuant ad agendum: ergo poterit agens maioris quantitas, vel magis densam agere in aliud, etiamsi habeant qualitatem eiusdem speciei, & eiusdem intensiōnis; & consequenter sit ei omnino simile, dum modo sit maioris quantitas, vel minoris densitatis. Antecedens quoad vtramque partem probat.

6 Primò ex Aristotele, qui 8. Physicorum docet, in maioris magnitudine esse maiore virtutem actiuam, & hoc principio nixus 3. Physicorum cap. 5. textu 42. dixit, quod si vnum elementum esset infinita mollis, cōuerteret in se omnia alia elementa. Item 1. Metaphysices ait, virtutem vnitam fortiolem esse se ipsa dispersa: cōstat autem in materia densa virtutem agendi esse vnitam, & in materia rarefacta esse dispersam.

7 Secundo probant varijs experientijs. Prima, ferrum candens producit in stupa calorem, vt octo; quia producit in ea formam ignis, quæ sine calore, vt octo non reperitur; sed ferrum candens, cum non sit ignis, sed ferrum, non habet

ca-

calorem, vt octo: ergo ratio cur potens sit producere calorem, vt octo, & consequenter sibi simile superare, est densitas ferri, & raritas stupæ.

8 Secūda experientia est duorum luminosorum æqualis intensiōnis, quæ simul applicētur eidem diaphano, magis illud illuminant, quàm quodlibet seorsim; iuvat ergo maior quantitas, seu multitudo agentium ad agendum, & eadē experientia plurimorum hominū æqualis fortitudinis portatūm lapidem magni ponderis, quem nullus seorsim portare valet.

9 Tertia experientia desumitur ex radijs solaribus, qui transeunt per speculum, producunt in corpore extra speculū posito calorem ad generationem ignis requisitum ratione densitatis speculi, in quo aduuantur, quem calorem nō produciūt, sed valde remissiolem, quando per speculū non transeunt; iuvat ergo densitas materiæ ad fortius, & intensius operandum. Omitto plures alias experientias, quia eadē difficultatem attingunt, & quia non sunt desumptæ ex agentibus vniuocis, sed æquiuocis, & idē non sunt ad rem; nam agens æquiuocum non agit in simile, sed in dissimile.

10 Econtrario verò Auctena 7. Metaph. cap. 3. Gregorius in 1. diu. 17. quæst. 4. art. 2. Paulus Venetus in summa de generatione cap. 3. Suarez 1. to-

mo suæ Metaph. disp. 8. sect. 9. num. 2. & plures alij, quos referunt, & sequitur hic Rubias quæst. 5. & Mureia de la Llan a disput. 4. quæst. 2. sustinent, in nullo casu, & in nullo euentu posse contingere, quod agens vniuocum agat in sibi omnino simile, id est, non solum in qualitate, per quam agit, sed etiam in gradibus intensiōnis.

11 Fundamentum est, quia nec maior quantitas, neque maior densitas materiæ in agentibus sunt rationes formales agendi, sed hoc solum competit eis à formis, per quas agunt: ergo quando agens est simile passio, non solum in forma, per quam agit, sed etiam in gradibus intensiōnis prædictæ formæ, etiamsi sit dissimile in quantitate, & densitate, non poterit agere in illud, seu intendere illius formam.

12 Ego verò ex illiusmodi cōtroversiam istorum auctorum solum posse consistere in explicando, quo modo maior quantitas, vel maior densitas in agente adiuvent illud ad agendum; nam aliquo modo illud ad agendum adiuuare, à nullo negari potest; cum manifestè hoc conuincant, tam auctoritates Aristotelis, quàm experientia, quæ pro prima sententia adductæ sunt.

13 Auctores primæ sententiæ, etsi nō negēt, id, quod auctores secundæ sententiæ supponunt in suo fundamētō, scilicet, neque

\*

Q ma



maiolem quantitatem, neque maiolem densitatem materię in agentibus esse rationes formales agendi; sed hoc solum conuenire formis, per quas agunt; dicunt nihilominus formas, quę in agentibus sunt rationes formales agendi, ex maiori quantitate, vel densitate materię accipere maiolem virtutem ad producendum in passivo effectum maioris intensio- nis, ac est intensio, quam in se habent, & consequenter ad agendum, seu intendendũ subiectũ omninõ sibi simile, tam in qualitate, quã in gradibus intensio- nis.

14 Sed hic modus explicandi, quomodo maior quantitas, vel maior densitas in agente adiuuet illud ad agendũ, auctioribus secundę sententię nõ placet, & merito quidem; quia si maior quantitas, vel maior densitas materię in agente non sunt rationes formales agendi (vt ipsi etiam fatentur) quomodo poterunt tribuere agenti maiolem, seu intensiorem virtutem formalem agendi? cum nemo possit alteri prestare in genere causę formalis, quod in se formaliter non habet.

15 Item si secundũ ipsos maior quantitas, vel densitas causant in agente maiolem, seu intensiorem virtutem formalem agendi, non recte inferunt, simile posse agere in omninõ sibi simile ratione maioris quantitatis, vel densitatis; nam po-

tius, quod inferunt est, adhuc ratione maioris quantitatis, vel densitatis non posse agens agere in subiectum omninõ sibi simile; nam etiãsi ratione maioris magnitudinis, vel densitatis agens agit in passum, in quod aliàs non ageret ob omnimodam similitudinem, hoc prouenit in ipsorũ principijs; quia cum maior quantitas, vel densitas causent in agente maiolem, seu intensiorem virtutem formalem agendi, tollitur ob eam omnimodo similitudinis inter agens, & passum, cũ non remaneant similia, saltem quoad gradus intensio- nis.

16 Aliter ergo explicandum est, quomodo maior quantitas, vel maior densitas in agente adiuuet illud ad agendũ? Et respondemus (omissis varijs alijs modis, qui adducuntur à recentioribus non parum confusis) magnitudinem iuuare; quia cum in agente magnę molis, siue continuę, siue discretę, sint plures partes aliquotę, & determinatę, non solum materiales, sed etiam formales, quã in agente paruę molis, etiam erunt in illo plures partiales virtutes agendi aliquotę, & determinatę, vt expressè docuit Aristoteles loco 8. Physicorum numero 6. citato; quę partiales virtutes, siue sint continuę, siue sint discretę, si simul, & per modum vnus concurrant ad agendum, absque dubio (vt experientię adductę pro

pro prima sententiã ad oculum ostendunt) producant ratione suę multitudinis effectũ maiolem, quã intensio cuiuslibet ipsarũ exposulatur. Vnde merito dixit Aristoteles loco 3. Physicorum numero 6. citato, quõd si vnus ex elementis esset infinitę molis, cõuenteret in se omnia alia elementa, nõ vtique ratione perfectionis, seu virtutis intensiuę; quia hæc finita esset, sed ratione perfectionis, seu virtutis extensiuę, quę in dicta hypothesi infinita foret.

17 Rursus, cum istę plures virtutes partiales, quę reperiuntur in agente magnę molis, siue continuę, siue discretę sint, non existant in eadem, sed in diuersis partibus subiecti, indigeant vtique ad hoc, vt simul, & per modum vnus agētis totalis concurrant ad effectum; debita approximatione locali, tam inter se, quã ad passum, ad eõ, vt quanto magis fuerint, tam inter se, quã ad passum localiter approximata; tanto magis erunt proportionata ad hoc, vt simul, & per modum vnus agentis totalis concurrant ad effectum, iuxta illud Aristotelis assertum, num. 6. citatum, *Virtus vnica fortior est se ipsa dispersa*, & aliud satis vulgare, *singula, quę non profunt simul, collecta in vni*: & insuper, cum per condensationem virtutes istę sint magis inter se loco approximata, ac essent per

rarefactionem; hinc fit, vt cõdensatione istarũ virtutum partialium multum iuuet ad agendum; non quia cõdensatione auget virtutem agendi ipsarum, sed quia est causa, ob quam istę virtutes partiales sint magis loco approximata, & consequenter magis apte ad hoc, vt simul, & per modum vnus agentis totalis ad productionem effectus concurrant.

18 Ex his facillè ad difficultatem in ista sectione propositam directè respondemus, simile posse agere in passum, tam in qualitate, quã in gradibus intensio- nis omninõ simile, saltem per accidens, scilicet, ratione maioris extensionis partium formalium, quę sunt virtutes agendi, & maioris approximationis localis ipsarũ (qualis est, quę fit per condensationem) requisitę ad hoc, vt simul, & per modum vnus agētis totalis omnes concurrant ad effectum. Hoc assertum ma- nifestè probant, tam auctoritates Aristotelis, quã oculares experientię pro prima sententiã adductę.

19 Solum aduerto: ne quis reputet hoc assertum esse contrarium alterius, quod cum Aristotele, & communi sententiã in prima sectione huius quęstionis statuimus, scilicet, simili per se, & ex natura sua competere non posse agere, seu pati à sibi simili, ductus fortasse



illo communi axiomate, quādo aliquid conuenit alicui per se, eius oppositum, neque per se, neque per accidens potest illi conuenire; nam Aristoteles (& nos cum ipso) verbis num. 2. citatis loquutus est, non de qualicumque simili, sed de simili omnino, & vnde quaque indifferenti: verba Aristotelis sunt, *Simile enim, & vnde quaque indifferens rationale est, non patitur simili aliquid, &c.* Vnde sicut nihil prohibet, quod aliqua omnino similia in ratione specifica qualitatis vnū agat in aliud, si aliās sint dissimilia in gradibus intensiōnis; ita nihil prohibet, quod aliqua omnino similia, non solum in ratione specifica qualitatis, sed etiam in gradibus intensiōnis, vnū agat in aliud; si aliās sint differentia in gradibus extensiōnis, vel approximationis localis (qualis sit per condensatiōem) requisitā ad hoc, vt omnes simul, & per modum vnus agentis totalis concurrant ad effectum; nam etiam si sint omnino similia, sed non vnde quaque indifferētia, quā est etiam conditio ab Aristotele requisita ad hoc, vt vnū simile per se, & ex natura sua non possit agere, vel pati

ab alio.

### QVÆSTIO V.

*Verum agens possit producere effectum omnino sibi similem?*

**I** NON est sermo de agente æquiuoco, quia agēs æquiuocū, eo ipso, quod æquiuocum est, non potest effectum sibi similem producere in ratione specifica. Neque etiam est sermo de similitudine in perfectione essentiali, & specifica. Quia certum est, vnū quodque agens vniuocū, siue substantiale, siue accidentale sit, eo ipso quod vniuocum, debere producere effectum sibi similem in perfectione essentiali, & specifica, vt homo hominē, leo leonē, calor calorem, &c. sed solū est sermo de agentibus accidentalibus, quæ agunt per formas intensibiles, & remissibiles, vt sunt solæ qualitates; vtrum, scilicet, huiusmodi agentia possint producere effectum omnino sibi similes, id est, nō solū in perfectione essentiali, & specifica, sed etiam in perfectione graduuali, seu intensiōnis, v. gr. vtrū calor, vt quatuor possit in subiectum sibi contiguum producere calorem, vt quatuor?

2. Non desunt, qui affirmant, hoc esse naturaliter possibile, & probari potest; primo, quia virtus agentis accidentalis secundum omnem intensiōnem, quam habet, est actiua, & productiua sui similis; ergo cum

agat

agat secundum ferotam naturaliter, & ad vitium de potentia, poterit producere effectum omnino sibi similem in gradibus intensiōnis.

3. Secundō, calor, vt octo est dispositio necessaria ad generationem ignis: ergo calor, vt octo existens in igne producit in ligno sibi contiguo calorem, vt octo, qui est effectus, ei omnino similis in gradibus intensiōnis, prius, quam ignis introducat in prædicto ligno formam ignis.

4. Tertio, quia si calidum, vt octo non potest producere in ligno sibi contiguo octauum gradum caloris, sed inferiores ad illum, sequeretur, octauum gradum caloris non esse actiuum, quod falsum est; sequela patet. Nam si esset actiuus, produceret absque dubio gradum sibi similem, sicut producut alij gradus inferiores.

5. His non obstantibus dicendum est primo, si agens, & passum non sint penetrata (vt naturaliter contingit) etiam si sint contigua, non potest agens producere effectum omnino sibi similem in gradibus intensiōnis. Hoc asseruū est ferē commune inter remotiores. Ratio à priori est, quia, vt experientia docet, agēs naturale fortius, & intensius operatur in partes subiecti sibi propinquiores, quam in remotiores; vnde ortū est illud axioma inter Philosophos receptum, & fatistritum, agens naturale agit

in partes subiecti proximiores, & distantes vniformiter, distormiter, id est, imprimēdo in omnes partes formam eiusdem speciei, sed maioris intensiōnis in partes proximiores, quā in distantes: sed quando subiectū, circa quod operatur, nō est ipsi penetratū, licet sit cōtiguū, nulla potest assignari pars, ita proxima virtuti agentis, quin possit assignari alia, & alia proximior vique in infinitū; nā est cōtinuū, & cōsequenter cōstans partibus diuisibilibus in semper diuisibilia: ergo neque etiā poterit assignari pars subiecti, in quā perfectissimo modo agat, & consequenter in quam imprimat formam sibi omnino similem in gradibus intensiōnis.

6. Non me latet, aliquos recētiōres non admittēre principium, quo nititur ratio supra facta, scilicet, agens naturale fortius, & intensius agere in partes subiecti sibi propinquiores, quā in remotiores. Nam dicunt oppositū constare experientia, qua experimur, corpus luminosum fortius, & intensius agere in partes subiecti opaci sibi remotiores, quā in partes subiecti diaphani sibi propinquiores.

7. Sed bona venia, recētiōres isti, non solum opponunt cōmuni cōsensui Philosophorū, sed etiam manifestā experientia, qua experimur tanto fortius, & intensius, ceteris paribus, aliquem calefieri, quanto magis appropinquatur ad ignem;



8. Neque experientia corporis luminosi, qua paralogizati sunt, in aliquo eis fauet. Nam si partes corporis opaci superficiales, & similiter partes aeris ipsi propinquæ magis respiciunt, quam partes diaphani luminosi propinquiores, hoc non prouenit, ex eo quod corpus luminosum fortius, & intensius lumen producat in partes passiu remotiores, quam in propinquiores; quis hoc dicet? ex experiamur, quod si illud et corpus opacum, quod erat distans, appropinquetur corpori luminoso, tam partes eius superficiales, quam partes aeris ipsi propinquas magis respiciunt, ac respiciunt, cum erant distans, quod contingere non posset, si corpus luminosum non produceret fortius, seu intensius lumen in propinquum subiectum, quam in remotum.

9. Dicimus ergo ex doctrina Scoti in 4. dist. 10. in fine questionis nonæ, partes superficiales corporis opaci, & similiter partes aeris illis propinquas magis respiciunt, quam partes corporis diaphani (non obstant, quod illæ sint corpori luminoso propinquiores) per accidens, nimirum; quia corpus luminosum, quod est solus causa per se luminis, impeditum à corpore opaco, ne producat plures portiones luminis per actionem rectam, quas iuxta actiuitatem suam produceret, si non impediretur, producit

illas per actionem reflexam, & consequenter in partibus superficialibus corporis opaci, & partibus aeris ipsi propinquis multiplicatur, & adunatur portiones luminis; nam supra eas, quas recipiunt à corpore luminoso per actionem rectam, recipiunt etiam plures alias ab eodem corpore luminoso per actionem reflexam. Quod si per accidens ratione, scilicet, resistetia corporis opaci (quæ comaior est, quo corpus opacum est densius, & tersius) portiones aliquotæ, & determinatæ luminis, quæ sunt in subiecto rationes formales respiciendi, in prædictis subiectis multiplicentur, & adunantur, quid mirum, si magis respiciant, quam partes subiecti diaphani? non obstant, quod qualibet portio luminis aliquota in ipsis existens comparata ad similem aliam portionem luminis existens in subiecto diaphano propinquiori corpori luminoso sit remissior. Nam ut ex Aristotele dicebamus sectione 2. questionis præcedentis, *Virius uirtus fortior est se ipsa dispersa, uel ut alij dicunt, & in idem incidit, singula, quæ non prouunt, simul collecta, uo uant*: recolantur ibi dicta, & etiam; quæ diximus s. Physicorum disput. 21. quæst. 5. circa illam difficultatem, à quo moueantur proiecta, quando resiliunt?

10. Ad primum argumentum ex adductis in contrarium respondet:

pondemus, ex eo, quod uirtus agentis accidentalis sit actiua secundum omnes gradus intensiōis, & productiua sui similis, sequi quidem posse producere effectum omnino similem in gradibus intensiōis, si subiectum sit (ut modo dicam) sibi penetratum; non uero si sit distans, ob rationem assignatam, scilicet, omne agens naturale fortius, & intensius agere in partes subiecti sibi propinquiores, quam remotiores.

11. Ad secundum negamus, ad introductionem formæ ignis esse necessarium, quod præcedat in ligno calor, ut octo, ut præuia dispositio; aliâ forma ligni esset simul cum dispositione sibi repugnante; sed sufficere, quod præcedat minor calor, si adsint aliæ dispositiones ad generationem ignis requisitæ, ut sunt siccitas, raritas, & leuitas; quod ex explicitari potest in aëre, qui in media regione in frigidat nubes, in quibus propterea frigidior est, nec tamen conuertitur in aquam, sicut conuertuntur nubes; quia deficient ei cæteræ dispositiones aquæ connaturales, quas nubes habent, ut densitas, grauitas, & alia huiusmodi. Neque obstat, quod in igne genito sit calor, ut octo; quia iste non producit à calore, quo disponitur lignum ad introductionem formæ ignis; sed emanat à forma ignis de nouo genita, ut accidens connaturale, & ad

conseruationem eius requiritum; quod necessario fatendum est in nostra, & communiori sententia; quæ docet, accidentia materialia non subiectari immediate in materia prima, sed in toto composito substantiali.

12. Ad tertium negamus seculam; & ad probationem dicimus, quod si calidum, ut octo non potest producere calorem, ut octo, non prouenit ex eo, quod gradus, quæ assignamus, ut octo non sit actiuus, sed propter distantiam passiu, quæ impedit, ne possit producere effectum omnino similem.

13. Dicendum est secundo; si daretur agens penetratum cum passio (ut de potentia Dei absoluta dari potest) agens naturale (cæteris paribus), produceret effectum omnino similem in gradibus intensiōis. Hoc assertum est satis commune inter recentiores; & ratio est, quia non apparet, unde hoc ei posset impediri; nam, ut supponimus, nulla esset distantia inter illa; nam si essent penetrata, essent in eodem loco; & alia agens est actiuum (secundum quod omnem gradum intensiōis, & subiectum (ut supponimus) in potentia passiuâ ad totam illam intensiōem suscipiendâ.

14. Sed querer aliquis; est quod agens non penetratum cum passio, sed tantum illi contiguum non possit producere omnino sibi simile in gradibus



infusionis in aliqua parte illius, an saltem possit illud producere in vltima illius superficie? Respondet affirmatiue Murcia de la Llana disp. 4. quæst. 3. & fundamentum eius est, quia etiam si partes agentis, & passi, quando solum sunt contigua, non penetrantur; tamen superficies vltimæ ipsorum penetrantur sunt; aliàs agens, & passum non esset contiguum, cum in Peripatetica doctrina solum dicantur contigua, quorum extrema sunt simul.

15. Sed nobis dicendum est cum communiori sententia, agens non penetratum, sed solum contiguum passo, sicut non potest producere sibi omnino simile in aliqua parte illius, ita neque in vltima superficie terminatiua, non obstante, quod vltima superficies corporis agentis, & vltima superficies corporis patientis sine penetratæ, & simul in eodem spatio. Ratio à priori est, quia vt vidimus 6. Physicorum disput. 1. quæst. 3. sect. 4. indiuisibilia, qualis est vltima superficies secundum profunditatem, non sunt res, sed modi rerum, quarum sunt indiuisibilia 3. & manifestum est, modos rerum per se nihil agere, nec pati, sed omnia hæc eis conuenire ratione rerum, quarum sunt modi, & consequenter quidquid habent, conueniet eis in eadem profus intentione, vel remissione, ac cõuenit rebus, quarum sunt indi-

uisibilia, & non in maiori, vel minori; aliàs dari posset modus rei, & consequenter indiuisibile aliquod, quod primò, & per se terminaret motum, & consequenter separatum à re, cuius est modus, seu indiuisibile; quod esse impossibile loco citato ostendimus.

### QVÆSTIO VI.

*Vtrum eadem qualitas possit se ipsam intendere?*

**R**atio dubitandi pro parte affirmatiua sunt aliqui euentus, in quibus experimus, qualitatem intendi in aliquo subiecto per antiparistatim, id est, dum tale subiectum obsidetur, & impugnatur ab agentibus contrariis, quæ eo ipso, quod sunt contraria, seu agunt in illud per qualitates contrarias, tantum abest, vt possint illam intendere, quod potius petant illam remittere, seu destrucere. Et quamuis plures euentus, seu experientia ad hoc probandum adduci soleant, sufficient pro nunc duæ; nam omnium eadem est ratio.

1. Prima, aquæ subterraneæ tempore aestiuo, quo aer calorem feruet, sunt notabiliter frigidiores, ac tempore hyemali, quo aer frigore riget. Secunda ex Aristotele problemate 45. Hipocrate fol. 1. Aphorismo 15. & ibidem Galeno Ventriculi in animalibus tempore

hye-

hyemali magis frigido, & præsertim flante borea, sunt valde calidiores, & citius eibum cõcoquunt, & abundantiorum eibum appetunt, quàm tempore aestiuo, quo aer exardescit.

3. His non obstantibus, tenendum est cum communi Peripateticorum sententia, eandem qualitatem non posse se ipsam intendere, neque actione directâ, scilicet per antiparistatim, seu obfessionem à contrariis. Est et præsertim sententia Aristotelis, qui (vt vidimus supra q. 4. sect. 1. nu. 2.) contra eos, qui affirmabāt, simile posse agere in sibi simile, & vnde quæque indifferens, vt maximum absurdum intulit, quod actione vniuoca idè posset agere in se ipsum. Item 7. Physicorum cap. 1. & etiam 8. Physicorum loquendo de actione vniuoca (qualis sine dubio esset illa, per quam eadem qualitas intenderet se ipsam) expresse non solum affirmat, sed etiam probat, *Nihil moueri à se ipso primò, sed omne, quod primò mouetur, ab alio moueri*, quam auctoritatè ex præclara, & subtili doctrina Scoti latè expendimus 7. Physicorū, disput. vnica, quæst. 1. à num. 20. & 8. Physicorum disput. 3. quæst. 1. à num. 4. recolantur ibi dicta.

4. Ratio efficax, & desumpta ex Aristotele est, quia etiam si non implicet, idem agere in se

ipsum, seu moueri à se ipso primò primitate totalitatis, actione, seu motione æquiuoca, qualis est, quæ grana, & leuia mouentur à se ipsis vt 7. Physicorum loco citato, & quæst. 2. latè probatum est) quia ex hoc solum inferretur, quod idè sit in actu virtuali, & in potentia formali, quæ nullam involunt contradictionem; quia etiam involvant affirmationem, & negationem de eodè, sed non eiuſdem prædicati, sed diuerſorum; tamè, quod idem agat in se ipsum, seu moueatur à se ipso primò, scilicet totalitatis, actione, seu motione vniuoca, est manifesta implicatio, cum ex hoc inferretur idè, quod intulit Aristoteli, scilicet, quod idè esset in actu formali, & in potentia formali, & consequenter dari duo cõtradictoria simul vera, qualia sunt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodè.

5. Ad experientias in ratione dubitandi pro sententia affirmatiua adductas, admittimus libèter, aquas subterraneas per antiparistatim, seu obfessionem calidiorum corporum esse frigidiores tempore aestiuo, quàm tempore hyemali; & e contra tempore hyemali esse calidiores per antiparistatim, seu obfessionem corporum frigidiorū, quàm tempore aestiuo, & idè admittimus de ventriculis animalium; sed negamus hoc provenire, ex eo quod ratione antiparistatim, seu obfessionis

con-



contrariorum qualitates frigiditas, vel caliditas à se ipsis intenduntur per reflectionem factam supra se, & quasi collationem in vnum, vt contendebat ratio dubitandi; sed dicimus, hanc intensiorem frigiditatem, vel caliditatem semper provenire ab aliquo agente diverso ab ipsa frigiditate, vel caliditate, quæ sunt qualitates, quæ per Antiparitalitatem, seu obfessionem contrariorum intenduntur. Quid autem sit hoc agens, variant auctores in eius assignatione.

6 Marfilus hic quæst. 17. & 18. & Paulus Venetus 1. Meteorologicorum, cap. 3. sustinent, hoc agens esse quoddam species intentionales, similes illis, quas color mittit ad oculos, quas frigiditas, vel caliditas, dum obfidentur à contrariis, mittunt ad illa, à quibus reperiuntur reflectuntur in suum agens, & illud perficiunt, seu intendunt.

7 Sed hæc sententia merito condemnitur à recentioribus. Primo, quia sine fundamento fingit has species intentionales. Secundo, quia illas facit causas alterationis materialis, quod inauditum est, aliàs non species intentionales, sed physica, & reales species dicerentur. Tercio, quia ponunt illas euntes, & redeuntes, cum tamen sint accidentia, quæ ire, & redire ex vno subiecto in aliud minimè possunt. Et denique quarto, &

ultimo, quia istæ species intentionales, quidquid illæ sint, sunt instrumenta qualitatis, à qua emanant: ergo agunt in virtute illius, & consequenter in agendo non poterunt excedere virtutem eius: quo modo ergo possunt illam intendere, etiam si ad ipsam redeant, nisi agendo ultra virtutem suam? 8 Dicendum igitur nobis est cum communiori sententia, quam tenet Suarez 1. tom. sua Metaphysica, disput. 18. sect. 9. num. 18. hoc agens aliquando esse intrinsicè subiecto qualitatis, quæ per antiparitalitatem intenditur, nimirum formam substantialem illius, ab extrinsecis impedimentis expedita; aliquando verò esse extrinsecè subiecto qualitatis, quæ per antiparitalitatem intenditur, & primum contingere, quando qualitas, quæ per antiparitalitatem intenditur, est subiecto naturalis, secundum verò, cum est præter eius naturam.

9 Hoc assertum non melius probari potest, quam explicando, & declarando, quo pacto hoc contingat in eisdem experientijs de aquis subterraneis, & de ventriculis animalium, quæ in ratione dubitandi pro sententia affirmativa adducta sunt; nam dicimus, aquas subterraneas tempore hyemali esse calidiores; quia cum à nimio frigore circumobfistente superficiem terræ, partes superiores terræ comprimantur, occlu-

cluduntur pori, & meatus, quibus à sole extrahuntur exhalationes sicca, & calida; & cum non possunt exire, manent in cavernis terræ calcificantes aërem, & aquas, quæ ibi sunt: tempore verò æstivo esse frigidiores; quia animio calore circumobfistente superficiem terræ, partes superiores terræ, quæ à frigore hyemali erant compressæ, dilatantur, & pori, qui erant oclusi, aperiantur, & sic manet aperta via, qua exhalationes sicca, & calida ascendant, cum quæ per eorum ascensum, cavernæ terræ, in quibus sunt aquæ subterraneæ, manent expeditæ à contrariis, quæ tam ipsas aquas, quam aërem ibi existentem calcificabant; possunt optimè aquæ in suam pristinam, & naturalem frigiditatem redire; quod fit, emanando à forma substantiæ aquæ frigiditatem, quæ paulisper excludit calorem ab aqua detelictum ab exhalationibus siccis, & calidis, & consequenter magis, ac magis perficitur, seu intenditur, non à se ipsa, sed à forma substantiæ aquæ; à qua tanquam à causa æquivoce procedit.

10 Similiter dicimus, ventriculos animalium tempore hyemali esse calidiores, & citius cibum conquirere; quia cum à nimio frigore circumobfistente corpore, cutis, & pori stringantur, spiritus animales, qui calidi sunt, intus ventriculum retinē-

tur, & sic illum calcificant, & invat ad conquisitionem cibi. At tempore æstivo, cum calor re nimio circumobfillere corpus, cutis dilatur, & pori aperiantur, exeunt foris spiritus vitales, & sic pauciores manent intra ventriculum, à quibus calefiat, & sic eorum tempore est minus calidus, & minus affectus ad conductionem alimentum.

### QVÆSTIO VII.

*Vtrum agens omne, dum agit, reparatur à suo contrario?*

**H**ÆC quæstio solè pro-  
cedit de agentibus habentibus materiam eiusdem rationis cum passio, & existentibus intra spheram actiuitatis passis, & operantibus actione corruptiva, quæ est illa, quæ fit medijs primis qualitibus. Nā si agentia nullam habeant materiam, vt contingit in Angelis, vel si habeant materiam, non est eiusdem rationis, cum materia passis, vt contingit in cælis, dum agunt in hæc inferiora corpora, certum est posse horummodi agentia agere sine eo, quod passa reagent in illa, siue, quod idem est, sine eo, quod reparatur à passis, in quæ agunt, & idem contingit, si agens ita agat in passum, vt non contineatur intra spheram actiuitatis passis, quod contingere potest in cælis, quod agens sit magis:



na: actiuitatis, & consequenter habeat latam sphaeram suae actiuitatis, passum verò sit pariter actiuitatis, & consequenter curtam sphaeram actiuitatis habens; & similiter si non agat actione corruptiua, sed solum perfectiua, vt est illuminatio, & quaecumque alia non supponens qualitatem contrariam in subiecto, in quod agit, vel saltem diuisibiliter oppositam.

2 Tres sunt praecipue sententiae circa propositam questionem. Prima absolute, affirmat esse naturaliter impossibile, quòd agens repatiatur à suo contrario, in quod agit; & fundamentum huius sententiae est, quia ad agendum, simpliciter necessarium est, quòd actiuitas agentis sit maior, quam resistètia passi, vt ex dictis in hac disputatione, quaest. 3. manifestè patet, sed actiuitas passi non est maior, quam resistètia agentis, quod agit in ipsum: ergo est naturaliter impossibile, quòd passum reagat in agens, quod agit in ipsum, seu quod idem est, quod agens repatiatur à suo contrario, in quod agit.

3 Probat minor; nam vt ex dictis in 1. questione huius disputationis constat, duplex est resistètia, per quam vnū contrarium impedit, ne aliud agat in ipsum, vna actiua, actio, scilicet, qua vnū contrarium agit in aliud debilitando, vel destruendo eius virtutem agendi; alia formalis, quae consistit

in incòpatibilitate formae, qua informatur passum, cum forma contraria, quae in ipsum introduci intenditur; & manifestum est, non solum actionem contrariam, qua passum debet reagere in agens, esse imperfectiorem actione, qua agit principale agens, sed etiam formam contrariam, quam introducere conaretur in agens, esse minoris perfectiois, seu intensioris, ac est forma contraria, qua informatur principale agens.

4 Secunda sententia docet dari quidem reactionem, & agens principale repati à suo contrario, in quod agit; sed negat hoc fieri secundum eandem qualitatem, qua agit, vel si repatiatur secundum eandem qualitatem, non verò secundum eandem partem, qua agit, sed secundum diuersam, v. gr. dum ignis agit in aquam per calorem expellendo ab illa frigiditatem, & ipsam calefaciendo, sustinet hæc sententia, quam etiã reagere in ignem, & consequenter ignem ab ea repati, sed non per frigiditatem, quae est qualitas secundum quam patiebatur ab igne, sed per aliam qualitatem, scilicet, per humiditatem; neque ignis repatiatur secundum caliditatem; quae est qualitas, per quam agebat in aquam, sed secundum aliam qualitatem, scilicet, secundum siccitatem, quae est qualitas opposita humiditati aquae, vel si reuera aqua

reagit

reagit in ignem per frigiditatem, & ignis repatiatur secundum calorem, sed neque aqua ageat in ignem per eandem frigiditatem, secundum quam patitur ab igne, sed per aliam existente in diuersa parte aquae, neque ignis repati ab aqua secundum calorem, per quã agit in aquã, sed secundum calorem existentem in alia parte ignis. Ita Burlaus 3. Physicorum textu 17. Maior in 1. dist. 17. Niphus hic commento 97. quaest. 3. referens pro se Aueroem, Alexandrum, & alios.

5 Probari solet hæc sententia ex aliquibus incòuenientibus, quae sequerentur ex eo, quòd agens repatiatur à suo contrario, in quod agit, non solum secundum eandem qualitatem, per quam agit, sed etiam secundum eandem partem.

6 Primum est, quòd idem simul moueretur motibus contrarijs, quod his auctoribus videtur impossibile, & Toletus vocat paradoxum: sequela patet, quia si ignis calefaciat aquã, inter quæ interueniat aliqua portio aeris, & aqua reagendo infrigidet ignem, aer medius simul frigescet, & calefiet, & consequenter mouebitur motibus contrarijs.

7 Secundum est, quòd nullū agens posset assimilare sibi passum contrarium, quod est còtra finem agentis naturalis. Sequela patet, quia statuatur agens calidū, vt quatuor, quod agat

in frigidum, vt duo; si istud calidum, dum agit in calidum, vt duo, repatiatur ab illo: ergo in productione primi gradus caloris manebit calidum, vt tres, & in productione secundi gradus caloris, manebit calidum, vt duo, & cum nihil agat in sibi simile, neque ultra vires suas, non poterit illud calidum ultra calefacere illud subiectum frigidum, quod ceperat calefacere, & consequenter, neque vsque ad calidum, vt quatuor illud alterare, quod erat requisitum ad producendum sibi simile.

8 Tertium est, quòd esset impossibile, agere vnū contrarium in aliud, quòd est contrarium manifestam experientiam. Sequela probat, quia cū agens prius agat in partem proximã, quam in remotam, & pars passiva, in quam agens contrarium, induxit qualitatem contrariã, sit proximior alijs partibus passivae sibi còtinuis, quã sunt partes agentis, partes aliae passivae prius reagere in illam còmodo expellere ab illa qualitatem còtrariam productam ab agente còtrario, & numquam procederent ad reagendū in partes agentis contrarij, quovisque expolient illam partem ipsi. Continuum ab illa qualitate contraria (si agendo repatiatur) nam quãto magis egerint, tanto magis repatiuntur, & suscipiant maiorem qualitatem contrariam, quam debeant.



expellere à suis partibus continuis, prius, quam reagant ad expellendam qualitatem contrariam, quæ est in partibus agentis contrariis, ab ipsis discontinis, & remotioribus.

9. Quartum, & vltimum est, quòd idem secundum idem, & respectu eiusdem esset in actu formali, & in potentia formali, quòd est implicatio manifesta. Sequela probant, quia ad agendum vniuersè, necessarium est, vt id, quod agit, sit in actu formali, & ad patendum vniuersè, quòd id, quod patitur, sit in potentia formali: ergo, si idè agit in aliud, & simul repatur ab illo secundum eandem qualitatem, & secundum eandem partem, idem secundum idem, & respectu eiusdem erit simul in actu formali, & in potentia formali.

10. Tertia sententia vera, & vt Peripatetica ab omnibus, & Philosophis, quam Medicis recepta, tenet in casibus num. 1. assignatis, omne agens naturale, dum agit in subiectum sibi contrarium, repati etiam ab ipso subiecto contrario, in quòd agit secundum eandem qualitatem, per quam agit, & in eadem parte; ita expressè docuit Aristoteles pluribus in locis, sed præcipuè 3. Physicorum textu 8. & hoc 1. libro de generatione per textus 53. 54. 87. & 89. sed clarissimis verbis 4. de generatione animalium cap. 3. vbi sic ait, *Omne agens pa-*

*titur, etiam in patiente, vt quod fecerit, hebetatur ab eo, quod secus, quod calefacit, refrigeratur, & denique, quæcumque movent, & excepto primo motore, moventur aliquo modo nam quod pellit, pellitur quodam modo, quod premit, reprimitur: interdum etiam fit, vt quod agit, magis patitur, quam agit, & refrigeratur, quod calefacit, &c. quid clarior; eandem sententiam sequitur Galenus libro 3. de causis synthomatium cap. 2. & Simplicius 3. Physicorum textu 8. estque recepta apud Philosophos, & Theologos, tam veteres, quam recentiores, & eam, vt certam præsupponit Scotus pluribus in locis, præsertim secundum sententiarum dist. 1. 9. quæst. vnica, & quartum sententiarum dist. 4. 4. quæst. 1. artic. 1. & in 3. dist. 16. quæst. 1.*

11. Et probatur primo, experientijs, quæ passim sunt obviæ, & ex innumerabilibus, duas tantum, vel tres referam. Si aqua calida, & aqua frigida miscantur, tota aqua euadit tepida, non alia ratione, nisi quia calida producit aliquem gradum caloris in frigida, & frigida aliquem gradum frigiditatis in calida, donec se ad temperamentum æquale, seu medium perducant; vbi planè secundum eandem contrarietatem, & secundum easdè partes duo contraria corpora in se mutuo agunt, & mutuo ad inuicem patiuntur. Item ferrum candens infectum in aqua frigidam

gidam calefacit aquam, & viciissim refrigeratur ab aqua: & demum si quis manu calida apprehendat glaciem, calefacit glaciem, & manus refrigeratur ab eo. Agunt ergo, & patiuntur mutuo duo corpora contraria secundum eandem qualitatem, & secundum easdè partes, si intra spheram actiuitatis vtriusque applicentur.

12. Probatum secundò, ratione à posteriori; quia si non daretur reactio, & repassio vnius contrarij in aliud, sequeretur, nõ posse dari mixtionem; quòd neque etiam aduersarij admittunt, neque admitti potest, vt ex dicendis disputatione sequenti constabit. Sequela patet, quia per mutuam reactionem, & repassionem perficitur elementorum mixtio. Si enim illa pars, quæ agit, non repatur à parte contraria, remanebit vtrique semper in summa intensiõne; est illa pars, quæ patitur, non reagit in partem contrariam, vincetur penitus ab illa, & sic numquam fiet mixtio, sed conuersio vnius in aliud: vnde Aristoteles in hoc libro, vt statueret dari mixtionem, statuit prius dari inter contraria actionem, & reactionem, iudicans esse impossibilem mixtionem elementorum sine mutua actione, & repassione inter illa.

13. Probatum tertio, & est ratio à priori. Si applicentur duo corpora habentia qualitates cõ-

trarias actiuas (v.g. corpus calidum, & corpus frigidum) intra spheram actiuitatis vtriusque, necessariò vnum ager in aliud, quia vtrumque est agens naturale, & vtrumque habet virtutem agendi in aliud, & in vtroque est materia capax (vt supponimus) recipiendi qualitates contrarias; neque vnum per hoc, quòd agat in aliud, totaliter impedit, quòd aliud reagat in ipsum (vt solvendo, & explicando rationes in contrarij adductas: erit manifestum) ergo à priori conuincitur inter contraria, secundum eandem qualitatem, & in eadem parte dari posse actionem, & reactionem, & consequenter, tam mutuam reactionem, & mutuam repassionem.

14. Ad fundamentum primæ sententiæ, concessã maiori, negamus minorem, scilicet, actiuitatem passivam nõ esse maiorem resistentia agentis: & cum in probatione illius dicitur, resistentiam actiuam vniuersiufque cõtrarij esse actionem, per quam agit in aliud cõtrarium, & hanc, secundum omnes, esse maiorem in agente principali, ac est actio, per quam passum reagit in illud, respõdetur, hoc ita esse; sed non rectè inde infertur, passum non posse reagere in agens principale. Nam resistentia, ad quam comparari debet actiuitas agentis, vel reagentis ad hoc, vt sequatur, vel non sequatur actio, vel reactio,



non est resistētia actiua, sed formalis: cuius ratio est, quia resistētia actiua non impedit actionem formaliter, sed efficiēter, destruēdo, scilicet, per qualitatem oppositam, quam producit, virtutem, quam habet agens, vel reagens ad operandum; quæ destructio, cum non sit instantanea, sed facta in tempore successiue, paulatim, & per partes, hinc est, vt possit agens, vel reagēs per virtutem remanentem ( etiam si existat actu prædicta resistētia actiua maiori ) agere, vel reagere. Et cum de resistētia formali subditur in eadem probatione, esse maiorem in principali agenti, quam virtutem, seu actiuitatē passi reagentis; negamus assumptum. Neque obstant, quæ ibi adducuntur ad eius probationem, scilicet, formam, quæ informat principale agens, esse maiorem intensiōnis, quam virtutis passi reagentis; quia vt latius vidimus, & expendimus quæst. 3. huius disputationis, num. 9. & 10. licet forma in actu primo, & in potentia resistat formaliter agenti, seu reagenti contrario, secundū omnes eius gradus intensiōnis; tamen actu, seu in actu secundo solum resistit formaliter agenti, seu reagenti secundum illos gradus, qui non possunt simul compati in eodem subiecto cum gradibus formæ contrariæ, qui de nouo à reagenti introducuntur, qui gradus mi-

noris resistētia formalis, & minoris intensiōnis sunt, quam virtus reagentis, & similiter quam gradus intensiōnis formæ contrariæ, quæ per actionem in principali agenti producitur; aliàs non posset ipsos superare, sicut de facto superat.

15 Ad inconuenientia adducta pro secunda sententia respondetur: ad primum miror, quod à Toletō appellatur *paradoxum*, quod idem subiectū, simul moueatur duobus moribus alterationis contrarijs, si hi motus sint remissi; nam si nullum est inconueniens, quod duæ qualitates contrariæ (quæ sunt termini per se horū motuum) sint simul in eodem subiecto in gradibus remissis; neque etiam erit inconueniens, quod idem subiectum simul moueatur duobus moribus alterationis contrarijs, si hi motus sint etiam remissi. Nam in Peripatetica doctrina, sicut motus materialiter, & in esse rei consideratis; ita & distinctiōnem, & incompatibilitatem ab ipsis sumunt; oīū enim nos reputamus falsum, & *paradoxum*, quod idem subiectum simul moueatur duobus moribus alterationis contrarijs, si sint sumē intēti; sicuti & omnes falsum, & *paradoxum* reputant, quod duæ qualitates contra-

tra-

trariæ, quæ sunt termini per se istorum motuum, sint simul in gradibus summē intēti in eodem subiecto, non verò in gradibus remissis.

16 Ad secundum, nullum esse inconueniens, quod agēs naturale non possit sibi omninò assimilare passum contrarium, in quod agit; nam hoc nõ prouenit ex defectu inclinationis naturalis reddendi sibi simile, sed ex defectu virtutis, quæ minuitur ex reactione contrarij, in quod agit.

17 Ad tertium, negamus sequelam, & ad probationē dicimus, illud axioma, agens naturale prius agit in partes proximiores, quàm in remotiores, esse verum, & intelligendū de partibus proximioribus, & remotioribus subiecti extrinseci, in quod agit; nõ de partibus proprijs, & sibi continuis: declaro ex prælo; dū ignis agit in aquā, illā calefaciendo, prius agit in partes aquæ sibi proximiores, quam in remotiores; non verò agit prius in partes suas; etiā data hypothesi, quod aliqua illius propter repaisionem ab aqua, sint frigidiores alijs, & cōsequēter in potentia, vt calefiant ab alijs. Ratio est, quia etiam si ignis agit, seu operetur secundū omnes partes; sed non ita, vt partes remotiores à passu mittant suam actionē in partes eiusdem ignis, quæ sunt proximiores passu, & inde in passū; sed omnes per modum vnus

agit immediatē in passum, sine eo, quod vnā agāt in alias. Nec mirū videri debet, quod existēte aliqua parte ignis, ratione repaisionis ab aqua cū aliqua frigiditate, partes aliæ ignis, quas nondum tetigit repaisionis aquæ; & ideo aptæ sunt expellere frigiditatem ab illa parte eiusdē ignis, illam non concutit expellere, sed potius adunetur cū illa ad agēdū in aquam, & destruēdā illius frigiditatē; quia frigiditas, quæ est in illa parte, solum est malū illius partibus ignis, & frigiditas aquæ est malum totius ignis, cum totius ignis destructionem molliatur, & agētia naturalia propter vitandū malum totius, partiūpēdunt mala, & incommoda partialia; hac enim de causa diximus 4. Physicorum disputat. 2. quæst. 1. grauiā interdum ascendere contra propriā inclinationem sursum ad euitandam vacuum, quod est, malum totius vniuersi.

18 Ad quartum, & vltimum negamus, sequi, ex eo quod vnū contrarium agat in aliud, & repatiatur ab illo secundum eandē qualitatem, & in eadem parte, quod idem secundum idem, & respectu eiusdē sit simul in actu, & potentia formalis; sed quod sequitur, est, idē secundum idē esse simul in actu, & potentia formali respectu diuersorum; quod nullum est inconueniens: calor enim, qui est qualitas, secundum quam ignis

R

agit



agit in aquam, & similiter secundum quam reparitur ab illa, etsi sit secundum idem simul in actu, & potentia formali, sed non respectu eiusdem, sed di-

uctorum; nam est in actu formali respectu caloris, quem producit in aqua, & est in potentia formali respectu frigiditatis, quam recipit ab aqua.

## DISPUTATIO SEPTIMA.

## De mixtione.

**D**E mixtione disputat Aristoteles, tum cap. 10. & vltimo huius libri, tum etiam lib. 2. cap. 9. Nos autem de mixtione quatuor examinabimus; primum, *utrum mixtio sit naturaliter possibilis?* Secundum, *quid sit mixtio, & quo modo distingatur a generatione?* Tertium, *utrum elementa maneat in mixto actu, & formaliter?* Quartum, *utrum in mixtis dari possit temperantiam aequale ad pondus?*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Utrum mixtio sit naturaliter possibilis?*

**P**RO clara intelligentia tituli questionis notandum est, mixtionem dupliciter sumi posse, vt colligitur ex Aristotele hic cap. 10. Primum pro coniunctione locali, seu iusta positione diuerforum corporum, seu partium ipsorum sine corruptione formarum substantialium ipsorum, vt cum ordeum miscetur tritico. Secundum pro vniōne plutium corporum, seu partium ipsorum, quæ ita inter se confunduntur, seu alterantur per reactionem vnius in alterum, vt ex mutua ipsorum pugna resultet aliquod aliud tertium distinctum subæqualiter ab ipsis. Et

hæc est propria acceptio mixtionis, & de qua in presenti inquirimus, an sit naturaliter possibilis; nam mixtio in prima acceptione impropria est, cum per ipsam non fiat vnum per se, sed per accidens, nec quælibet pars eius mixtum appellari possit, & ideo merito Aristoteles capite 10. huius libri refutat quosdam Philosophos antiquos, qui solum hoc genus mixtionis admittebant.

1. Prima sententia affirmat, mixtionem propriam, & in secunda acceptione sumptam naturaliter non esse possibilem, non solum in elementis, sed etiam in liquoribus; ita plures ex anti-

quis Philosophis, vt in cap. 10. huius libri refert Arist. Et probari potest, primum, quia non est assignabilis causa efficiens, a qua naturaliter possit hæc mixtio provenire. Nam in primis non possunt esse causa efficiens huius mixtionis ipsa corpora, quæ miscetur; nam si sunt elementa, cum sint simpliciora, & virtualiter contineantur in mixto, quod sit ex ipsis, manifestum est, esse entia imperfectiora mixto, & consequenter non poterunt attingere effectum productionem illius, saltim, vt causæ principales: & idem erit iudicium, si ea, quæ miscentur, sint liquores, quæ etiam liquores non sint entia simplicia, sed composita ex elementis, omnium tamen sententia imperfectiora sunt mixto, quod ex illis fit. Item quia cum causa efficiens debeat existere, cum actu causat, non poterit corpora, quæ miscetur, quæcumque illa sint, esse causam efficientem mixti; siquidem, dum actualiter generatur mixtum, ipsa actualiter corrumpuntur, & consequenter non existunt. Neque etiam dici potest, causam efficientem mixtionis esse aliquam causam ex vniuersalibus, scilicet, eam, vel Deum; quia effectus particularis in causam particularem, & non in vniuersalem debet reduci.

3. Secundo, vt generetur mixtum per mixtionem, & necessariū est, quod corpora, ex quibus fit mixtum, simul corrumpantur, vt

scilicet possit in materiam ipsorum succedere forma substantialis mixti; sed cum actiuitates, & resistentiæ elementorum, vel liquorum, quæ miscetur, sint ita diuersa, est naturaliter impossibile, quod ea, quæ miscetur, ita proportionentur, vt simul per mutuam reactionem, & reactionem corrumpantur, sed potius debet vnum prius corruptum, quam aliud; est ergo naturaliter impossibile mixtio.

4. Tertio, vt generetur mixtum per mixtionem ex elementis, necessarium est, vt quatuor elementa coniungantur in vnum locum, & sic approximata mutuo alterentur, & disponantur per mutuam reactionem, & reactionem ad generationem mixti; sed naturaliter est impossibile, quod quatuor elementa coniungantur in vnum locum; ergo & quod ex eis mixtio fiat; minor patet, nam si hic locus sit sursum, non poterunt graui ad illum naturaliter ascendere, etsi est deorsum, non poterunt leuia ad illum naturaliter descendere. Nec valet dicere, quod moueretur contra propriam inclinationem propter bonum vniuersi, vt moueri solent ad replendum vacuum; quia generatio mixti non est ita bonum vniuersi, sicut est repletio vacui.

5. Quarto, postquam aqua mixta est vino, potest per artem ab illo separari: ergo liquores non miscentur, ita vt corruptis com-



rum substantijs, tertia alia generetur; quod est ad mitionē perfectam, & in secunda acceptioe sumptam simpliciter necessarium.

6 Dicendum nihilominus est cum cōmuni omnia Philoſophorū sententia, naturaliter esse possibilem mitionē perfectam, & in secunda acceptioe sumptam, non solum in liquoribus, sed etiam in elementis; imò de facto dari plures ex his mitionibus factas virtute causarum naturalium. Ita expressè docuit Aristoteles cap. 10. huius libri, & 1. Meteorologicorum, & cum eorum omnes interpretes, tam veteres, quam recentiores, inter quos est noster Scotus in 2. dist. 15. quæst. vnica, & probari potest.

7 Primò experientijs, nam æstiuo tempore ex guttis aquæ pluuiæ terra per mistis accedente aëre, & calore solis, qui vicesignis agit, frequenter inuenitur, ex mitione ipsorum generari imperfecta quadam animalia; quod non contingeret, si mistio, de qua loquimur, esset naturaliter impossibilis. Item ex terra, aqua, aëre, & calore solis simul concurrētibus, & per actionem, & repassioem mutuam corruptis, videmus generari alimentum platarum, quod est succus quiddam, qui abique dubio est quadam substantia specie distincta ab elementis, cum sit quoddam mistum.

8 Secūdo hac ratione; liquores (& idem est iudicium de aliquibus elementis) possunt naturaliter commiseri inter se fecundum minutissimas partes: ergo & poterunt partes illorum, cum habeant diuersas, & oppositas qualitates, agere, & reagere inter se, quousque inducant in earū materias dispositiones requisitas ad generationem substantialem misti; sed postis dispositionibus requisitis ad introductionē formæ substantialis misti in aliqua materia, vel materijs statim introducit forma misti, & resultat mistum: ergo mistio, tam in liquoribus, quam in elementis, naturaliter est possibilis. Et confirmatur, quia natura non potest perpetuò frustrari suo fine; sed elementa ordinantur naturaliter ad compositionem misti, tanquam priora, & simpliciora: ad id, quod est posterius, & composibilius (ideò enim elementa nuncupantur) datur ergo aliquando naturaliter mistio ex elementis.

9 Ad primam probationem, ex adductis pro prima sententia respondetur negando id, quod in ipsa assumitur, scilicet, non esse asignabilem causam naturalem efficiētē misti; & ad probationē admittimus libetèr, hanc causam efficiētē nō esse ipsa corpora, quæ miscētur, vt optimè probat rationes ibi adductæ, & desūptæ sūt ex Scoto nostro, loco supra

citato; sed dicimus cum ipso Scoto causam efficientem mitionis substantialis esse aliquā ex causis vniuersalibus, scilicet, vel cælum, vel Deum, iuxta exigētiam perfectionis misti, & loquimur de causa efficiente, introducente, & producente formam substantialem misti; nam causa introducens, & producentes dispositiones prævias ad introductionē formæ substantialis misti, sunt qualitates corporum, quæ miscentur; siquidem his medianibus, prædicta corpora alterantur per mutuam actionem, & repassioem, & consequenter producunt in ipsorum materijs dispositiones ad formam misti necessarias, licet aliquando etiam inuentur à calore solis, vel simili alia qualitate producta à corporibus extrinsecis circumstantibus: neque vllum reputamus inconueniens, quòd est materies vltimatē disposita ad recipiendam formam substantialem, & non adest causa particularis, à qua inducatur, seu producat, tribuatur inductio, seu productio prædictæ formæ alicui causæ vniuersali, vt latè docuimus 2. Phisicorum disp. 4. quæst. 7.

10 Ad secundam, concessa maiori, negamus minorem. Nam cum tanta sit latitudo intentionis, tam in qualitatibus elementorum, quam liquorum, & tot fieri possint combinationes ex eis secundum di-

uersas proportionēs adiuuantis, & resistentiæ, quid mirum, quòd sic possint applicari, vt omnia corrumpantur (smul)?

11 Ad tertiam responderetur, ad mitionem non esse necessarium, quòd concurrant omnia quatuor elementa (etsi aliqui oppositum sustineant) sed sufficere, quòd concurrant quatuor primæ qualitates, quæ sunt, quæ necessariò requiruntur ad hoc, vt per mutuam re- actionem vnus elementum in alia disponatur materie ipsorum ad mitionem substantialem. Imò non desunt aliqui ex nostris Scotistis, qui sustineant, sufficere ad mitionem vnum tantum elementum, quòd dicunt, docuisse Scotum loco supra citato. Sed licet Scotus prædicto loco affirmet, posse generari mitionem ex vno tantum elemento, & probet ex illis verbis Genesis cap. 1. *Producant aquæ reptilia, &c.* quibus expressè dicitur, reptilia (quæ verè mista sunt) fuisse genita ex solo elemento aquæ; tamen Scotus non affirmat, hanc productionem misti, quando fit ex sola materia vnus elementum, esse mitionem appellandam, sed productionem, seu generationem misti; quod valde diuersum est, vt ex dicendis quæstione sequenti manifestè collabit; imò addo, oppositum sustineri non posse; cum mistio



debet esse inter plures, quæ per alterationem mutuam sub vnica forma eorum, materiæ substantialiter vniuntur. Vnde Aristoteles definiens miftionem, dixit, *Esse miscibilem alterationum vniõis*, quam definitionem latius quæstione sequenti explicabimus.

12. Ad quartã dicimus, quòd cum ad hoc, vt aqua, & vinum dicantur substantialiter mixta, non sufficiat vnio localis, sed requiratur, quòd partes aquæ, & vini, postquã localiter sunt vnite, alterentur ad inuicem per actionem, & reactionem, & hæc alteratio non fiat in instanti, sed in tempore; nihil mirum, quòd aliqua parte statim in initio miftionis localis, & ante completam alterationem possit aqua separari à vino; quia hoc non prouenit ex eo, quòd nõ detur liquorum substantialis miftio; sed ex eo, quòd non datur statim, ac localiter coniunguntur, sed post aliquod tempus necessarium ad alterationem.

## QVÆSTIO. II.

Quid sit miftio, & quo modo distinguatur à generatione?

1. Statuimus quæstione præcedenti existentiam miftionis substantialis de rerum natura; oportet ergo, vt eius essentiam, seu quidditatem declaremus, & consequenter, quo

modo à generatione substantiali differat: vtrumque in hac secũda quæstione resolueremus. 2. Aristoteles 10. cap. huiuslibri, hac definitione essentiam miftionis declarauit, *Miftio est miscibilem alterationum vniõis*, quã definitionem esse vitiosam auferat affirmare Scaliger exercitatione 3. primò, quia vitium in definiendo, committitur, quoties ignotum per aliud non minus ignotum definitur; sed hic definit Aristoteles miftionem per miscibile, quòd non minus ignotum est, ac miftio; comisit ergo Aristoteles in definienda miftione vitium istud; & consequenter hæc definitio miftionis tradita ab Aristotele erit vitiosa. Secundo, quia miscibile definiat Aristoteles per miftionem; ergo modo definiendo miftionem per miscibile, commisit in tali definitione vitiosum circulum, qualis est de primo ad vltimum idem definiti per se ipsum.

3. Dicendum tamen nobis est: cum communi sententiã, quam tenent Scotus loco secundo citato, & Angelicus Doctor hinc lectione 25. & cum ipsis omnibus discipulis, tam vereris, quã recentiores; præfatis verbis Aristotelem optimè, & compendiosè naturam miftionis declarasse, ac per consequens prædictam definitionem esse exactam; quòd vt probemus, duo adnotanda sunt.

4. Primum est, ad miftionem sub-

substantialem; quæ est, de qua runc loquimur, & quam definiuit Aristoteles, tria simpliciter requiri. Primum est coniunctio, seu vnio localis secũdum minutissimas partes eorũ, quæ miscenda sunt. Secũdum, mutua eorũ alteratio per actionem partium vnus in partes alterius, & repassioem ab eisdem. Tertium inductio, seu productio formæ substantialis mifti in materijs eorũ, quæ miscentur, & consequenter corruptio substantialis ipsorũ; & hoc vltimum est, in quo principaliter consistit miftio, & ad quòd duo priora ordinantur.

5. Secundum est, in hac inductioe, seu productione formæ substantialis mifti in materijs eorũ, quæ miscentur, duo interuenire, scilicet, vnionem materiarum eorũ, quæ est quædam substantialis continuatio per propria indistibilia, ratione cuius habent, quòd sint vna materia numero, & insuper vnio huius materiæ continuæ cum forma substantiali mifti, quæ est, per quam resultat miftio. Et quamuis non omnes conueniant in explicado, quo pacto hæc duo inter se comparentur; dicendum nobis est, nõ esse duas, sed eandem numero actionem, non secus, ac supra disp. 4. quæst. 3. num. 18. & 19. philosophati sumus de actione, per quam in nutritione materia alimentum vnitur cum ma-

teria viuẽtis, & informatur forma viuẽtis; differre tamè formaliter. Et quamuis ab vnione, seu continuatione materiarum delumptum sit nomẽ miftionis substantialis; non tamè esse per se significatum illius, sed per se significatum miftionis substantialis esse inductioe formæ substantialis mifti; vnionem verò, & continuationem materiarum eorũ, quæ miscentur, solum esse connotatum simpliciter requisitum ad hoc, vt productio mifti, miftio, & non generatio mifti appelletur.

6. Ad rem ergo; cũ hæc tria, in quibus natura miftionis consistit, in vltimo, tanquam indirectè, & per se significato, & in duobus prioribus, tanquam in connotatis intrinsecis, & per quæ differt essentialiter ab omnibus alijs mutationibus, tribus illis verbis positus in definitione miftionis tradita ab Aristotele, *miscibilem alterationum vniõis*, compendiosè, & mirificè explicentur; quis dubitare poterit, esse optimam, & exactam miftionis substantialis definitionem? Faciunt enim hunc sensum, miftio substantialis est mutatio, per quam ex corporibus localiter miftis, seu congregatis, & per mutuam alterationem actionis, & reactionis partium ipsorũ dispositis, producit, & vnitur forma substantialis mifti cũ materijs eorũ substantialiter continua-



ris, & ad vnam numero materiam redactis.

7 In qua definitione loco generis ponitur mutatio; quia in ea conuenit mistio cum cæteris alijs mutationibus, de quibus in hoc libro egerat Aristoteles; quod, vt per se notū non expressit, sed supposuit Arist. in sua definitione; reliquæ partem ponuntur loco definitionis. Et per particulas *miscibilem*, *alterationem* differt à generatione substantiali purè, & nudè sumpta; quia generationis substantialis purè, & nudè sumpta principia intrinseca solum sunt: *materia forma, & priuatio*; mistio verò vitra hæc connotet intrinsecè in illis, ex quibus fit, multitudinem, tam materialū, quam formarum, & missionem, & repansionem inter ipsas. Et per eandem particulas differt à nutritione, quæ est, quædam aggeneratio. Et insuper ab ista differt, quia id, quod nutritur, manet secundum suam substantiam; secus verò contingit (vt quæstione sequenti dicemus) in his, quæ miscentur.

8. Per vltimā particulam, scilicet, *vnio*, quæ (vt explicatum est num. 6.) idem valet, quod productio, & vnio formæ substantialis misti cū materijs miscibilem substantialiter conuenit, & ad eandem numero materiam redactis, differt à cor-

ruptione substantiali; quia hæc per se non terminatur ad formam substantialem, & vnio est illius cum materia, sicut terminatur mistio; sed potius ad priuationem formæ substantialis, vel saltē ad priuationem vnionis formæ substantialis cum materia; & consequenter ad priuationem compositi substantialis, & illius non esse, quæ est differentia plusquā prædicamētalis inter missionem, & corruptionem, cū hæc sit mutatio negatiua, illa verò positiua. Neque obstat, quòd mistio sit etiā corruptio miscibilem; nam hoc non conuenit illi formaliter, & per se, sed solū cōcomitanter; non secus, ac supra diximus, generationem esse etiā corruptionem. Imò, etiā quoad hoc est notabilis differentia, nam corruptio, quæ consequitur ad generationem purè, & nudè sumpta, non petit intrinsecè, quòd corruptū maneat virtualiter in genito; at corruptio, quæ consequitur ad missionem intrinsecè petit, quòd miscibilia, quæ corruptuntur, maneat virtualiter in misto, vt quæstione sequenti dicemus.

9 Denique per eandem partialem *vnio*, differt mistio substantialis à cæteris mutationibus accidentalibus positiuis, scilicet, ab accretione, alteratione, & latione; quia etiā si istarum mutationum terminus formalis per se sit aliqua forma positiua, sed non substantialis, super necessario requiritur

tur ad missionem, de qua loquimur; sed accidentalis, puta *quantitatem, qualitatem, aut vbi*: ex quo sequitur alia differentia, nimirum, quòd id, quod accrescit, aut alteratur, aut localiter mouetur, manet idem secundū substantiam post prædictas mutationes; secus verò contingit in his, quæ substantialiter miscentur.

10. Sed dubitant recentiores; an differentia numero 7. assignata inter generationem purè, & nudè sumptam, & missionem substantialem, sit essentialis, an accidentalis appellanda? Rubius tractatu de missionis quæstione 2. affirmat, esse solum accidentalem; & fundamentum eius est, quia etiam si verum sit, missionem addere supra generationem, fieri ex plurimorum materijs, quæ fuerunt loco coniuncta, & adinuicem alterata, substantialiter vnitis, & continuatis; tamen vt numero 5. huius quæstionis dicebamus, hæc non dicit mistio pro per se significato, sed pro connotato; nam pro per se significato solum dicit productionem formæ substantialis misti, & vnionem illius cum materia disposita, & in hoc essentialiter conuenit cum generatione, cum habeant eodē terminos, à quibus, & ad quos formales, scilicet, priuationem formæ misti in materia disposita, & ipsam formam misti,

quæ inducitur, seu vnitur cum materia.

11 Oppositam sententiam, scilicet, prædictam differentiam esse intrinsecam, & essentialē, sustinet Murcia de la Llana hic disputat. 5. quæstione 2. cui sine dubio fauet Aristoteles; nam si prædicta connotata, quæ addit mistio supra generationem, non essent ipsi intrinseca, & essentialia, perceptam Aristoteles per prædictas connotationes naturam, & essentialitatem missionis definisset, sicut de facto definiuit; nam mutationes non debent definiiri, nisi per connotationes illi intrinsecas, & essentialis.

12 Nobis autem distinguendum est (sicut multoties in similibus dubitationibus distinguimus) de missione materialiter, & in esse rei considerata, & considerata formaliter, & in esse mutationis. Si materialiter, & in esse rei consideretur, vera est sententia Rubij (sed non ad mentem Aristotelis, qui hic non missionem materialiter sumptam, & in esse rei consideratam, sed sumptam formaliter, & in esse mutationis definiuit) nam sicut prædictæ connotationes extrinsecæ sunt, tam terminis, à quibus, quæ prædicti termini materialiter, & in esse rei considerentur, ita, & extrinsecæ erunt ipsi mistioni, si mistio materialiter, & in esse rei expectetur. At verò,



si formaliter, & in esse mutationis consideretur (vt considerata est ab Aristotele, dum illam definiuit) verissima est, & iuxta mentem Aristotelis sententia Marcia de la Llana; nam sicut prædictæ connotationis, et si sint extrinsecæ terminis, à quibus, & ad quos missionis, si prædicti termini materialiter, & in esse rei considerentur; sunt tamen ipsi intrinsecæ, si formaliter, & in esse terminorum expententur; ita & intrinsecæ erunt missioni, si mistio, non materialiter, & in esse rei, sed potius formaliter, & in esse mutationis, vt considerata est ab Aristotele, dum illam definiuit, consideretur.

13 Ad rationes, quibus Scaliger probabat, hanc definitionem missionis traditam ab Aristotele esse defectuosam, respondemus, miscibile postquam ab Aristotele in definitione missionis substantialis non significare mistum substantiale, quæ est acceptio, in qua sumitur mistio, quam hic Aristoteles definiuit, sed mistum accidentale, & per conjunctionem localem secundum minutissimas partes, vt supra explicatum est; ac per consequens non sequi definitionem missionis traditam ab Aristotele; datam fuisse, per æquæ ignotum, & similiter dari vitiosum circumulum in definitionibus missionis, & miscibilis, vt contendebant rationes Scaligeri; siquidem mistum,

seu miscibile, localiter magis nouum est, quam mistio substantialis, neque ipsum est miscibile, quod per missionem substantialem Aristoteles definiuit; sed mistum, seu miscibile substantiale, quod est effectus formalis missionis substantialis.

### QVÆSTIO III.

*Verum elementa manent in misto actus, & formaliter?*

1 **E**X dictis in prima questione constat, non solum esse naturaliter possibilem missionem substantialem elementorum; sed etiam de facto dari plura mista substantialia, facta ex missione ipsorum; & ideo merito dubitamus, an quando mistum resultat ex missione elementorum, manent elementa, ex quibus sit, actus, & formaliter in ipso; non secus, ac dicuntur manere in composito substantiali, materia, & forma, ex quibus essentialiter constat, & in continuas partes, & indiuisibilia, ex quibus integratur.

2 Sunt autem in elementis tria, de quibus dubitari potest, an maneat actus, & formaliter in misto, scilicet, materia ipsorum, formæ substantiales eorum, & formæ accidentales, scilicet, quatuor primæ qualitates. Quæstio autem non, prolecedit de materijs, quia indubitatum est, materias elementorum

rum manere actus, & formaliter in misto, quod ex ipsis generatur, cum incorruptibiles sint, licet non maneat discretæ; vt erant in elementis, sed continuæ, & ad vnam numero materiam redactæ; sed solum procedit de formis, ram substantialibus, quam accidentalibus; quas duas difficultates claritate gratia separatim discutimus.

### SECTIO I.

*Discutitur quæstio de formis elementorum substantialibus.*

3 **D**E formis substantialibus elementorum prima sententia affirmat, manere actus, & formaliter in misto ex elementis; ita tenent Auicena I. libro sufficientiæ capite 1. & Auerroes 3. libro de cælo, & mundo, commento 67: & omnes Auerroistæ; sed cum hoc discrimine (vt annotauit Scotus in 2. dist. 15. quæst. vnicæ, vbi ex professu hanc questionem exagitat) quod Auicena tenens cum communi sententia, formas substantiales elementorum, nec remitti, neque intendi posse, affirmat, formas substantiales elementorum manere in misto in suo esse perfecto, licet diuisas, sicut & ipsarum materias in partes minuas (sicut. At Auerroistæ existimantes, formas substantiales elementorum, propter suam imperfec-

tionem, esse intensibiles, & remissibiles, non secus, ac sunt qualitates; sustinent, et si prædictæ formæ substantiales elementorum actus, & formaliter manent in misto, sed non in gradu intenso, sed in gradu remisso, seu refracto; eadem sententia tribuitur à Marginistis Scoti loco citato; Alensi 2. part. q. 80. membro 1. art. 2. Alberto Magno de generatione tract. 6. cap. 5. & 3. de cælo tract. 2. cap. 1. Philopono ad textum 64. Ianduno 6. Physicorum, quæst. 4. Zamarræ theorematæ tract. 7.

4 Probari potest hæc sententia, primo ex Aristotele, qui multis in locis videtur affirmare, formas substantiales elementorum actus, & formaliter manere in misto, quod ex ipsis coalescit. Nam 5. Metaph. definiens elementum, dixit, esse id, ex quo inexistente aliquid primo componitur; vbi per particulam inexistente omnes intelligunt idem, ac actus, & formaliter manente; & cap. 10. huius libri, vt dictum est, sic missionem definiuit, *Mistio est miscibilium alteratorum vnio*; ex quo loco dupliciter potest argui (vt annotauit Scotus loco citato, littera A) primo; si alteratorum, ergo non corruptorum. Secundo, si mistio est vnio miscibilium, & vnio non est corruptorum, sed entium; ergo miscibilia manent actus, & formaliter in misto. Et 1. de cælo textu.



textu 10. dicit, mista moueri ab elemento predominantē: ergo supponit, elementa esse actū, & formaliter in misto; patet consequentia, quia motus solū potest efficienter emanare ab eo, quod actū, & formaliter existit. Et 2. libro de anima textu 32. dubitat, cur sensus non sentiant elementa, ex quibus constant; & respondet, quia non est medium inter ipsos, & elementa: ergo supponit, vt certum, in sensibus, qui sunt, quādam mista, esse actū, & formaliter elementa; quia si oppositum sentiret, potius responderet, idē sensus non sentire elementa; quia non sunt actū, & formaliter in illis. Et ibidem textu 39. ait, quod si in corporibus animatis anima nō detineret elementa, discederent ab eis, & in diuersa loca tenderent, in quā naturaliter inclinantur, vt ignis sursum, & terra deorsum.

5 Secundō probari potest rationibus: prima, quia si formæ substantiales elementorum nō manerent actū, & formaliter in misto, sequeretur, mistum esse ita simplex, sicut elementum. Patet sequela, quia sicut elementum habet solū vnam formam substantialem in materia, ita & mistum in opposita sententia solū haberet vnam formam substantialem in materia.

6 Secunda, quando mistum generatur ex mitione elemē-

torum, elementa dicuntur manere in misto; quod non contingit, quando vnum mistum generatur ex alio misto, aut vnum elemētum generatur ex alio elemento, nulla alia ratione, nisi quia in misto, quod generatur ex mitione elementorum, formæ substantiales elementorum non corrumpuntur, sed actū, & formaliter manent in misto; at quando vnum mistum generatur ex alio misto, in misto genito nō manet forma misti, ex quo generatur, sed potius corrumpitur, & idem contingit, quando vnum elemētum generatur ex alio elemēto.

7 Tertia, mistum in elementa dissolvitur, ex Aristotele in hoc libro textu 84. vbi ait, miscibilia posse iterum separari a misto, & mistum posse resolui in elemēta: ergo mistum constat ex elementis; alioquin in elementa resolui non posset.

8 Secunda sententia vera, & a nobis amplectenda sustinet oppositum, scilicet, formas substantiales elemētorū idem est iudicium de formis substantialibus reliquorum, quando substantialem miscentur non manere actū, & formaliter in misto, neque in esse perfecto, vt dicebat Auicena, neque in esse remisso, & refracto, vt sustinebant Auerroes, & eius assectæ, sed corrumpi omnes per mitionem, & aliam nouam

generari, quæ dicitur forma misti. Ita nos ter Scotus secundum sententiarum, distinct. 15. quæst. vnica, & omnes Scottiæ, Philippus Faber theoremate 60. Diuus Thomas 2. contra gentes, cap. 55. etque recepta ab omnibus Philosophis, & Theologis latinis, tam veteribus, quā recentioribus; imō Valles libro de sacra philosophia capite 1. probat hanc fuisse sententiam Platonis, Hippocratis, & Galeni, & videtur expressam Aristotelis; nam cap. 10. huius libri probat, mitionem distingui ab alteratione, & augmentatione ex eo, quod in alteratione, & augmentatione manet subiectum, quod alteratur, & augetur; in mitione autem nō manent miscibilia; & paulō inferior subdit, elementa in mistis nō manere actū; manere tamē potētia, & virtute. Quibus verbis determinauit quæstionem, quam 3. de celo cap. 3. reliquit sub dubio, dum dixit, elementa manere in misto, esse tamen ambiguum, manentne actū, an in potētia?

9 Probari præterea potest hæc nostra, & communi sententia efficacibus rationibus. Prima, (& est vna ex pluribus, quas adducit Scotus ad hoc probandum) forma elementalī nata est cum materia constituere, suppositum per se subsistens: ergo si in misto ex pluribus elementis, sunt plures formæ ele-

mentales, erunt etiam in illo plura supposita, quod nullus concedet.

10 Secunda, si formæ substantiales elementorum manent actū, & formaliter in misto, inquiri, an omnes sint in omnibus, & singulis partibus materiæ misti, an singulæ in singulis? Si primū dederis, sequitur, plures formas substantiales, & non subordinatas in ratione actūs, & potētiæ (vt in sententia Scoti, & nostræ sunt in viuētib; anima, & forma corporētatī) informare simul eandē partem materiæ, quod saltem naturaliter omnes reputat impossibile. Si secundum eligas, sequitur, nullam dari veram, & substantialem mitionem, sed omnes esse accidentales, & factas per coniunctionem localem secundum partes minutissimas pluriū elementorum, quod est contra Aristotelem in hoc libro cap. 10.

11 Tertia, si omnes formæ substantiales elemētorū manent actū, & formaliter in misto, inquiri, an præter illas habeat mistum aliam formā substantialem; an non? Si non habet, sequuntur duo inconuenientia; primū, non posse dari mistum ex elementis, quod sit animatum, & viuens; si quidem formæ elemētorum, quæ dant esse misto, non sunt animæ, nec formæ viuētes. Secūdū, omnia mista ex eisdem elementis, esse eiusdem



speciei; siquidem omnia constant formis eiusdem rationis specificæ. Si habet, cum hæc debeat informare totam materiam misti, sequitur, ad minus in materia misti esse duas formas substantiales in ratione actus, & potētiae, non subordinatas, scilicet, formam elementarum, & istam formam misti, quæ ponitur diuersa à formis elementorum.

12 Non melaret Zabarelam, & alios Auerroistas, ad has, & similes rationes respondere concludere contra Auicenam, qui posuit, formas elementorum manere in misto, actu, & formaliter in suo esse perfectio, non tamen concludere contra ipsos, qui cum ponant formas elementorum, etiam manent actu, & formaliter in misto, sed non in suo esse perfectio, sicut ponebat Auicena, sed in esse remisso, & refracto; & consequenter affirmant, per missionem formas elementorum transire in formam misti, & sic post missionem non quatuor permanere, sed vnam ex quatuor formis elementorum coalescente, n.

13 Sed præter quam, quòd isti Auerroista supponunt, formas substantiales elementorum secundum intentionem suscipere magis, & minus, quod est contra Aristotelem, qui cap. de substantia expressè affirmat, esse proprietatem substantiæ non suscipere magis, & minus se-

cundum intentionem; possumus insurgere, inquirendo ab ipsis, an cum formæ elementorum substantiales transirent per missionem in formam misti, amittant proprium esse; an verò illud conferunt in forma misti, quam componunt; non fecerit, ac illud conferunt materiam substantialem, & formam, cum componunt totum physicum essentialiter, & partes continui, cuius illud integrantes? Si dicant, amittere proprium esse, nobiscum sunt; sed negant, & destruant, quod affirmant, scilicet, formas elementorum per missionem non corrumpi, sed manere actu, & formaliter in misto. Si verò affirmant (vt asserunt) illud conservare in forma misti, quam componunt (quamuis addant illa verba in esse remisso, & refracto) sequitur formam misti non esse vnum per se, sed potius esse per se plures formas, & vnum per accidens; & consequenter rationes supra factas concludere, non solum contra Auicenam, sed etiam contra ipsos. Sequelam probò, nam in primis formæ elementorum (quæ tumuis fingantur remissæ, & refractæ) non se habent in misto, vt actus, & potentia per se, vt manifestum est, neque etiam possunt continuari aliquo indiuisibili; quia sunt diuersæ speciei, & res diuersæ speciei, docuit sæpè Aristoteles, non posse aliquo termino comuni continuari: conitar autem, solum

tam his duobus modis, res diuersas, vt sunt formæ elementorum, posse vniri ad faciendum vnum per se in genere entis.

14 Ad auctoritates Aristotelis adductas pro prima sententia; ad primum optimè respondet Scotus, elementum, quod ibi definiuit Aristoteles, non esse aliquam rationem communem terræ, aquæ, aëri, & igni, sed materiam primam, quam optimè appellat elementum; nam est vnum ex duobus principijs, ex quibus primo ens naturale essentialiter componitur, & quia materia prima in omnium sententia actu, & formaliter manet in cõposito naturali; ideo merito posuit in eius definitione verba illa, ex quo inexistente, & c.

15 Ad illa duo argumenta, quæ ex definitione missionis hæc tradita ab Aristotele inferebantur, patet ex dictis q. 2. huius disputationis, missionem dici ab Aristotele miscibilem alteratorum vnionem, non quia in misto, quod fit per missionem, manent actu, & formaliter miscibilia alterata, & in vnum coniuncta, & vnita; sed quia productio misti non habet, quòd sit misto, nisi quando fit ex pluribus, quæ prius fuerunt loco coniuncta, & ibi per mutam inter se alterationem, seu actionem, & repulsionem, disponuntur materiæ ipsorum ad receptionem formæ

substantialis misti. Vnde optimè annotauit Scotus in solutione huius argumenti, verbis, *alteratorum esse præteritum passivum, & idem valere, ac si dicitur, missionem esse vnionem* eorum, quæ fuerunt alterata. Quo autem pacto intelligendum veniat illud commune proloquium, elementa manere in misto, explicabimus in solutione secundæ rationis ex adductis in contrarium.

16 Ad tertiam auctoritatem desumptam ex primo de celo respondetur, mistum dici ab Aristotele moueri ab elementis prædominante, non quia principium prædicti motus sit aliquod elementum actu, & formaliter existens in misto in maiori perfectione, quam alia; sed quia mouetur a qualitate misti magis simili qualitatibus illius elementi, quod propter maiorem conuenientiam, quæ habet forma misti cum forma illius, dicitur prædominari in misto.

17 Ad quartam auctoritatem desumptam ex libro 2. de anima, respondemus, in prædicta dubitatione, nomine elementorum non intelligere Aristotelem substantiam elementorum; quia cum hæc à sensibus non percipiatur, adhuc si sit medium inter ipsam, & sensus, non percipi poterit ab eis; sed intelligere qualitates similes qualitatibus elementorum, quæ actu, & formaliter sunt in misto,



sto, & ideo optimā fuisse Aristotelis responsionem.

18 Illud denique, quod dicit Aristoteles in prædicto libro de anima textu 39. scilicet, quòd si in corporibus animatis anima non detineret elementa, discederent ab eis in propria loca; argumentum est Aristotelis factum contra Empedoclem, qui ponebat integra elementa in misto, & operationes mistorum non procedere à forma aliqua misti, sed à formis elementorum, contra quem optimè arguit Aristoteles, obijciendo, quòd si anima in corporibus animatis nihil ageret, nec detineret elementa, prædicta elementa discederent à corporibus animatis in propria loca; hoc enim dicit ad hominem, nō ex proprio Marte.

19 Ad primam rationem ex adductis in secunda probatione in contrarium, respondeamus, mistum ex elementis dici minùs simplex, quàm elementum, non quia habeat actu, & formaliter plures formas elementorum, sed quia forma misti (vt statim dicam ex mente Scoti) est media inter formas elementorum, & perfectior, & actualior illis; & consequenter illas continet virtualiter, & in potentia.

20 Ad secundam rationem communis solutio Thomistarum est, ideo elementa dici manere in misto, non verò di-

ci mistum corruptum manere in genito ex eo, vel elementum corruptum manere in elemento genito ex eo; quia etiam si in misto, ex elementis nō maneat formæ substantiales elementorum actu, & formaliter; manent tamen actu, & formaliter qualitates eorum in gradibus attemperatis, vel eadē numero, vel specie, iuxta diuersas sententias de subiecto in hæssionis accidentiū: at in misto genito ex alio misto non dicitur manere mistum, quod corruptum, neque in elemento genito ex alio elemento dicitur manere elementum corruptum; quia in misto, & in elemento genitis, non solum non manent formæ substantiales corruptorum, sed neque qualitates eorum.

21 Hanc solutionem Thomistarum non approbat Scotus, eo quòd, vt sectione sequenti videbimus, ipse sustinet, in misto genito per missionem elementorū non manere actu, & formaliter qualitates elementorum, neque easdem numero, neque easdem in specie; sed solum manere virtute, & potentia in qualitate quadam superiori, quæ est qualitas propria misti, & consequitur ad formam misti, vt propria, & debita dispositio ad conservationem eius.

22 Aliter ergo respondet Scotus ad præfatam secundam rationem loco citato, & adducit

duas

duas responsiones optimas, & subtiles. Primò respondet, ideo elementa dici manere in misto, non verò mistum, vel elementum in misto, vel elemento ex eis genitis; quia mistum est medium inter elementa, & commune est omni medio dici continere in se extrema, non quia extrema actu, & formaliter sint in illo, (aliàs color medius, vt est rubedo, non esset qualitas simplex, sicut sunt qualitates extremæ, imò neque esset vnum per se) sed quia habet naturalem conuenientiam, cū extremis, quam non habent extrema inter se. Secundo respondet, ideo elementa dici manere in misto, non verò mistum, vel elementum manere in misto, vel elemento ex eis genitis; quia forma misti, ex Aristotele, est perfectior, & actualior formis elementorū, & consequenter formæ elementorum erunt in illa virtualiter, & in potentia, quam continentiam non habent vna forma misti respectu illius, quæ corruptum in eius generatione, nec vnius elementi respectu formæ alterius: & hoc, inquit Scotus, indicauit Aristoteles, cum dixit elementa manere in misto potentia, & virtute.

23 Ad tertiam, & vltimam rationem respondemus, quòd cum ex misto possint elementa vi alicuius agentis generari, licet non eadem numero, quæ erant ante missionem, saltem

eadem in specie, optimè dixisse Aristotelem, mistum posse resolui in elementa; tamen ex hoc non sequitur, elementa esse in misto actu, & formaliter, sed elementa esse in misto, vt alibi dixit Aristoteles, potentia, & virtute.

## SECTIO II.

*Discutitur quæstio de formis elementorum accidentalibus.*

24 Explicato modo, quo formæ substantiales elementorum manent in misto ex eis, restat explicare, quo pacto manent formæ accidentales, siue qualitates elementorum in misto ex prædictis elementis. Et certum esse debet in nostra, Scoti, & D. Thomæ sententia, quæ sustinet, accidentia non subiectari immediate in materia prima, sed in toto composito substantiali, non manere in misto ex elementis eandem numero qualitates, quæ erant in ipsis elementis, quia cum ex dictis constet, per missionem elementorum corrupti ipsa elementa, & nouum compositum substantiale, quod dicitur mistum generari, manifestū erit, corrupti qualitates, quæ erant in elementis, tanquam in subiecto, & aliàs in misto generari; nam accidens non migrat ex subiecto in subiectum. Solum igitur potest esse dubium, an istæ qualitates,

— S — quæ



quæ de nouo generatur in misto per mixtionem, & corruptionem elementorum, sint eiusdem speciei cum qualitatibus elementorum, an diuersæ?

25 Communiter Thomistæ, tam veteres, quam recentiores sustinent cum Angelico Doctore 1. part. quæst. 76 artic. 4. ad 4. & in 2. dist. 19. quæst. 1. artic. 4. & alibi sæpè, in misto, quod fit ex mixtione elementorum, simul produci cum forma simili qualitates eiusdem speciei cum qualitatibus, quæ præcesserunt in elementis, sed non ita intentas, ac erant in elementis, sed in gradibus remissis, & attemperatis, & in hac attemperacione qualitatum elementorum dicunt, consistere misti temperamentum, quam doctrinam pluribus conantur suadere.

26 Primò auctoritate Aristotelis, qui 2. de partibus animalium cap. 1. non solum docet, mistum ex elementis consistere ex virtutibus elementorum, sed etiam illas enumerat, & assignat, videlicet, calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem.

27 Secundò rationibus. Prima desumpta ab experientia, qua experimur subiectum eodem modo immutari à calore misti, ac immutatur à calore elementis; nec assignabile est, vnde possimus colligere inter prædictos calores hanc specificam differentiam.

28 Secūda desumpta ex duobus inconuenientibus, quæ ex opposita sententia sequerentur; primum, quòd quædam mistum frigidum calefit ab elemento, scilicet, ab igne, talis calefactio non esset motus propriè dictus; siquidem non procederet à qualitate contraria in misto actu, & formaliter existente. Secundum, quòd non posset mistum ab intrinseco corrumpi; nam corruptio subiecti ab intrinseco proueniens, petit in prædicto subiecto qualitates contrarias adu, & formaliter in ipso existentes; mista autem ab intrinseco corrumpi posse, manifestum est in viuentibus.

29 Tertia, dispositiones, quæ ex natura rei præcedunt ad introductionem alicuius formæ substantialis, eiusdem speciei sunt cum dispositionibus, quæ consequuntur ad introductionem talis formæ; sed elementorum materiæ disponuntur ad introductionem formæ substantialis misti per proprias qualitates per actionem, & repulsionem remissas, & attemperatas; ergo dispositiones, quæ consequuntur ad introductionem formæ misti, erunt etiam qualitates propriæ elementorum, licet in gradibus remisso, & attemperato, et si distinctæ numero, eiusdem tamen speciei.

30 Tendendum nihilominus est, qualitates, quæ consequuntur ad introductionem formæ misti, quod fit ex elementis, in

ma:

materia ipsorum, non esse eiusdem speciei cum qualitatibus elementorum (sicuti neque est eiusdem speciei forma substantialis misti, ad quam consequuntur, cum formis substantialibus ipsorum elementorum) sed in generatione misti, quæ fit ex mixtione elementorum, emanare à forma substantiali misti quamdam simplicem qualitatem, quæ ab Auicena dicitur qualitas complexionalis; ab alijs autem dicitur temperamentum misti, quæ diuersa est in specie à primis qualitatibus elementorum, & perfectior illis, & media inter ipsas, quæ propterea dicitur continere qualitates elementorum eo modo, quo sectione præcedenti diximus cum Scoto, formam substantialem misti ex elementis continere formas substantiales elementorum. Ita subtilis Doctor loco secundi sententiarum sæpè citato, quem sequuntur omnes discipuli; Tantaretur hic quæstio, *verum elementa maneat formaliter in misto*; Philippus Faber theoremate 60. Albertus Magnus 2. libro Physicorum, titulo 2. cap. 1. Durandus 2. quæstione prologi, num. 19. & in 4. dist. 12. quæstione 3. Gregorius in 1. distinct. 17. quæst. 3. art. 3. Herbas tractatu de pluralitate formarum, Iabellus 3. Metaph. quæstione 4. & plures alij, & probari potest.

31 Primò auctoritate Aristot-

relis 2. de generatione, tex. 4. 8. vbi ait, ex frigido, calido, sicco, & humido generari mistum, quod medium est inter extrema, & nullum ex eis.

32 Secundò rationibus. Prima desumitur à simili de forma substantiali misti ex elementis, quæ, vt ex dictis, sectione præcedenti patet, nõ est forma elementorum in gradibus remissis, & refractis; sed quædam alia forma substantialis distincta in specie à formis elementorum, media inter illas, & ipsas continens virtute, & potentia: ergo eodem modo dicendum erit de qualitate, quæ est temperamentum, & dispositio necessaria ad cõseruationem formæ substantialis misti, scilicet, non esse qualitates elementorum in gradibus remissis, seu attemperatis; sed quandam aliam qualitatem diuersam in specie à qualitatibus elementorum, mediam inter illas, & ipsas continentem virtute, & potentia.

33 Secūda desumitur ex alio simili, scilicet, ex simili de coloribus medijs, vt sunt color rubeus, viridis, &c. qui etiam si generentur ex mixtione aliorum colorum extremorum, nõ continent actu, & formaliter colores extremos, ex quorum mixtione resultant, adhuc in gradibus remissis; alijs, vt optimè obijcit Scotus, non essent qualitates simplices, vt ab omnibus reputantur, neque vnum



per se, sed vnum per accidens, ex agglomeratione pluriū qualitatum diuersarum in specie resultantis: ergo pari ratione temperamēta mistorum, quæ sunt mediū (vt docuit Aristoteles loco supra citato) inter qualitates primas elementorum, nō continebunt actu, & formaliter ipsas qualitates primas elementorum, etiam in gradibus remissis; sed esse quid distinctum ab illis in specie, continens tamen illas virtute, & in potentia.

34 Tertia desumitur ex inco-  
ueniēti, quod ex opposita sen-  
sentiā sequeretur, nimirū, quod  
nulla res posset permanere in  
suo esse, adhuc per paruum  
tempus, quin ab intrinseco  
corrumperetur, quo est contra  
experientiam; nam si seclu-  
dantur agentia extrinseca, ex-  
perimur, plures res ex inani-  
matis durare longissimo tem-  
pore. Sequela patet, nam cor-  
ruptis, seu variatis temperamen-  
tis (quæ sunt dispositiones ne-  
cessariō requisitæ ad conserva-  
tionem formarum substantia-  
lium) necessariō etiam corrū-  
pantur, seu variantur in mate-  
ria formæ substantiales; & cō-  
sequenter composita substantia-  
lia. Ponendo autem tempera-  
mēta mistorum consistere in  
agglomeratione quatuor pri-  
marum qualitatum elementorū,  
etiam si addatur in gradi-  
bus remissis, vt aduersarij po-  
nūt, necessarium est, fateri præ-

dicta temperamēta paruo tē-  
pore corrumpi, & variari; quia  
qualitates primæ elementorum  
contrariæ sunt, & cum natura-  
liter agant, si actu, & formaliter  
in aliquo subiecto collocē-  
tur per mutuam actionem, &  
repulsionem ipsam passim  
corrumperetur, seu variabitur  
ipsarum temperamentum.

35 Ad auctoritatem Aristote-  
lis adductam pro prima senten-  
tia respondēt, quod sicut Aris-  
toteles apud docet, mista con-  
stant ex elementis, non quia in-  
mixta sint formæ substantiales  
elementorum actu, & formaliter  
(vt fatentur nobiscum au-  
ctores primæ sententiæ contra  
Aucenam, & Auerroem) sed  
quia, vt dixit Scotus, forma mix-  
ta est media inter formas ele-  
mentorum, & sic dicit naturalem  
conuenientiam cum illis, quam  
non dicunt formæ elementorū  
inter se: vel aliter, quia forma  
mixta est perfectior formis ele-  
mētorū, & sic illas continet vir-  
tute, & in potentia: ita loco ci-  
tato dixit Aristor. ex virtutibus  
elementorum, scilicet, ex calo-  
re, frigido, &c. constare mix-  
tum, non quia istæ virtutes, seu  
qualitates sint actu, & formaliter  
in misto, sed quia in misto  
est quedā simplex qualitas, que  
dicitur eius temperamētū, media  
inter istas virtutes, & dicitur na-  
turalitē conuenientiam cū illis,  
quam non dicunt prædictæ vir-  
tutes inter se: vel aliter, quia  
mixta qualitas est perfectior illis,

Sc

& sic illas continet in virtute,  
& in potentia.

36 Ad primam rationem res-  
pondemus, falsum esse, nos ex-  
periri, subiectum eodem modo  
inmutari à calore misti, ac  
inmutatur à calore elementali,  
cum potius experiamur oppo-  
situm. Homo enim aliter im-  
mutatur à calore alterius homi-  
nis, ac inmutatur à calore ignis;  
quia isti calores, etsi aliquā  
habeant similitudinem, re verā  
diuersi sunt in specie; quod  
colligimus, tam à priori, quam  
à posteriori, à priori, quia sunt  
dispositiones ad conseruandas  
diuersas in specie formas sub-  
stantiales simpliciter requisitæ.  
À posteriori, quia calor nativus  
hominis disponit ad formam  
carnis; calor ignis disponit  
ad formam ignis; quæ formæ,  
cum sint specie distinctæ,  
requirunt etiam dispositiones  
specie distinctas.

37 Ad secundam negamus, se-  
qui ex nostra sententiā aliquid  
inconueniens: & ad primum,  
quod in ea dicitur, negamus,  
sequi ex sententiā nostra, quod  
quodō mistum frigidum cale-  
fit ab elemēto calido, scilicet,  
ab igne; talis calefactio nō est  
fetus motus propriè dictus; nam  
licet ille motus calefactionis  
non procedat à qualitate con-  
traria (scilicet, à frigiditate)  
elementali actu, & formaliter  
existente in misto; procedit ta-  
men à qualitate contraria actu,  
& formaliter existente in mi-

sto, scilicet, à qualitate com-  
plexionali; quæ cum virtute  
contineat frigiditatem elemē-  
talem, vt ex Scoto, & Aristo-  
tele supra dicebamus, resistit  
formaliter, ne calor ignis in-  
stanti, in misto, vbi ipsa actu, &  
formaliter existit, introduca-  
tur, sed successiuè, & in tempo-  
re, non secus, ac resisteret fri-  
giditas elementalī.

38 Ad secundum optimè re-  
spondet Scotus, corruptio enim  
intrinseca non competeat mix-  
tis; quia habeant in se actu, &  
formaliter qualitates contra-  
rias elementorum, ex quorum  
mixtione resultat eorum tem-  
peramentum; quia extrema,  
dum sunt in medio, non agunt  
ad corruptionem sui; sicuti  
neque agit ad corruptionem  
sui, cum vnaquæque est in se  
ipsa. Non enim, inquit Scotus,  
rubor, in quo dicitur extremi  
colores manere, tanquam in  
medio, corrumpit se magis,  
quam albedo, aut alius extre-  
mus color, quando sunt in se  
ipsis.

39 Sed dicere, vnde ergo pro-  
uenit corruptio intrinseca mi-  
storum, si non prouenit à qua-  
litatibus contrariis elementorū  
in mixtis actualiter, &  
formaliter existentibus? Res-  
pondet acutè Scotus, esse du-  
bium, vtrum mixta, quæ non  
nutriuntur, corrumpantur ab  
intrinseco (& ni fallor, si  
hæc mixta sint homogenea  
ex prædictis cum Scoto, vide-

†

S3

tut



tur certum, solum posse ab extrinseco corrupti) tamen de omnibus uiuentibus, quæ nutriuntur, esse certum, quod ab intrinseco corrumpantur: cuius corruptiois duplicem assignat causam: primam, quia animalia habent partes multas heterogenijs, quarum quælibet petit ad sui conseruationem diuersum temperamentum, v.g. cor temperamentum calidum, cerebrum temperamentum frigidum, &c. Vnde temperamentum cordis potest alterare temperamentum cerebri, &c. & consequenter accidit ab intrinseco infirmitas animalis, si pars, cuius temperamentum alteratur, non est principalis; & mors, si principalis sit, & non apponatur medicina: quæ causa etiam accommodari potest omnibus inanimatis, quæ constant partibus heterogenijs. Secundam, quia calor natius consumit humidum radicale, quod si non restaretur, moritur animal; ceteri restaretur per sumptionem cibi, cum partes substantiæ de nouo aduenientes, in quibus consistit humidum radicale, sint impuriore, & consequenter facilius labantur, & consumantur a natuo calore, discursum temporis consumetur in tantam quantitate humidum radicale, vt reddatur insufficientis ad conseruationem animalis.

40 Ad tertiam rationem dicimus, qualitates elementorum

non disponere vltimate materiam ad introductionem formæ substantialis misti, quousque per mutuan actionem, & repassioem corrumpantur, & generetur ex eis quadam qualitas media, quæ sit temperamentum necessarium ad receptionem formæ misti, specie ab eis distincta, & in virtute, & potentia eas continens. Quare argumentum potius colligit cõtrarium, scilicet, in misto non manere actu, & formaliter qualitates elementorum, sed qualitatem eiusdem speciei cum illa, quæ est vltima dispositio ad formam misti, licet numero distinctam.

#### QVÆSTIO IV.

*Verum in mistis dari possit temperamentum æquale ad pondus?*

**T**Emperamentum in mistis appellatur congrua illa dispositio, quam forma substantialis misti expostulat, tam ad sui introductionem, quam ad sui conseruationem in materia: quæ congrua dispositio (vt ex dictis in quaestione præcedenti sectione 2. patet) secundum Thomistam consistit nõ in aliqua simplici qualitate, sed in proportionem quadam quatuor primarum qualitarum. At secundum Scotum, & nostram, & plurimorum aliorum sententiam consistit,

408.

non in agglomeratione, quatuor primarum qualitarum in gradibus remissis temperatarum; sed in quadam simplici qualitate, media inter ipsas, & eas in virtute, & potentia continente. Quod ergo inquirimus in hac vltima quaestione est, an prædictum temperamentum possit dari in mistis æquale ad pondus? pro cuius intelligentia duo aduertenda sunt.

1. Primum est, duplicem æqualitatem distinguere à Medicis in temperamentis mistorum, scilicet, æqualitatem ad iustitiam, & æqualitatem ad pondus. Æqualitatem ad iustitiam appellant, quando qualitates, quas includit (vel actu, & formaliter secundum sententiam Thomistarum, vel virtualiter, & in potentia, secundum nostram, & Scoti sententiam) sunt in illo gradu intensiois, quem postulat forma substantialis misti ad sui conseruationem, siue vna sint alijs intensiores, siue non. Æqualitatem vero ad pondus vocitant, quando qualitates, quas includunt, sunt æquales intensiois inter se comparate, ita vt non plus participet ex vna, quam ex alia.

2. Secundum est, duplex temperamentum nos posse in mistis considerare, vnum resultantem ex quatuor primis qualitatibus elementorum, quæ sunt qualitates alteratiuæ, de quibus hucusque loquuti sumus; & aliud resultantem ex qualitatibus

loco motiuis, vt sunt grauitas, & leuitas; & de vtroque inquirimus, an sit possibile, quod detur in mistis æquale ad pondus, ita vt non participet magis de vna qualitate, quam de altera.

4. His suppositis dico primò, potentia Dei absoluta dari potest in mistis temperamentum resultantem, tam ex qualitatibus alteratiuis, quam loco motiuis, æquale ad pondus. In hac conclusione conueniunt omnes: & ratio est, quia non apparet repugnantia in hoc, quod Deus creet aliquid corpus habens omnes qualitates, tam alteratiuas, quam loco motiuas (vel formaliter, vel virtualiter, iuxta diuersas sententias supra relatas) inæquali intensioe, seu virtute, ita vt vna prædominetur alijs, vel e contra.

5. Dico secundò, naturaliter loquendo, licet ex omnibus partibus viuētis non possit dari temperamentum resultantem ex qualitatibus alteratiuis æquale ad pondus, eo quod diuersæ partes viuētis requirunt ad conseruationem animæ, vt in vnis prædominetur calor, vt in corde, &c. & in alijs prædominetur frigus, vt in cerebro, &c. nihilominus in mistis inanimatis, & in aliqua etiam parte viuētis dari potest temperamentum resultantem ex qualitatibus alteratiuis æquale ad pondus.



6 Ratio huius conclusionis est, quia non potest assignari ratio, cur in multis inanimatis, vel in aliqua parte uiuentis seorsim sumpta non possit resistere naturaliter hoc temperamentum æquale ad pondus; siquidē naturaliter possunt qualitates elementorum, ita mutuo inter se agere, & pati, ut deueniant ad æquale omnino interfectione, & consequenter ad statum requisitum, ut resistat ex existētem peramentum æquale ad pondus; nec potest dici, nullam esse formam substantialem, quæ naturaliter ex postulat ad suam conseruationem tale temperamentum; nam si dicatur forma substantiales, quæ naturaliter conseruantur cum temperamento qualitatum in gradu inæquali, cur non poterit dari forma substantialis, quæ naturaliter conseruari possit cum temperamento qualitatum in gradu æquali, cum istud sit omnino optimum, & perfectiori modo, valens formas substantiales conseruare?

7 Sed rogabis, an de facto datur in individuo alicuius speciei tale temperamentum, ita ut respectu illius sit temperamentum æquale ad pondus, & similiter æquale ad iustitiam? Galenus libro 1. de temperamentis cap. 9. & libro 2. capite 1. & Diuus Thomas 1. part. q. 91. art. 1. tenent partem affirmatiuam. Imò uidetur esse factis expressam Aristotelis. Nam

sect. 5. problematum, quæst. 22. docet, corpora ad æqualitatem temperata facile in morbum incidere, atque etiā facile curari; quæ uero non sunt ad æqualitatem temperata, non facile infirmari, nec facile curari. Et 2. libro de anima tex. 118. postquam docuerat, sensum tactus non sentire qualitates ægibiles in eo gradu, in quo ipsas habet; sed solum in inferiori; colligit inde, sensum tactus habere temperic, seu complexionem æquale ad pondus. Ethanc sententiā, quæ uera est, sequuntur recitiores, addētes, hoc temperamentum æquale ad pondus habuisse Adamum in pluribus partibus sui corporis, saltem pro illo tempore, in quo immediatē creatus fuit à Deo; & multo potiori ratione Christum Dominum, saltem pro illo tempore, in quo eius corpus immediatē fuit formatus à Spiritu sancto in uisceribus in uera uirginis Mariæ. Erratio est, quia si, ut dictum est, hoc est naturaliter possibile; non est profecto denegandum, in aliquo individuo factum fuisse, presertim si sint aliqua individua immediatē à Deo facta, ut fuit primus homo, & humanitas Christi Domini.

8 Dico ultimo: naturaliter loquedo, non potest dari temperamentum secundum qualitates loco motiua, ut sunt grauitas, & leuitas æquale ad pondus. Est communis sententia inter auctores, & probari potest à posteriori, & à priori.

9 A posteriori; quia sequeretur, quod corpus habens prædictum temperamentum, non haberet locum naturalem in toto mundo, ubi quiesceret, quod est contra intrinsicam rationem naturalis sublunaris; nam non posset quiescere in loco ignis, vel aeris, tanquam in loco naturali, propter æqualem grauitatē, qua inclinaretur ad motum deorsum; neque in loco aquæ, & terræ, propter æqualem leuitatē, qua inclinaretur ad motum sursum. Nec ualeat dicere, quod in dicto casu, esset hoc corpus, tanquam in loco naturali inter aquam, & aerem, quia cum aqua, & aer sint contigua, non potest ex cogitari locus medius inter aquam, & aerem, qui esset, naturalis prædicto corpori. Nisi forte uelis dicere, quod dimidia pars esset in aqua, & dimidia pars in aere; & hoc non, quia procedet argumentum de partibus existentibus in loco aeris, & in loco aquæ, quod factum est de toto corpore ad probandum non posse esse ibi tanquam in loco naturali.

10 A priori probatur; quia si cetero naturaliter non potest dari forma leuitas, nisi resultans ex summo calore, superante siccitatem; neque summa grauitas, nisi resultans ex summa siccitate superante frigiditatem, ut manifestum est in elementis ignis, & terræ; ita etiam non poterit dari leuitas media (naturaliter loquedo) nisi resultans

ex medio calore superante siccitatem; neque media, grauitas, nisi resultans ex media siccitate superante frigiditatem. Sed est implicatio in unico temperamento ex primis qualitibus dari mediam siccitatem, & simul siccitatem minorem media; quia idē respectu eiusdem esset maius, & minus: ergo etiam implicabit (naturaliter loquedo) quod leuitas media, & grauitas media simul conueniant in aliquo mixto ad faciendum unum temperamentum æquale ad pondus.

11 Sed obieciēt aliquis: grauitas, & leuitas resultāt ex permutatione primarum qualitatum; ergo si primæ qualitates permisceantur æqualiter ad pondus, resultabunt etiam ex tali permutatione grauitas, & leuitas; permixta æqualiter ad pondus. Sed probatum est, natura licet esse possibilem primam permutationem; ergo etiam naturaliter erit possibilis secunda permutatione.

12 Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam etiam ex permutatione primarum quatuor qualitatum sequatur grauitas, & leuitas; sed non ex permutatione primarum qualitatum facta in æqualitate ad pondus, sequitur permissio grauitatis, & leuitatis, facta etiā in æqualitate ad pondus. Quod si inquiras, in quo excedet corpus temperatum, secundum qualitates



primas, seu alteratiuas, & qualiter ad pondus, an in grauitate, an in leuitate? Respondeo, quod in grauitate, cum ibi sint (vel formaliter, vel virtualiter, iuxta diuersas sententias supra

tas) non solum frigiditas, & siccitas, quæ natura sua inclinant in grauitatem, sed etiam humiditas, quæ simul cum frigiditate habet etiam hanc inclinationem, vt patet in aqua.

## LIBER SECVNDVS DE ORTV, ET INTERITV RERV naturalium, seu de generatione, & corruptione earum.

TEXTVS. De missione igitur, & tactu, & actione, & passione, &c.

### SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

**P**ostquam in præcedenti libro egit Aristoteles de generatione, & corruptione substantialium rerum naturalium, & de alteratione, generationem antecedenti, & de nutritione, & augmentatione, ipsam consequentibus, & de actione, & reactione, quibus mediantibus fit mistio; & demum de ipsa mistione; aggreditur iam in hoc secundo libro, qui vndecim capita continet, disputationem de elementis, quæ sunt quædam corpora simplicia, ex quibus omnia mista generantur. Tria præstat, primo explicat, quæ sit natura elementorum. Secundo, an perpetua sint, an ortui, & interitui subiecta, saltem quoad partes? Tertio, si generationem subeunt, an omnia reciproca vicissitudine indifferenter se habeant, vel potius vnum ipsorum sit, ex quo, vt primo, cætera gignantur? & hæc in generali.

In speciali autem, in primo capite agit de principio materiali elementorum; & relatis, & refutatis varijs sententijs antiquorum Philosophorum de hac re, docet ex propria sententia, principium materiale generationis elementorum non esse aliquod corpus sensibile, sed materiam primam, quæ est pars essentialis cuiuslibet corporis, & actu non est separata ab omni forma substan-

tiali elementorum; inò neque ab omni contrarietate, id est, ab omni prima qualitate, & ita per istam contrarietatem fieri transmutationem ex vna forma in aliam, & consequenter generationes, & corruptiones elementorum, circa subiectum commune, tam genito, quam corrupto, eo quod contraria non possunt ad inuicem agere, & transmutare, nisi ratione alicuius subiecti communis, in quo exerceatur, & fiat transmutatio elementorum.

In secundo capite agit de principio formali elementorum, non quantum ad esse ipsorum, qua ratione principium formale elementorum sunt formæ substantiales eorum; sed in quantum sunt actiua, & passiua per contactum; nam hæc est propria consideratio elementorum in hoc libro; docetque non omnia contraria, quæ elementarijs corporibus insunt, esse principium formale ipsorum; sed ea solum, quæ ad tactum pertinent, siquidem his distaxat tangibilia, quæ alia sunt, differunt. Sed obicit sibi ipsi; aspectus est prior tactu; ergo qualitates, quæ sub aspectum veniant, priores erunt ijs, quæ tactui subiiciuntur, & consequenter hæc potius, quam illa, elementum constituent. Respondet negando vltimam consequentiam. quia cum elementa non agant, nec patiantur, neque cadant sub tactum; nisi interuentu tangibiliū qualitatum, his potius constitui oportuit, dum, vt tangibilia elementa considerantur. Vt autem eligat prima contraria tangibilia, ad principium formale elementorum spectantia; enumerat septem combinationes, seu contrarietates qualitatum tangibilium, scilicet, calidum, & frigidum, humidum, & siccum, & leue, durum, & molle; Lubricum, & aridum, asperum, & lenè, crassum, & tenue; ex quibus duastantum priores combinationes, scilicet, calidum, & frigidum, humidum, & siccum, vt formalia elementorum principia assignat, eo quod hæc præcipue, & primario vim agendi, & patiendi obtineant; nam etiam si grauitas, & leuitas sint principia motus; sed non motus alterationis, qui est, qui disponit ad generationem, & corruptionem, sed localis; reliquas vero reducit ad duas priores combinationes, calidi, & frigidi, humidi, & siccici; vt hinc planum appareat, has tantum quatuor qualitates esse primas: ex quibus quatuor primis qualitatibus duas priores, scilicet, calidum, & frigidum affirmat esse actiuas; quia calidum congregat ea, quæ sunt eiusdem generis; frigidum ea, quæ sunt generis diuersi; duas vero posteriores, scilicet, humidum, & siccum esse passiuas; quia humidum est, quod faciliè cedit alienis terminis; siccum vero, quod difficultè cedit alienis terminis, & faciliè constititur proprijs. Et quia ad hoc, vt aliquæ qualitates dicantur



primæ, non sufficit, quòd aliæ reducantur ad ipsas, sed etiam est requisitum, quòd inter se ita comparentur, vt vna non reducatur ad aliam; probat vnam non posse reduci ad aliam; nam siccum ad calidum reduci, nequit, aliàs omne siccum calidum esset, quòd falsum est; cum terra, quæ sicca est, calida non sit: nec humidum ad calidum, nam aqua humida est, & ex se omnis caloris expers: nec siccum ad frigidum, cum ignis sit siccus, & nullo modo frigidus: nec demum humidum ad frigidum, cum aer, qui humidus est, frigidus non sit.

In tertio capite statuit, quatuor tantum esse elementa, scilicet, ignem, aërem, aquam, & terram; quòd probat, primò ex combinatione quatuor primarum qualitarum. Cum enim quodlibet elementum habere debeat duas ex primis qualitatibus, vt per vnam conueniat cum altero elemento, & per aliam differat; & insuper quatuor qualitates quatuor modis tantum combinari possint; hinc fit, vt quatuor tantum esse possint elementa; nam calor, & siccitas constituunt ignem; humiditas, & calor aërem; frigiditas, & humiditas aquam; siccitas, & frigiditas terram. Quòd si aliquis obijciat, assignari posse alias duas combinationes primarum qualitarum, scilicet, frigidum cum calido, humidum cum sicco; responderet, hæc duo coniugia non posse dari, eo quòd contraria in eadem re conuenire nequeunt. Secundò probat auctoritate antiquorum Philosophorum, ex quibus nullus excelsit quaternarium numerum elementorum, licet aliqui pauciora posuerint. Theoremata quædam subiicit ad elementorum statum, conditionemque declarandam. Primum, duo elementa super eum locum tenere, scilicet, aërem, & ignem: duo inuim, aquam, scilicet, & terram. Secundum, extrema elemēta magis pura, & synœra esse, quàm media. Tertium, superiora inferioribus aduersari, nimirum ignem aquæ, aërem, terra; id verò provenire, ob qualitarum, quibus prædita sunt, repugnantiam. Quartum, licet singula elementa duplicem obtineant qualitatem, in vna tamen potissimum ex cellere, camque sibi, vt propriam primò vendicare; nam terræ magis propria est siccitas, quàm frigiditas: aquæ frigiditas, quàm humiditas: aëri humiditas, quàm calor: igni calor, quàm siccitas.

A capite quarto vsque ad sextum agit Aristoteles de generatione elementorum, & in isto quarto capite supponendo ex dictis, aliqua esse elementa disymbola, seu extrema, illa, scilicet, quæ in nulla qualitate conueniunt, vt ignis, & aqua, aer, & terra: alia symbola, seu media, illa, scilicet, quæ in aliqua qualitate conueniunt, vt ignis, & aer, aqua, & terra, ponit quatuor theoremata,

ta: seu quatuor regulas ad dignoscendum, quo modo elementa ad inuicem transmutantur. Primum theorema; absolutè loquendo, quòdlibet elementum potest transmutari, seu conuerti in aliud. Ratio est, quia ad inuicem comparata aliquam contrarietatem habent. Secundum, facilius est transitus inter symbola elementa, quàm inter disymbola. Ratio est, quia in illis cum in vna qualitate conueniant, minus contrarietatis reperitur, quàm in istis; quia in nulla qualitate conueniunt. Tertium, ex duobus elemētis disymbolis facilius aliquid tertium generatur, quàm vnum ex alio, v. gr. ex igne, & aqua facilius generatur aer, quàm aqua, vel ignis. Ratio est, quia plus contrarietatis est vincendum, vt inter se transmutentur, quàm quæ in vnum tertium conspirant. Quartum, ex duobus elemētis symbolis non generatur tertium, sed vnum ex alio. Ratio est, quia, cum conueniant in vna qualitate, est facilis transmutatio vnius in aliud.

Caput quintum: statuit Aristoteles capite præcedenti, elementa ex se vicissim oriri, nunc in isto capite, vt ostendat, elementa esse communia principia generationis omnium aliarum rerum, di quirit, sit ne in rerum natura aliquid corpus, quòd elementorum materia dici debeat? Et contra veteres Philosophos partem negatiuam sic probat. Si daretur aliquid corpus, quòd dici posset materia quatuor elementorum, vel hoc corpus esset determinatè aliquid ex elemētis, puta, vel ignis, vel aer, vel aqua, vel terra; & hoc non, quia si vnum elementum esset materia omnium, si prædictum elementum transmutatur in contraria, vnum elementum esset omnia; et si non transmutatur, sed in suo esse maneat, non erit generatio, sed alteratio, vel hoc corpus non esset determinatè vnum elementum, sed duo, aut plura, pura, aer respectu ignis, & aqua respectu aëris, &c. & hoc dici etiam non potest. Nam si ex aëre, v. gr. fiat ignis, tanquàm ex principio materiali, enim aer maneat, & ignis non fiat, nisi ex contrario, dabitur aliqua oppositio, seu contrarietas, cuius vna pars sit in aëre, & altera in igne, & vtraque in compositio, quòd de nouo gignitur, quòd cum sit ignis, in igne existent simul duo contraria. Neque satisfit, si dicatur, vnum ex his contrariis esse in aëre; alterum in igne: proinde non rectè inferri, duo contraria esse simul in eodem, non, inquam, satisfit; quia materia, aut non est compositum, aut non est compositum distinctum ab eo, quòd ex ipso constat; quare si aer in materia ignis, erunt simul in igne humiditas aëris, & siccitas ipsius ignis. Vnde colligit veteres Philosophos in diuisis repugnare, dum vnum elementum, materiam alterius constituerunt; si enim tale elementum subiicitur, vt aiunt,



aiunt, formis aliorum, materia est: item si est in actu, ut ipsi ponunt, materia non est: nam materia non est ens in actu, sed in potentia. Nec demum dici potest, quod istud corpus, quod ponitur materia elementorum, sit corpus ab omnibus elementis distinctum, ut aliqui ex antiquis Philosophis dicebant, alij statuentes corpus medium inter ignem, & aerem, crassius igne, & aere subtilius; alij medium inter terram, & aquam, densius aqua, & terra subtilius; nam sequeretur, inquit Aristoteles, quod prædictū corpus, quod ponitur medium inter ignem, & aerem, posset fieri simul aer, & ignis recipiendo contrarias qualitates, nempe siccitatem ignis, & humiditatem aeris. Et quia posset aliquis respondere, medium illud corpus melius elementi proprietatem fortiri, sed ea priuatum esse; & confutat Aristoteles primò, quia numquam datur priuatio alicuius qualitatis in subiecto absque inhesionem qualitatis contrariae. Secundo, quia huiusmodi corpus, eadem ratione, omni alia qualitate vacaret, & esset quasi infinitum quidpiam, nulli addictum formæ, comprehendere, & concludere in se valens omnes formas, ut aliqui ex antiquis dixerunt, longè à veritate aberrantes. Ex omnibus his colligit Aristoteles intentum, scilicet, quatuor elementa in rebus sensibilibus esse absolute prima principia; cum neque ex se se, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia sensibilia fiant. Ad probandum alia ratione eandem veritatem, scilicet, nullum elementum esse principium materiale aliorum, primò inquirat, an elementa permaneant, an alia in alia mutantur: idque vel omnia, vel quædam, ut Plato in Timæo docuit, asserens terram non mutari. Cui questionis respondet ea, quæ superius tradidit, summam colligendo, scilicet, omnia esse transmutabilia ad inuicem, quia omnia sunt affecta qualitatibus contrarijs, mutuo pugnantibus; sed facilius ex elementis symbolis, vnum in aliud, transmutari, quam disymbola. Secundo iterum inculcat id, quod supra demonstrauerat, scilicet, tantum dari quatuor elementa; quæ tantum dari possunt quatuor combinationes quatuor primarum qualitarum: quibus prælibatis, probat intentum hac ratione Omnia elementa possunt in se mutuo conuerti: ergo nullum est cæterorum principium materiale; patet consequentia, quia nulla est maior ratio, cur hoc potius, quam aliud sit. Sed quia posset quis dicere, non omnia elementa inuicem mutari; sed media in extrema, & extrema in media, non tamen extrema inter se, nempe ignem, & terram, atque ad eò hæc posse aliorum esse principia; confutat primò, quia aliàs omnia essent terra, & ignis, aut saltem ex terra, & igne proprias formas retinentibus constarent; quod

planè

planè absurdum est. Secundo confutat ostendendo, quod si elementa media in extrema, & extrema in media commutantur, etiam fatendum esse, extrema commutari posse inter se, & ad hoc probandum vitur litteris, vt sæpe alibi: & summa probationis est (omissis litteris, quia confusionem pariunt.) Quæcumque mutuo contraria sunt, possunt ad inuicem transmutari; sed omnia elementa, siue sint media, siue extrema, siue symbola sint siue disymbola, contrariantur inter se, vel vna, vel duplici qualitate; igitur omnia inuicem transmutari queunt. Et ne quis fugere tentet efficaciam demonstrationis factæ, fingendo dari processum in infinitum in progressu elementorum, ostendit talem progressum, tam versus inferiorem, quam superiorem partem esse impossibilem; nam ex opposito, inquit, sequeretur, in quolibet elemēto dari infinitudinem qualitatum alijs aduersantium. Nam cum vnumquodque elementum, vt experientia docet, in aliud conuertatur, quodlibet cæteris contrarium esse oportet, quare si infinitis, istæque natura diuersis opponatur, infinitas qualitates, per quas oppositionem exerceat, in se continerit. Quod autem in vno elemento non possint esse infinitæ qualitates, probat primò, quia aliàs nullum omnino elementum ex alio gigneretur: siquidem aboleri oporteret omnia contraria, quæ sunt in elemento, ex quo aliud gignitur; infinita autem cōfici, & præteriri non possunt. Secundo probat, quia si in vno elemento conuenirent infinitæ qualitates, omnia forent illud elementum, cum in eo aliorum proprietates inessent, & ei, cui alicuius rei proprietas inest, natura quoque inesse debeat.

In sexto capite totus est Aristoteles in coarguendo Empedoclem, eo quod negauerit, elementa in se mutuo conuerti, siueque dictis pugnanti inuoluerit, dum ex vna parte fecit elementa immutabilia, & ex altera affirmat, posse illa inter se comparari; nam æqualia illa vocat, cum tamen, quæ immutabilia sunt, comparari nequeant, & ea, quæ comparari possunt, mutabilia sint. Assignat autem Aristoteles triplicem comparationem, quam subire possunt elementa, & consequenter triplicem conuenientiam, ratione cuius mutari possunt. Nam comparari possunt secundum quantitatem, vt cum dicimus, ex vno sextario aquæ fieri decem sextaria aeris; & similiter comparari possunt secundum qualitatem, seu potentiam; quod dupliciter accidit, vel secundum qualitates diuersæ speciei, vt cum dicimus, ignem tantum calcificare, quantum aqua refrigerat; vel secundum qualitates eiusdem speciei, vt cum dicimus, hoc calidum, & illud ex aquo calcificare. Inculcat insuper Empedoclem, quod cum elementorum

com:



commutationem negat, verum augmentationem substulerit, & eam tantum reliquerit, quæ accessione vnius corporis ad aliud fieri solet, vt eum ignis additur igni (sicuti ex illius carmine constat) nam cum augmentatio comes nutritionis sit, & hæc, non sine præeunte alteratione datur, qui negat elementa, & consequenter mista alterari, negat etiam mista posse accrescere. Peccauit etiam, inquit, Empedocles, in eo, quod iuxta doctrinam suam placita non poterat rationem reddere eius generationis, quæ per naturam sit: talis enim generatio, aut semper, aut plerumque eodẽ modo procedit; nam homo hominẽ vitis vitem gignit; Empedocles autem nullam huiusmodi causam attulit, præter elementorum commixtionem, cum tamen id non sufficiat, vt simile aliud sibi simile producat; sed requiratur præterea forma substantialis, quæ talis generationis est principium. Nec satisfaciet, ait, Aristoteles, Empedocles, si dicat, ideo generari os, & nõ carnem, aut aliud quidpiam, quia elementa hæc potius ratione, quàm illa inter se coeunt; quæritur enim, quænam sit causa talis concursus, cum ipsa elementa per se esse nõ possint, neque etiam discordia, vel concordia; quia hæc solum elementorum secretionem, & coniunctionem efficere possunt; non verò illam temperiem, ac misturam qualitatũ, quæ ad hoc potius, quàm ad illud generandum necessaria est, & in qua mistio, ac natura consistit. Reprehendit etiam Empedoclem, quod leuiter de motu differuerit; nam cum statuisset licem, & amicitiam esse principia mouentia, nihil de eis particulatim explicuit, neque docuit, quo pacto lis, & amicitia mouerent, quod tamen declarare oportebat, aut definiendo, aut, vt notum supponendo, aut perspicuis rationibus demonstrando, aut probabilibus disquirendo, aut alia quauis via disputando. Vt ansam sumat iterum coarguendi Empedoclem, quãdam diuisionẽ motus affert, scilicet, in naturalem, qualis est, quo ignis in superum locum, terra in infimum tendit, & in violentum, quales est, quo ignis in infimum, terra in superum locum agitur: qua diuisione posita inquirat ab Empedocle, si ne amicitia motus naturalis, an violentus? Nam cum elementa non cõgredient nisi ignis descendat, & ascendat terra, & huiusmodi coniunctio effectus sit concordia; iam motus amicitiaẽ erit violentus, & secretioni similis, ac lis magis erit causa motus naturalis, quàm amicitia; quod falsum est, & Empedoclis dogmata repugnans: quare fieri nequit vt lis, & amicitia sint principia mouentia: quod si hæc non sunt, cum apud Empedoclem non sint alia, nullus erit corporum naturalium motus, imò neque quies; habitus enim, & priuatio versantur circa idem. Affirmat insuper

Empedoclem sibi contradicere, dum affirmat, res naturales fortuito, & à casu effici; nam ponẽdo ex alia parte duo tantum principia mouentia, & his solum omnes motus attribuens, fortunam, & casum negauit, quam aliqui conecisit. Denique Empedocleẽ coarguit ex elementorum abusu; etenim vt corpora, ita & animam ex elementis componebat; aut vnum ex elementis esse affirmabat, quorum vtrumlibet falsum, & absurdum esse ex eo conuincit, quod si anima esset elementum, non alias affectiones, quã elementorum exposeret: quare neque musica, neque priuatio musica; neque memoria, aut obliuio in eam caderent, cum hæc propriam elementorum naturam minimẽ consequantur. Item si ex elementis constaret, cum omne id, quod ex elementis constat, mistum sit, & corporeum, sequeretur, quod anima esset corporea; quod à vero longẽ distat, quod alibi probandum, scilicet, in libris de anima relinquat.

In secundo capite explicat Aristoteles, quo pacto elementa in mixturem veniant. Et in primis supponit, illos, qui fatentur elementa, ex quibus constant mista, habere aliquid commune, scilicet, materiam, debere quoque admittere illa mutuo transmutari per se: & e contra illos, qui affirmant elementa, mutuo transmutari posse, debere etiam affirmare, elementa habere aliquid commune, scilicet, materiam. Hoc supposito, ponit rationes dubitandi in quacumque sententia, inquit, ex sententia Empedoclis, qui ponit elementa generationis, & interitus ex pertia, eaque formas proprias in re mista seruare, necessariò iafferri, nullas dari partes in misto eiusdem rationis; sicut sunt ossa, & carnes; siquidem quælibet harum constaret ex multis formis diuersarum rationum. In vera autem sententia, quæ ponit elementa ad inuicem mutabilia, etsi facile sit explicare, quomodo ex vno elemento generetur aliud, scilicet, ex aqua aër; quia cuique præteritum est iudicare, quod hæc communem habent materiam; tamen difficile valdè est explicare, quo modo mista, vt sunt os, & caro, fiant ex elementis, cum non appareat, quid dari possit elementis, & mistis commune. Circa propositam difficultatem ponit sententiam Empedoclis existimantis, mista concretæ ex elementis in exiguas partes comminutis, vt murus ex lateribus, & lapidibus, quam impugnat; quia sequeretur, non posse ex quolibet parte misti extrahi omnia elementa; sicuti non possunt ex qualibet parte muri extrahi lateres, & lapides. Et quia aliquis poterat occurrere, etiam ex qualibet parte ceræ non potest simul oriri figura spherica, & pyramidalis, sed ex hac portione spherica, & ex altera pyramis; hanc obiectionem confutat eodem



dem exemplo, quia sicut ex qualibet parte cere potest qualibet figura confici; ita ex qualibet parte misti potest per resolutionem quoduis elementum gigni: quod tamen Empedocles tucri nequit, qui in misto, integra seruat elementa. Ut propolite difficultati ex propria mente respondeat, obijcit contra se; quia etiamsi elementa mutabilia sint, & vnam habentia materiam constituentur ad hoc; videtur sequi absurdum, si quidpiam fiat ex elementis: aut enim hæc integra manerent, aut non; si manent, nihil aliud erit mistio, quam compositio, ut Empedocles aiebat: si non manent, sola eorum materia in misto relinquatur, atque ita mistio non erit, sed generatio, si quidquam ex illis fit; quod si nihil fiat, manebit sola materia, quod est absurdum. Diluit propositam obiectionem explicando modum, quo fit mistio, seu quo pacto elementa ad mistionem concurrant (quod latius explicauerat capite vltimo primi libri) ac primo supponit, quatuor primas qualitates esse intensibiles, & remissibiles. Deinde dupliciter posse aliquid appellari calidum, vel frigidum, vno modo simpliciter, eo quod totam latitudinem intensiōis sibi vindicat, & quod hoc pacto calidum est, frigiditatem tantum in potentia habet; & contra, quod hoc pacto frigidum est, calorem in potentia tantum habet. Alio modo secundum quid; licet enim calorem obtineat, non tamen summum, sed in aliquo gradu ex remissis, & quod ita affectum est, aliquid frigus admittit, estque tunc subiectum partim calidum, partim frigidum, seu (ut proprius loquitur) est medium inter calidum, & frigidum; idem de cæteris qualitatibus contrariis dicendum est. His positis docet, elementa eatenus misceri, quatenus contraria, quæ naturæ eorum affectiones sunt, manent in misto, neque prorsus acta, neque prorsus potentia, sed refractis excellentijs, & ad quoddam medium, seu temperiem redacta, atque ita, neque sola materia seruetur, neque contraria, ut erant in elementis, sed refracta, & ad quoddam medium, seu temperiem redacta, & simul cum materia. Addit hoc temperamentum qualitatum contrariarum, quod manet in misto, non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem, atque inde vnum mistum esse alio calidius, vel frigidius, duplo, triplo, aut alia proportione. Admonet etiam, quemadmodum dictum est, mista fieri ex elementis, ita elementa educi ex misto, in cuius potestate, seu virtute sunt; cum hoc autem discernat; quod mista fiunt ex elementis modo compositorio; elementa vero gignantur ex misto, modo resolutorio.

In capite octauo duplici ratione demonstrat, in quolibet misto, inesse elementa omnia. Prima, corpora mista, quæ circa

terram

terram gignantur, constant terra, & aqua: ergo & ære, & igne: antecedens probat, quia huiusmodi mista naturaliter in terra quiescent, proindeque terream naturam participant, & cum agglutinari nequeant absque humore aqueo, qui id mirifice præstat, necesse est, ut aqua etiam in eis contineatur. Consequenter probat, quia, cum qualitates in summo horum elementorum, scilicet, siccitas terræ, & frigiditas aquæ contrariæ sint qualitatibus in summo ignis, & aeris, scilicet, humiditati aeris, & calori ignis, & insuper in nullo misto qualitates elementorum sint in summo, sed refractæ, & ad temperiem redactæ ex mistione qualitatum contrariarum, necessarium erit, ut vbicumque reperiantur terra, & aqua, in mistionem coeuntes, reperiant etiam ær, & ignis ratione suarum qualitatum. Secunda ratio, vnumquodque nutritur ex ijs, quibus constat; sed viuientia nutriuntur ex quatuor elementis in se coalitis: ergo ex eis eadem constat: minorem probat instantia plantarum, quæ simplici alimento nutriuntur, & tamen reuera omnia elementa in earum pastu contineri inde probat; quia agricola ad ipsa nutrienda terram aquis irrigat, & fimo pinguescunt, in quo nutrimento, cum insint duo elementa, terra, scilicet, & aqua, duo alia, scilicet, ignis, & ær simul etiam inesse oportet per suas qualitates, ratione facta in prima probatione. Incidenter docet inter elementa, solum ignem nutriri; non tamen proprie, sicut nutriuntur viuientia; quia non per intusumptionem, sed per iuxta positionem.

In cap. 9. ostendit, ad generationem cuiuscumque rei naturalis tres causas concurrere, duas intrinsecas, materiam, scilicet, & formam, & aliam extrinsecam, scilicet, efficientem. Sicut enim, inquit, in cælestibus corporibus duo principia, materia, scilicet, & forma, non sufficiunt ad motum; sed oportet adesse tertium, nimirum, intelligentiam, quod vim habeat agendi: sic in ijs, quæ interitum, & generationem subeunt, non satis est dari materiam, & formam, sed adiungendum est tertium principium, quod materiam mutet, & formam inducat. Explicans sigillatim istas tres causas ait, materiam esse potentiam quandam ad esse, & non esse, quæ rebus (ablunatibus, vt gignantur, & intereant, causa existit. Quod vt magis declaret, subdit, rerum quoddam necessarium esse, vt corpora cælestia; aliàs necessariò non esse, vt chimeram; aliàs medium locum tenere, quia ita posibles sunt, vt possint esse, & non esse, & huius vicissitudinis materiam esse causam; quia dum formam suscipit, accipiunt res esse, & vt illam relinquunt, depercutunt res. Formam autem esse id, cuius gratia ali-



quid sit, & rationem substantiæ cuiusque rei, id est, quod rei essentiam potissimè confert. Causam denique efficientem veteres Philosophos somniasse, inquit; nam cum de illa non nihil dixerint, eam tamen nullus omnino expressit. Ponit ergo circa illam duas extremas sententias, vnam Platonis, qui posuit ideas, seu species rerum separatas à singularibus, & materiæ experies, quæ per impressionem sui in materiam causabant rerum species, ita vt dum impressio illa perseverabat, res genitæ subsisterent; dum evanescebat, inrerirent. Alteram aliorum, qui assererant materiam esse principium effectuum, ita vt cum bene disponitur, & accidentium apparatus intrinsevit, omnia per se pariat, & in lucem efferat. Refellit Aristoteles vtramque istam sententiam. Sententiam Platonis refellit primò, quia si generatio esset ex impressione idearum, cum idæ sint æternæ, & semper eodem modo se habeant, & ex alia parte materia semper sit in promptu ad recipiendas formas, profectò semper, & continenter agerent, nec assignari posset ratio; cur quandoque agant, quandoque non. Secundo, quia cum ars sit æmula naturæ, ex his, quæ in arte videmus, optimè indagare possumus ea, quæ sunt in natura; & in arte, præter formam, & materiam, est efficiens; nam in medicina præter sanitatem, & subiectum, est medicus; & in disciplinis, præter scientiam, & discipulum, est magister; ergo in natura præter formam, & materiam, danda erit alia causa, quæ sit efficiens. Secundam sententiam refutat, tum quia materiæ non est mouere, & agere, sed moueri, & pati; tum etiam, quia in arte materia, & instrumenta non se mouent, sed mouentur ab artifice; ergo etiam in natura materia non mouet se, quantumcumque habeat qualitates; sicut ferra, licet habeat dispositionem requisitam ad sciendum, nisi moueatur ab artifice, non sciendit.

In capite decimo, reiectis veterum Philosophorum dogmatibus, suam de vniuersali causa effectrice ortus, & interitus cuiusvis rei sententiam exponit; & supponens id, quod late tradiderat s. Physicorum, scilicet, dari vnum primum motorem, & vnum primum motum circularem, & per se continuum; docet, primum motorem, mediante hoc motu, esse primam causam efficièntem perpetuitatis generationum, & corruptionum omnium rerum sublunarium; & probat, quia, cum iste motus sit perpetuus, & continuus, rationabile est, quòd ipse sit causa reliquorum motuum, qui non semper sunt; potius enim id, quod semper est, debet esse causa eorum, quæ semper non sunt, quàm e cõtra. Sed ex hoc, inquit Aristoteles, dux emergunt difficultates; prima, quia,

quæ, cum iste primus motus vnus, semperque idè sit, semper natus erit facere idem; quare aut semper erit generatio, aut semper corruptio, neque vna alteri succedet. Secunda, contrarij effectus contrariæ causæ requirunt; sed generatio, & corruptio sunt contrariæ; ergo si motus cæli earum causa est, non vnus tantum erit; sed plures, & contrarij; cum autem primus motus vnus iãtum sit, & omni contrarietate vacet, non viderit, qua ratione ad illum tanquam ad causam generatio, & corruptio rerum sublunarium referri queant. Ad has difficultates respondet Aristoteles, probare quidem non solum motum primi mobilis esse causam generationis, & corruptionis rerum sublunarium; sed etiam, & præcipuè requiri motum solis sub circulo obliquo, seu Zodiaco, qui cum etiam sit perpetuus, causa est, cur generationes, & corruptiones nunquam intermittantur; & cum varius, & quasi contrarius sit respectu nostri, nunc versus septentrionem, nunc versus austrum girans, tam generationes, quàm corruptiones efficit. Ex quibus colligitur, tempora generationis, & corruptionis inter se æqualia esse, quemadmodum solis accessus, & recessus paribus temporum spatijs absolvitur; nam accessus à Capricornio ad Cancrum sex mensibus peragitur, totidemque recessus à Cancro in Capricornium, & in accessu sunt, ver, & æstas in recessu verò autumnus, & hyems. Subijcit quoque, vitam cuiusque viuents certa periodo contineri à cælesti circulo, hoc est, à cælesti influxu, à quo, & virtus generantis modificatur, & res genita, quoad suam conseruationem dependet; quod probat ex eo, quod omnia ordine continentur, & ordo postulat, vt inferiora superioribus gubernentur. Quod de æqualibus spatijs generationis, & corruptionis dixerat, compertum esse dicit experientia; videmus enim, sole ad nos appropinquante, omnia reuiuiscere, abscedente verò, in interitum ruere; monet tamen sæpe accidere, vt quædam generationes, vel corruptiones citius, alia tardius perficiantur ob facilitatem, aut repugnantiam materiæ, quæ præparada est, alia svè causis huiusmodi; semper tamen generationes, & corruptiones continuari, & nunquam deficient; quia generatio vnius corruptio alterius est. Tradit finalem causam perpetuitatis generationis horum inferiorum, & consequenter ipsorum interitus, qui, vt dictum est, generationem concomitatur, dicens, naturam, sua propensione ferri semper in id, quod melius, & nobilius est; est autè melius, & nobilius esse, quàm non esse; oportere autem ad hunc finem assequendū, quòd ordo, & series generationum, & corruptionum nõ deficiat, vt sic quodammodo fiat in immortalia singularia, quæ his rebus sublunariis subiunguntur; nam eisi numero pereant, alijs



per generationem in eorum locum succedis; specie conseruantur, & ob hunc etiam finem circulearem motum cælestium sphaerarum, qui perfectissimus est motus generationis, & corruptionis, quoad fieri potest, etiam æmulatur: sicut enim ille ab eodem puncto versus idem punctum circulariter tendit, ita etiam ex aqua, v. g. per mutuam, & circulearem generationem, & corruptionem fit recessus ad eandem aquam, cum ex aqua generetur aer, & ex aere ignis, & ex igne rursus aer, & ex aere aqua. Inquirunt etiam, cur elementa, quæ naturæ impetu in propria loca tendunt, ut ibi quiescant in finitis annorum sæculis de cursis (sicut enim mundum ab æterno) non iam in natua sede, propriaque regione consistant, sed sursum, & deorsum aberrent? Respondet, idcirco propria loca deserere, ut inter se congregentur, & à diuersis qualitatibus mutuò agant, atque ex ipsis generationes fiant. Vnde est etiam, quòd magna ex parte confusa existant; nam terra, & aqua calore attenuata in exhalationem, & vaporem solvuntur, ascenduntque, & aer frigore addensatus descendit. Docet præterea motorem non vnum, sed multos esse, quemadmodum motus non vnus, sed multi sunt: similiter mobilia non vnum, sed plura, verum, ut omnia mobilia sub vno primo motore esse, ex quo aliquas deducit consequentias. Prima, motus est; ergo motor est. Secunda, motus semper est; ergo motus perpetuus est. Tertia, motus est perpetuò continuus; ergo & motor vnus est, immobilis, & generationis, atque alterationis expertus. Quarta, si plures sint motus circulares, plures erunt motores; sed omnia hæc quodammodo sub vno esse principio necesse est. Quòd motus sit continuus, probat, quia tempus est continuum, & fieri nequit, quòd sit tempus sine motu: sed in quaestione vocat, sit ne motus continuus, quia mobile continuum est: nam quia terminus, ad quem tendit, continuitatem habet? Respondet, omnem motum physicum esse continuum, ex parte subiecti; nihil enim talem motum subit, nisi quantitate præditum sit; id tamen peculiare esse latium, ut etiam id, supra quod fit, id est, magnitudo, quam conficit, continuitatem obtineat, & hanc quidem obtinet sine exitu latio circularis, quæ fertur supra magnitudinem conclusam circulo, initij, finisque experte.

In vndecimo capite docet, perpetuitatem generationum, & corruptionum, quam capite præcedenti statuerat, non posse cõtingere, si generationes, & corruptiones fiant in rectum; sed ad hoc oportere, quòd fiant circulariter; & antequam ad probationem huius assumpti accedat, ad ostendendum generationes specierum (id est, singularium si expectetur, quatenus per ea species con-

conseruantur) necessarias esse; generationes autem ipsorum singularium, si vnumquodque in se consideretur, non esse necessarias, sed contingentes, docet, quòd sicut ea, quæ generantur, quædam sunt necessaria, ut solem in orbem moueri; quædam contingentia, ut Socratem currere: ita generationes, cum sint via ad esse, quædam sunt necessaria, quædam verò contingentes; necessaria, quæ ad rem necessariam ad consistentiam pulchritudinis vniuersi terminantur, qualis est specierum conseruatio: contingentes, quæ ad rem non requisitam ad conseruationem pulchritudinis vniuersi tendunt, qualis est conseruatio huius potius, quàm illius indiuidui. Ex quibus colligit, quòd sicut id, quòd ortu prius est, necessario arguitur ex eo, quòd ortu est posterius, ut ex recto fundamentum, ex fundamento lutum; ita in hypothesi, quòd posterius necessarium est, tunc necessario colligi ex priori, ut si oportet simpliciter domum esse, ex fundamento necessario arguitur domus futura, licet etiam mutuò recipiari, si hoc est, illud est, si illud est, hoc est; quin verò in tali rerum genere non est dicendum, posterius simpliciter colligi ex priori; sed ex conditione suæ naturæ, cum ponatur ex se absolutè necessarium. His præinfertis, accedit ad probandum suum intentum, scilicet, perpetuitatem generationum, & corruptionum non posse contingere, si progressus in generationibus sit directus, id est, cum formæ, quæ successiuè inducuntur in materiam, semper sint diuersæ speciei, & cum ex terra fit aqua, & ex aqua aer, & ex aere ignis, &c. sed solum posse contingere, quando progressus in generationibus est circularis, id est, cum huiusmodi formæ, quæ successiuè inducuntur in materiam, nõ semper sunt diuersæ speciei, sed fit regressus ad illam, quæ est eiusdem speciei, ut cum ex aqua fit aer, ex aere ignis, ex igne terra, & ex terra aqua, & rursus ex aqua aer, vbi à generatione aeris fit reuolutio ad generationem eiusdem aeris: & ratio, qua istud probat, talis est, quòd progressus in generationibus est directus, vel tales generationes essent finitæ, vel infinitæ; neutrum dici potest; ergo, &c. non primum, quia fequeretur intentum, scilicet, generationes non esse perpetuas. Non posterius, quia si semper alia, & alia forma introducitur, nulla erit simpliciter necessaria. Superest ergo, ut solum possint generationes, & consequenter corruptiones perpetuari, cum progressus in generationibus est circularis; quia tunc ex vna prioris generatione (etsi aliquibus interspiciatur) necessario sequitur alia, qua redeat idem secundum speciem; quod etsi non continuatione, regressione tamen perpetuum sit. Demum proponit duo dubia; primum, cur quædam ex se mutuo in circulum oriatur,



tur, vt cum ex aëre fit aqua, & ex aqua aër, & ex vaporibus pluuiarum, & ex pluuiis vapores; non tamen in alijs id accidat, vt si ex Sophronico Socrates, non tamen ex Socrate Sophronicus? Secundum, an in circulari serie generationum idem numero redire queat? Et ad hoc vltimum respondet, quæ sempiterna sunt, & interire nequeunt, posse redire eadem secundum numerum, vt idem sol ad arictem: caduca verò non nisi secundum speciem regredi. Vnde etiam prioris dubij explicatio liquet; sicut enim in reciproca aëris, & aquæ generatione, non idem numero, sed solum idem in specie restauratur; ita neque in ortu animantium idem numero restaurari potest, sed solum idem in specie.

### ANNOTATIONES CIRCA LITERAM huius libri.

**C**irca ordinem procedendi nota, elementa posse dupliciter considerari, vel prout certam, & determinatam in mundo sedem obtinent, ad quam naturali propensione feruntur: vel prout sunt prima generabilia, & corruptibilia, cæterisque corporibus sublunariibus, ortus, & interitus causam præbent; in priori consideratione agit de elementis Aristoteles in 3. & 4. libro de cælo; in posteriori verò agit in isto 2. lib. de ortu, & interitu.

Circa id, quod docet in 2. cap. scilicet, ex quatuor primis qualitatibus, duas esse actiuas, scilicet, calorem, & frigus; duas verò passiuas, videlicet, humiditatem, & siccitatem, aduertendum est, per hæc non intendere Aristoteli, solum calorem & frigus esse qualitates actiuas, & solum humiditatem, & siccitatem esse qualitates passiuas; nam omnes quatuor primas qualitates esse, tam actiuas quam passiuas, ostendimus supra, lib. 1. disputat. 6. quæst. 2. & nunc confirmari potest, quia aliàs non posset inter illas qualitates dari mutua actio, & repassio, cuius oppositum docet ipsemet Aristoteles, sed quod intendit, est, inter istas qualitates esse hoc discrimen, quod calor, & frigus sunt magis actiuæ, quam passiuæ; è contra verò siccitatem, & humiditatem esse magis passiuas, quam actiuas in ordine ad mixtionem, quæ est, quam per se intendebat Aristoteles explicare.

Circa nonum caput notare oportet, Aristotelem expressis verbis affirmare, cælum constare materia, & forma, cõtra Aueroerem, qui libro de substantia orbis cap. 2. & libro 8. Metaph. cap. 4. & libro 1. de cælo cap. 2. scripuit, corpus cæleste non constare

materia, sed esse medium quod inter puram potentiam, & purum actum, quem sequutus est Durandus in 2. dist. 12. quæst. 1. num. 14. & plures alij.

Reliqua, quæ docet Aristoteles in hoc libro, duabus disputationibus expendemus: prima erit de elementis, & primis qualitatibus: secunda, de transmutatione substantiali elementorum.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De elementis, & primis qualitatibus.

**D**e elementis, eorumque primis qualitatibus sempterna à nobis discutienda sunt; primum, quid sit elementum? Secundum, *verum tantum sint quatuor primæ qualitates, & quid sint?* Tertium, *verum primæ qualitates sint formæ elementorum?* Quartum, *verum vocæ collegerit Aristoteles numerum elementorum ex primis quatuor qualitatibus, & quantum primæ qualitates singulis elementis conueniant, & qua intensio?* Quintum, *verum qualitates contrariæ possint esse simul in eodem subiecto?* Sextum, *verum qualitates elementis minus intensa habeat per mixtionem contrariæ?* Septimum, *verum qualitates symbolæ elementorum sint eiusdem speciei?*

## QUÆSTIO PRIMA.

### Quid sit elementum?

**N**OMEN elementum dupliciter usurpari solet. Primo ad significandum prima principia, ex quibus aliqua res intrinsecè coalescit, qualiacumque illa sint, in qua significacione sumpsit Aristoteles nomen elementum 1. Physicorum textu 1. dum ait, *Cum in omnibus doctrinis, quarum sunt principia, aut cause, aut elementa, &c. in qua significacione tam materia, &*

forma respectu entis naturalis, quam litera respectu dictionis elementa dici solent. Sed in tam lata significacione non sumitur hic elementum. Secundo, & magis strictè sumitur nomen elementum ad significandum quædam corpora simplicia, scilicet, ignem, aërem, aquam, & terram, in quantum habent esse prima principia, ex quibus mixta omnia coalescunt, eo pacto, quo explicatum est lib. 1. dis-



disp. 7. agendo de miftione, & in hac fignificatione, quæ cõmunis, & vulgaris eft, fumitur nomen elementum in hoc libro ab Ariftotele, & à nobis, & de ipfo inquirimus, quid fit ratio formalis per ipfum fignificata?

2 Ariftoteles 3. de cælo textu 31. elementum in hac ftricta, & vulgari acceptione fumptum, his verbis definit, *Elementum eft illud corporum, in quo alia corpora diuiduntur, quod neft potentia, aut actu, ipfumque eft indiuifibile in diuerfa fpecie.* Omitto aliam definitionem, quæ referri folet ex eodem Ariftotele 5. Metaph. cap. 3. textu 4. quia vt annotauit Scorus in 2. dift. 15. quæftione vnica, & nos cū ipfo ftatuimus fupralib. 1. difput. 7. quæft. 3. fect. 1. num. 14. ibi Arift. non definit rationem formalem elementi, quæ propria, & communis eft quatuor vulgaribus elementis, fcilicet, igni, aëri, aquæ, & terræ, quæ eft, quam in præfenti explicare intendimus; fed materiam primam, quam optimè appellat elementum, fumpto elemento in priori ex duabus fupra pofitis acceptionibus, ob rationes, quas loco citato adduximus.

3 Hanc elementi Ariftotelicam definitionem Pater Arriaga difp. 4. de elementis fect. 1. non folùm obfcurem, fed etiã non bonam appellat, non alia ratione, niſi quia ex elemento nõ componuntur reliqua cor-

pora, nec ipfa funt indiuifibilia reliquis, cum contentent etiam materia, & forma. Etſi ab ipſo petas, quo meliori modo poterit elementum definiri, ac definitum eft ab Ariftotele? Respondet hoc pacto eſſe definiendum, *Elementum eſt, quo vnica tantum qualitate ex primis conſtat.*

4 Sed firmiter tenendum eſt, fupra dictam definitionem elementi traditam ab Ariftotele bonam, & exactam eſſe; ita tenent omnes Peripatetici, tam veteres, quàm recentiores. Et ratio efficax eſt; quia per ipſam non ſolum declaratur natura elementi, in ſecunda, & vulgari acceptione fumpti, in quantum inducit rationem primi principij, feu elementi; fed etiã diſtinguitur ab omni alio primo principio, quod latè, & in priori acceptione fumpto dici folet elementum: quod non melius probari poteſt, quã per ſingulas partes definitionis diſcurrendo, & ipſas explicando.

5 Nam in primis per illa verba, *illud corporum*, denotatur elementum, quod hic definitur, debere eſſe corpus, ac per conſequentiam à ratione elementi, quod hic definitur, excludi materiam, & formam, cæteraque alia prima principia, quæ corpora nox funt, vt funt prima demonſtrationes, quæ ab Euclide elementa mathematica nũcupantur, eo quod alia

prio-

priores demonſtrationes non ſupponant. Ad dicitur, *in quod alia corpora* (ſcilicet, miſta) *diuiduntur*, id eſt, *reſoluntur*, ad denotandum ad rationem intrinſecam elementorum, formaliter, & vt elementa funt conſiderata, ſpectare, eſſe principia materialia, ex quibus corpora miſta coaleſcunt, & in quæ prædicta corpora miſta reſoluntur. Subſequitur, *quod in eſt potentia, aut actu*; quibus denotatur, ad rationem elementi requiri, quòd aliquo modo elementa mancant in illo, reſpectu cuius dicuntur elementa, feu prima principia; nam ſi nullo pacto in illo mancant, vt contingit, quando vnum elementum generatur ex alio, v. gr. cum ex aëre generatur ignis, aër (etſi aliàs elementum eſſe poſſit) nõ dicitur elementum ignis; quia neque actu, neque potentia manet in igne. Ponuntur autem ſub diſtinctione illa particula: *potentia, aut actu*; quia nondum Ariftoteles diſputauerat illam celebrem queſtionem, quo pacto elementa mancant in miſto, an actu, an ſolum potentia; vt in diſputatione vltima præcedentis libri ſtatimus. Demum ponuntur illa verba, *ipſumque indiuifibile in diuerfa ſpecie*, ad denotandum de ratione formalis elementi, quæ hic definiatur, eſſe non poſſe diuidi,

ſeu reſolvi in plura corpora ſpecie differètia, ſicuti diuidi, ſeu reſolvi poteſt miſtum; licet enim elementũ, ex epli gratia, aqua, poſſit diuidi in duas, aut plures partes integrantes, quarum qualibet fit corpus, ſed nõ funt corpora diſtincta ſpecie. Et ſimiliter, etſi diuidi, ſeu reſolvi poſſit in duas partes eſſentiales, materiam, ſcilicet, & formam, quæ eſſentialiter, & conſequenter ſpecie incompleta differunt; ſed non tanquã in duo corpora; materia enim, & forma, etſi ſint principia, ex quibus corpora coaleſcunt, ipſa tamen corpora non ſunt.

6 Ex his patet, quãm friuolis rationibus Pater Arriaga aulius ſit, Ariftotelis definitionem, ab omnibus Peripateticis receptam, non bonam appellare. Nã ad primam respondemus, etſi in ſententia Auicennæ, & Auerois, & aliorum, qui ſuſtinebant, elementa manere actu, & formaliter in miſto, inferri poſſet ex elementis componi alia corpora; tamen in ſententia omnium Peripateticorum, & ipſiusmet Ariftotelis, qui in his libris de generatione determinauit id, quod ſub dubio reliquerat 3. libro de cælo, tradens ſupra allatam definitionem elementi, ſcilicet, *elementum non manere in miſto actu, & formaliter, ſed ſolum virtualiter, & in potentia*, minime inferri poſſe; reliqua corpora componi ex elementis; ſed.



sed quod debet inferri est, elementa in illis corporibus, quæ ex ipsorum mixtione resultant, manere virtualiter, & in potentia; quod etiam ipsiusmet Ariagæ calculo verissimum est.

7. Ad secundam rationem dicimus, misere labi prædium auctore, dum assumit (expressè contra Aristotelem) elementa non esse indivisibilia, quàm alia corpora mista; licet enim elementa diuidi, seu resolui possint in materiam, & formam; sed non in corpora specie differentia, sicut diuiditur mistum, cum resoluitur in elementa, vt num. præcedenti, explicando vltima verba definitionis traditæ ab Aristotele, visum est.

8. Definitio autem elementi, quam ex propria mente assignat Ariaga, non solum est singularis, sed in multis deficiens. Tum, quia ad ipsam tradendam supponit duo principia, non solum singularia, sed etiam falsa. Primum est, solum dari duas primas qualitates, calorem, scilicet, & frigus; nam humiditas (inquit hic auctor) nihil aliud est, quàm ipsa corpora fluida; siccitas verò carentia ipsorum corporum fluidorum; quod quam singulare, & contra omnium Peripateticorum placitum sit, quisque perpendat. Secundum, in nullo elemento esse plus, quàm vnam qualitatē, ex primis, est expressè contra

Aristotelem, & communem Peripateticorum sententiam, quæ in quolibet elemento ponit duas ex primis qualitatibus; vnam in summo, & alteram infra summum. Tum etiam, quia, adhuc admissio, quod in quolibet elemento solum esset vna ex primis qualitatibus, nõ recedè definire elementum (formaliter, & in quatum elementum est, quæ est ratio, sub qua hic definiri debet) per hoc, quod est, *constare vnica tantum qualitate ex primis*, ac in vltiori sententia Peripateticorum, quæ ponit in quolibet elemento duas ex primis qualitatibus, vnam in summo, & alteram infra summum, per hoc, quod est, *constare duabus qualitatibus primis, vna in summo, & altera infra summum*; quia etsi per hæc verba benè exponeretur, quid sit hoc, quod denominatur elementum; non tamen ipsa ratio formalis elementi, quæ non in hoc, sed in habitu dine primi principij corporei ad principiatum consistit, quæ habitudo, cum optimè explicetur per definitionem traditam ab Aristotele; idcõ meritò ab omnibus Peripateticis, vt bona, & exacta veneratur.

## QVÆSTIO II.

Quot sint primæ qualitates, & quid sint?

1. PRO intelligentia tituli quæstionis nota, cum inquirimus de numero primarum qualitatū, non fieri comparationem inter omnes qualitates, sed solum inter qualitates sensibiles; imò inter sensibiles per sensum tactus, quas Aristoteles hic cap. 2. textu 8. ad septem contrarietates reduxit, videlicet, ad *calidum, & frigidum, humidum, & siccum, graue, & leue, durum, & molle, lubricum, & aridum, asperum, & leue, crassum, & tenue*; facta ergo comparatione inter istas septem contrarietates tangibilium qualitatū, nunc inquirimus, quænam qualitates ex his; primæ qualitates dici debeant, & quæ non?

2. Aristoteles cap. 2. huius libri, quatuor tantum ex qualitatibus enumeratis, primas statuit, scilicet, *caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem*; quam assignationem, & determinationem omnes Peripatetici recipiunt; imò Galenus libro 1. methodi capite 2. contendit, Hippocratem fuisse huius assignationis auctore, *calidum (inquit) frigidum, siccum, & humidum, primis Hippocrates inuenit; post eum Aristoteles demonstratione asseruit; cuius assignationis, &*

determinationis sufficiëntia sic demonstrari potest. Illa dicuntur prima principia entium naturalium ex Aristotele 1. Physicorum, *quæ neque ex se se, neque ex alijs; sed ex ipsis omnia sunt*; ergo simili ratione illæ dicuntur primæ qualitates, inter qualitates tangibiles, *quæ neque ex se se, neque ex alijs; sed ex ipsis omnes aliæ qualitates sunt*. Sed inter qualitates tangibiles solum caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas hoc pacto se habent; ergo inter qualitates tangibiles solum hæc quatuor debent inter qualitates primas assignari. Minor huiusdiferentia non melius probari potest, quàm per singulas conditiones ad rationem primæ qualitatis requisitas discurrendo.

3. Et in primis circa primam conditionem manifestum est, vnam qualitatem contrariam, vt est frigiditas respectu caloris, & siccitas respectu humiditatis, non fieri ex alia qualitate contraria, tanquam à causa efficiente, in quo sensu nunc loquimur, licet vna fiat ex alta, tanquam ex termino, a quo, sed si fiat comparatio inter qualitates non contrarias, maior est difficultas.

4. Andreas Cæsalpinus libro 4. Peripateticarum quæstionum, quæst. 1. affirmat, siccitatē, & humiditatem, ex caliditate, & ex frigiditate pèdere, seu prouenire, ac per consequens de-



defectu huius conditionis tantum esse annumerandas duas primas qualitates, caliditatem, scilicet, & frigiditatem. Et probare nititur ex ipso Aristotele, qui 1. Physicorum, textu 56. docuit, non esse nisi unam primam contrarietatem, ex qua alia oriuntur: & similiter per experientiam, quia ignis suo calore exsiccat carnes, & ligna, & vestes, &c. & lutum exsiccat a calore solis, vel aeris.

5. Ceterum tenendum est, siccitatem, & humiditatem non provenire per se ex alijs duabus primis qualitatibus, & consequenter ratione huius primæ conditionis esse ita primas, ac sunt illæ. Assumptum probō; quia apud Aristotelem hoc in libro, siccitas cōiungitur cum summo calore in igne; humiditas cum summa frigiditate in aqua: & contra, humiditas cum calore in aëre, siccitas summa cum frigiditate in terra: ergo dici non potest, quod humiditas ex calore, siccitas ex frigore, neque e contra, quod humiditas ex frigore, siccitas ex calore, nec ambæ ex mixture caloris, & frigoris proveniant; sed quod omnes sint æquæ primæ; ita expressè Aristoteles in hoc libro textu 14. docuit his verbis, *Neque enim calidum, quod humidum, vel quod siccum: neque humidum, quod calidum, aut frigidum: nec frigidum, & siccum, nec subinveniem, nec sub ca-*

*lido, & humido sunt; quas proprie necesse est, quatuor esse has primas, scilicet, qualitates; quia non sunt inter se ex alterutris.*

6. Neque obstant ea, quæ in contrarium subiiciebat Galenus. Nam ad auctoritatem Aristotelis respondemus, non esse ad rem; nam 1. lib. Physicorum solum agit Aristoteles de primis principijs generationis entis naturalis, scilicet, de materia, forma, & privatione, & inter hæc docet, solum dari unam contrarietatem, formam scilicet, & privationem eius. De primis autem qualitatibus tangibilibus agit in isto secundo libro de generatione, & in eo capite 2. docet inter primas qualitates, non solum dari duas contrarietates, videlicet, calidum, & frigidum, humidum, & siccum; sed etiam affirmat, quod si inter ipsas solum esset una contrarietas, non possent dari quatuor elementa, sed tantum duo.

7. Ad experientiam dicimus falli, qui existimant, igne suo calore per se exsiccare, seu quod idem est, per se producere siccitatem in carnes, ligna, vestes, &c. & similiter lutum per se exsiccare a calore solis, vel aeris; cum solum hoc præstent per accidens, scilicet, removendo prohibentia emanationem siccitatis in prædictis corporibus: non secus, ac calor ignis receptus in aqua prohibet in illa emanationem frigi-

giditatis; licet enim calor ignis exsiccat carnes, ligna, vestes, &c. & similiter calor solis, vel aeris exsiccat lutum; sed hoc non præstant producendo siccitatem in eis, sed quia rarefaciēdo prædicta corpora, partes humidæ resolvuntur in vapores, & sic manent prædicta corpora exedita, & emundata à contrarijs siccitatis. Unde si per calorem attenuetur quidem, & emollescant corpora; sed non resolvantur partes humidæ ipsorum, potius videntur corpora humectari, quam sicari, ut contingit in cera, glacie, metallis, &c.

8. Neque ex hac doctrina inferat aliquis id, quod non bene calens, sed longo sermone intulit Arriaga, scilicet, neque humiditatem esse qualitatem, seu aliquid distinctum à substantijs corporum fluidorum; neque siccitatem consistere in aliqua entitate positiva, sed in mera carentia corporum fluidorum. Nam humiditatem, seu fluitatem esse qualitatem à substantijs corporum, quæ denominantur humida, seu fluida prædicamento distinctam, & similiter siccitatem esse qualitatem positivam, contrariam humiditati, seu fluitati, inconcussa veritas est, tam ab Aristotele capite 2. huius libri, quam ab omnibus Peripateticis recepta.

9. Quod si alicui in favorem Patris Arriagæ placeat, à nobis

petere, quænam sit causa per se efficiens siccitatis carniū, lignorum, vestium, &c. & similiter luti, supposito, quod calor ignis, vel solis solum dicitur à nobis causa per accidens, & tanquam removens, prohibens? Nam cum de noua siccitas habeat esse in supra dictis corporibus, & alijs per nos entitas positiva sit, & de prædicamento qualitatibus, necessarium debemus assignare aliquam causam per se efficientem, à qua producat, quæ non appareat etiam nobis placebit ab ipso petere, quando aqua, quæ calcfit ab igne, amittit frigiditatem, & postea per separationem ab igne recuperat naturam frigiditatem, quænam est causa per se efficiens illius novæ frigiditatis? Nam etiam si separatio ab igne possit dici causa illius novæ frigiditatis, sed non per se, sed solum per accidens, & tanquam removens prohibens.

10. Quod si respiciat (ut respondere debet cum communi sententia) causam efficientem per se illius novæ frigiditatis esse ipsam substantiam aquæ, à qua sublatis impedimentis, emanat illa nova frigiditas in aqua, tanquam accidens ei connaturale, & dispositio requisita in aqua ad eius conservationem in statu perfectæ dispositionis; ita similiter nos respondemus, in casibus supra positus, siccitatem, quæ sublatis impedimentis, in luto, ligno, vestibus, car-



ne, &c. de nouo aduenit, effe-  
ctiue, & per se dimanare à sub-  
stantia terræ, seu prædictorum  
corporum terrenorum; quia  
non est accidens minus con-  
naturale elemēto terræ, & cor-  
porum terrenorum (cum pro-  
portione debita) siccitas, ac  
frigiditas respectu elementi  
aquæ, & humiditas respectu aë-  
ris, vt ex dicendis cum Aristote-  
le constabit.

11 Circa secundam conditio-  
nem, scilicet, neque ex alijs, ma-  
nifestum etiam est, hanc con-  
ditionem competere calori, fri-  
giditati, siccitati, & humiditati; ac  
per consequens prædictas qua-  
tuor qualitates ratione huius  
secundæ conditionis merito ab  
Aristotele primas qualitates in-  
ter qualitates tangibiles esse ap-  
pellatas; tum quia omnes aliæ  
tangibiles qualitates (vt statim  
cum Aristotele ostendemus)  
oriuntur ex istis quatuor: ergo  
nequeunt istæ quatuor ex alijs  
qualitatibus tangibilibus oriri:  
tum etiam, quia non potest as-  
signari aliqua qualitas ex tan-  
gibilibus, ex qua aliqua ex præ-  
dictis quatuor qualitatibus ori-  
ri possit.

12 Sed tria obijci solent con-  
tra hoc, primum; lumen, & co-  
lores sunt qualitates priores  
quatuor enumeratis: ergo qua-  
tuor enumeratæ non sunt pri-  
mæ. Antecedens est expressa  
sententia Aristotelis hic cap.  
2. vbi expressè docet, obiectū  
visus, vt sunt lumen, & colores,

esse prius obiecto tactus, vt sunt  
calor, frigus, siccitas, & humi-  
ditas.

13 Secundum; motus localis  
est prior motu alterationis, te-  
ste Aristotele 8. Physicorū tex-  
tu 55. ergo principia motus  
localis erūt etiam priora prin-  
cipijs alterationis; sed prin-  
cipia motus localis sunt grauitas,  
& leuitas; principia verō alte-  
rationis sunt calor, frigiditas,  
humiditas, & siccitas; dantur  
ergo, adhuc facta comparatio-  
ne solum inter qualitates tan-  
gibiles, aliquæ qualitates priores  
calore, frigiditate, humidi-  
tate, & siccitate; ac per conse-  
quens istæ non erunt, facta cō-  
paratione inter qualitates tan-  
gibiles, primæ qualitates.

14 Tertium; quando elemēta  
à corporibus extrinsecis ex-  
trahuntur à sua naturali dispo-  
sitione, v. gr. cum aqua calefit  
ab igne, terra humectatur ab  
aqua, &c. seclusis impedimen-  
tis extrinsecis, reducunt se ad  
suam naturalem dispositionē,  
v. g. aqua ad suam naturam fri-  
giditatem; terra ad suam natu-  
ram siccitatem, &c. sed huius-  
modi reductiones, seu produ-  
ctiones non possunt provenire  
immediatè à forma substan-  
tiali ipsorum elementorum,  
quia, vt dicitur in 2. de anima,  
substantia non potest operari,  
nisi medio aliquo accidenti:  
ergo assignandæ sunt in vno-  
quoque elemento aliæ priores  
qualitates, à quibus hæc redu-  
ctio-

tionem, seu productionem im-  
mediatè proueniant; ac per cō-  
sequens frigiditas, siccitas, &c.  
non erunt primæ qualitates de-  
fectu huius secundæ conditio-  
nis, neque ex alijs.

15 Ad primam ex his obie-  
ctionibus respondet Aristote-  
les, (vt vidimus in litera) non  
esse ad rem, quia etiam si obie-  
cta visus, vt sunt lumen, & colo-  
res, sint priora prioritate perfe-  
ctionis, quàm obiecta tactus, vt  
sunt calor, & frigus, &c. tamen  
obiecta visus non sunt qualita-  
tes tangibiles, quæ sunt inter  
quas in præsentī fit cōparatio,  
cum dicitur calorem, frigidita-  
tem, humiditatem, & siccitatem  
esse primas qualitates.

16 Ad secundā dicimus, quòd  
si sermo sit de motu locali cæ-  
lorū, vera est maior, & de hoc  
motu loquitur Aristoteles loco  
citato, cum docet, esse priorem  
via generationis motu alteratio-  
nis; sed falsa est minor, scilicet,  
grauitatem, aut leuitatem  
esse principia huius motus, cū  
potius sint intelligentiæ. Si ve-  
rò sermo sit de motibus locali-  
bus horum inferiorum, vera  
est minor respectu motuum lo-  
calium grauium, & leuiū; sed  
falsa est maior, scilicet, motus  
istos locales esse priores via ge-  
nerationis motibus alterationis;  
neque ipsam docuit Aristote-  
les loco citato, sed potius  
docuit oppositum; postquam  
enim dixit, motum cælorū esse  
priore motu alterationis, sub-

dit, motus locales horum infe-  
riorum posteriores esse via ge-  
nerationis cæteris mutationi-  
bus, eo quòd prius est aliquid  
alterari, & generari, quàm lo-  
caliter moueri.

17 Propter tertiam obiectionem,  
aliqui (vt auctor est Marsilius  
2. libro de generatione q. 5.) existimauerunt, quòd sicut in  
mistis (in sententia nostra, &  
Scoti, quæ tenet, vt lib. 1. disp.  
7. q. 3. sect. 2. statumus, in mis-  
tis non manere actū, & forma-  
liter elementorum qualitates)  
datur quædam simplex qualitas  
in virtute, & potentia continens  
elementorum qualitates, vel  
eis valdè similes, quas  
producere solent in corpori-  
bus extrinsecis per excitationē  
eorum, vt patet in vino, in pi-  
pere, in sale, &c. ita in quolibet  
elemēto existimabant, dari  
duas proprias qualitates eius-  
dem quidem appellationis; di-  
stinctas tamen specie inter se,  
v. g. in aqua esse duplicem fri-  
giditatem, alteram formalem, al-  
teram virtualem, & frigiditatē  
formalem dicebant intendi, &  
remitti à contrarijs extrinsecis;  
virtuale verò minimè, sed ma-  
nere semper eodem modo, ab  
eaque aquam reduci ad suam  
pristinam frigiditatem forma-  
lem, quando calciebat ab ali-  
quo agente extrinsecō: & idem  
proportionali modo cōtingere  
in alijs elemētis. Hæc modū  
philosophādi ex neotericis se-  
quutus est Auicenna quæst. 41.



de elementis, sect. 4. neque ex hoc sequitur, inquit, quod malè enumeraverit Aristoteles inter qualitates primas calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem formales, quia etiam si hæc fiant à similibus qualitatibus virtualibus; tamen hæc qualitates virtuales, non solum sunt tangibiles, sed neque alio aliquo sensu perceptibiles; & ut sæpè dictum est, Aristoteles solum appellat calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem formales, primas qualitates, facta comparatione inter qualitates tangibiles. 18 Sed hæc sententia merito ab omnibus rejicitur, primò, quia si daretur huiusmodi qualitates virtuales, spectarent utique ad tertiam speciem qualitatis; & consequenter essent per se primò sensibiles, quod non contingit, ut experientia constat, & etiam auctores qui ipsas fingunt, fatentur. Secundò quia superflue multiplicantur, & ponuntur in unoquoque elemento istæ qualitates virtuales; nam ubi est caliditas, vel frigiditas formalis, ad quid, quæso, erit necessaria caliditas, vel frigiditas virtualis?

19 Respondes, ut medià ipsa, elementa, quando à contrariis extrahuntur à propria, & contrarij dispositione, reducantur ad illam, quia ut in tertia objectione supra facta dicebatur, & ex Aristotele confirmatur, reductiones istæ non pos-

sunt immediatè à forma substantiali elementorum provenire. Sed hæc responsio, quàm falso nitatur fundamento, ex professo ostendimus 2. libro Physicorum, disp. 4. quæst. 6. & pronunc sufficiat, quod sicut auctores oppositæ sententiæ nullum reputant inconueniēs, quod frigiditas, vel caliditas virtualis aquæ, vel ignis emanent immediatè à forma substantiali aquæ, vel ignis; ita nullum nos inconueniēs reputamus, quod frigiditas, vel caliditas formalis emanent, etiam immediatè ab ipsa forma substantiali aquæ, vel ignis; & consequenter, quod elementa reducantur ad suam naturalem dispositionem immediatè à sua forma substantiali.

20 Neque auctoritas Aristotelis est contra nos; nam cum 2. libro de anima affirmat, substantiam non posse operari, nisi mediò accidenti, loquitur de operationibus, quæ nõ sunt emanationes, sed dicuntur productiones, ut cum ignis generat ignem; hoc enim non præstat, nisi disponendo prius mediò calore materiam, in qua introducenda est forma ignis. At si operatio sit emanatio, ut est, cum aqua reducit se ad primitivam frigiditatem, formæ substantialis immediatè operantur, aliàs daretur processus in infinitum.

21 Demum tertiam conditionem, scilicet, quod omnes aliæ qua-

qualitates tangibiles fiant ex calore, frigiditate, humiditate, & siccitate, vel saltem ex aliqua ex istis, ac per consequens competere ex eis prædictam tertiam conditionem ad rationem primæ qualitatis requisitam, probavit ipse Aristoteles hic cap. 2. textu 8. assignando cuiuslibet qualitatis tangibilis, quas ipse enumerauerat, & à ratione primarum qualitatum rececerat propriam primam qualitatem, ex qua oriuntur, dicens, tenue oriri ex humido; crassum ex sicco; lubricum ex humido; aridum ex sicco; molle ex humido; durum ex sicco; lene ex humido; asperum ex sicco; quæ doctrina non est ita intelligenda, ut singulæ qualitates secundæ oriuntur ex singulis qualitatibus primis, quas assignat Aristoteles, cum re vera proveniant ex mixtione vtriusque contrariæ qualitatis; vna tamen, vel alia prædominante, v. gr. molitiem ex maiori humiditate, quàm siccitate; duritiem ex maiori siccitate, quàm humiditate, & sic de reliquis. Quibus si addas ex calore oriri raritatem, & consequenter leuitatem; ex frigore densitatem, & consequenter grauitatem, pro comperto habendum erit, secundas qualitates tangibiles omnes oriri ex permissione caloris, frigiditatis, siccitatis, & humiditatis inter se, & consequenter his quatuor qualitatibus competere

omnes tres conditiones ad rationem primarum qualitatum tangibilium requisitas, & nulli alteri.

22 Statuimus hucvsque cum Aristotele, inter qualitates tangibiles, quatuor esse primas qualitates, nec plures, nec pauciores, scilicet, calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem. Restat ex plicare secundum, quod posuimus in titulo quæstionis, quidnam sint istæ quatuor primæ qualitates? Res sanè difficilis; facilis enim est sensu ipso discernere, ac dignoscere singulas prædictas qualitates, quàm ratione definire. Sequemur ergo in his, sicut & in alijs vestigia ipsius Aristotelis

23 Aristoteles hic textu 8. loquens de calore ait, *Calidum est, quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis*; & quia poterat quis obijcere, etiam esse caloris segregare; nam ignis ita congregat massam auri, ut segreget icorias; subdit, hanc separationem provenire ex vi congregationis eorum, quæ sunt eiusdem generis: loquendo verò de frigiditate ait, *Frigidum autè est, quod coniungit, & congregat similiter ea, quæ eiusdem generis, & quæ non eiusdem generis*: idem repetit textu 54. & idem docuerat libro 3. de celo textu 74. & 4. meteorologicorum capite 1. & alibi. Ex hac doctrina Aristotelis omnes Peripatetici has definitiones, tam caloris, quàm fri-



frigoris affirmant, *Calor est qualitas, quæ congregat homogenea, & segregat heterogenea. Frigus est qualitas, quæ congregat homogenea, & heterogenea.*

24. Hæ definitiones Peripateticorum, si debite intelligantur, optimè sunt: pro quarum intelligentia nota primò, *ly congregare* in præfenti idem esse, ac simul vnire, coadunare, & miscere: *ly verò segregare* est idem, ac econtrareparare, ac discernere. Secundo nota per *ly homogenea*, seu *eiusdem generis*, non intelligi ea, quæ sunt eiusdem generis speciei; sed ea, quæ assimilantur in quibusdam accidentibus, seu affectionibus, vt sunt fluxibilitas, liquabilitas, & his similia: vnde vinum, & aqua, pix, & cera, hic habentur pro homogeneis, seu eiusdem generis. Ex aduerso per *ly heterogenea*, seu *diuersi generis* non intelliguntur ea, quæ sunt diuersæ speciei, sed quæ in prædictis accidentibus, seu affectionibus dissimilia sunt; quare non solum aqua, & palæ, sed etiam vapor aqueus, & aqua, exhalatio terrestris, & terra habentur pro heterogenijs, seu diuersi generis.

25. His explicatis, probari possunt supra allatæ definitiones ab effectibus, aliquibus exemplis; nam cum per calorem ignis metalla liquantur, coadunantur inter se omnes partes consimiles, videlicet, auri, vel argenti, & segregan-

tur ab impuritatibus antea admixtis, nempe, scorijs, alijvè partibus terrestribus, & alienis. Item pix, & cera simul per calorem ignis liquantur, simul adunantur, etiam si sunt diuersæ speciei; quia cum vitæque liquefiat, sunt in hoc homogenea. Econtrario vero frigus, simul adunat, & consistat omnia, vt patet in congelatione, vbi simul in glacie condescunt, & vniuntur aqua, & palæ, ligna, herbæ, lapides, &c.

26. Dices; operationes congregandi, aut disgregandi, numeratæ in prædictis exemplis, non proueniunt primario, & immediatè ex calore, & frigore; sed secundario, & remotè; calor enim primario, & immediatè rarefacit, & relaxat corpora, & ex hoc sequitur, vt ea, quæ sunt eiusdem ponderis, & liquabilitatis, adunentur simul, & misceantur; his verò, quæ dissimilia sunt, liber præbeat trāsitus, vt vnũ quodque ad suum locum cum cedat, leuiora attollantur, grauiora subsideant, dura concrecant, liquabilia fundantur. Econtrario frigus primario, & immediatè condensat, & ex hoc sequitur, quòd simul adunet, & cōstringat omnia, quæ inuenit, siue homogenea, siue heterogenea sint, vt contingit in glacie; ergo sic calor, & frigus solũ possunt à posteriori, & per effectus proprios describi, seu definiri,

potius definiendi erant, *calor est, qui rarefacit; frigus est, quod densat.*

27. Sed ad hæc facillè respondetur, quòd cum Aristoteles, & omnes Peripatetici contendant explicare naturas caloris, & frigoris, non per qualescumque operationes ipsorum, sed per illas, per quas immediatius concurrunt ad mixtionem, seu constitutionem mixti, optimè illas explicauit non per rarefacere, vel condensare corpora, sed naturam caloris per cōgregare homogenea, & segregare heterogenea; naturam vero frigoris per congregare homogenea, & heterogenea, quia operationes istæ immediatius, & intimius concurrunt ad constitutionem mixti, quàm operationes rarefaciendi, & condensandi, vt perspicuum est.

28. De humiditate, & siccitate idem Aristoteles loco citato textu 9. sic ait, *Humidum autem, quòd interminabile proprio termino, facillè terminabile existens; siccum autem facillè terminabile proprio termino; difficile autem terminabile: ex qua doctrina Aristotelis Peripatetici omnes has definitiones, tam humiditatis, quàm siccitatis efformant, Humiditas est qualitas reddens corpus difficile terminabile termino proprio, facillè alieno: siccitas est qualitas reddens corpus facillè terminabile termino proprio, difficile alieno.*

29. Hæ definitiones, quæ

dantur per effectum formalem harum qualitatum, optimæ sunt, & pro clariori earum intelligentia est notandum, per *ly terminum* positum in his definitionibus, præcipuè significari figuram, & sic terminari termino proprio idè est, ac habere ex se propriam, & consistentem figuram; terminari verò termino alieno idem est, ac figurari, & contineri per aliud corpus ad modum vasis; & explicari, seu probari possunt exemplis: aqua enim, & quicumque alij liquores, in quibus maximè apparet humiditas, nullam ex se retinent figuram; sed prorsus se accommodant cuiuscumque figuræ vasis, in quò infunduntur: econtrà terra, lapides, ligna, & alia quæcumque censentur sicca, tenaciter retinent propriam aliquam figuram, eis semel inditam, nec recipiunt figuram corporis cōtinentis.

30. Sed obijciat aliquis: farina, cinis, & puluis, & ipsa terrestris arena sunt corpora valde sicca; & nihilominus non retinent propriam aliquam figuram, sed illam recipiunt ex vase, quo recipiuntur: ergo definitiones siccitatis, & humiditatis traditæ non sunt bonæ.

31. Respondetur facillè, non habere propriam, & consistentem figuram, sed potius illa recipere ex vase, quo recipiuntur,



non competere farinæ, cineri, pulveri, & terrestri arenæ per se, sed omnino per accidens, nimirum, quia partes, ex quibus coalescunt, sunt discretæ, & minutissimæ; effectus enim formalis humiditatis est reddere corpus humidū difficile terminabile termino proprio, & facile alieno, adhuc seruatā continuitate suarum partium, ut contingit in aqua, & in alijs liquoribus, in quibus viget humiditas.

### QVÆSTIO III.

*Utrum primæ qualitates sint formæ elementorum?*

**1** Quatuor primas qualitates esse essentialiter formas, per quas constituuntur elementa, tenent plures auctores tam ex Græcis, quam ex Latinis, Alexander Aphrodisiænsis 1. de anima cap. 2. & 3. & 13. & 4. Metaph. commento 16. & 12. Metaph. commento 12. & alibi sæpè. Ammonius in Categorijs, cap. de substantiâ. Themistius 1. Physicorū, Simplicius 7. Physicorum, textu 23. & 1. de cælo commento 29. & citari etiam solent pro hac sententiâ Hippocrates libro de natura humana, & Galenus 1. de vsu partium, & libro 1. de elementis, & ex Latinis Mattheus Curtius, & nuper eam, tanquam Aristotelicam acriter defendendam suscepit Cæ-

sar Cremonius integro libro, quē intitulauit de formis elementorum.

2. Probari solet hæc sententia, tum auctoritate Aristotelis, qui hic cap. 2. textu 7. 8. & 24. tria docet de his qualitatibus, quibus satis clare videtur insinuare esse formas essentialiter elementorum. Primum est, quod *sunt elementorum principia*. Tertium, quod *sunt elementorum differentiæ*: tum etiam hac ratione; operatio arguit formam; sed in elementis nullæ aliæ operationes sunt præter illas, quæ procedunt à quatuor primis qualitatibus, & in elementis nullæ aliæ sunt formæ præter quatuor primas qualitates, & consequenter quatuor primæ qualitates erunt essentialiter formas elementorum.

3. Sed opposita sententiâ, quæ tenet, elementa habere formam substantialem, ex qua, & materia prima essentialiter componantur, à quatuor primis qualitatibus distinctam, & vera, & Peripatetica est, & ut talis à ferè omnibus Latinis recepta, ab Scotis in 2. dist. 15. quæst. vniuersa, à Diuo Thoma, & ab alijs in commentarijs secundi capituli huius libri, & lib. 3. Metaph. ad textum 17. & etiam recipitur ab Arabibus, & inter eos citari potest Auerroes; nam cuiuslibet 3. de cælo commento 67. oppositum innuerit; 3. tamen Metaph. commento 5. ex professo di-

digreditur contra eos, qui qualitates elementorum formas constituebant; idem sentit Proclus in Timæam Platonis commento 3.

4. Et in primis Aristoteles hæc sententiâ adeo perspicue passim supponit, & in pluribus locis ita expressè docet, ut mirandum sit, vltos Peripateticæ doctrinæ professores, stædo in sententiâ sui Principis, oppositum sibi persuadere potuisse. Nam 1. libro Physicorum pro fundamento totius suæ philosophiæ constituit entia naturalia generabilia, & corruptibilia, qualia sunt non solum mista horum inferiorum, sed etiam ipsa elementa, materia, & forma substantiali ab omnibus accidentibus distincta, tanquam ex duobus principijs intrinsecis, & essentialibus constitui, seu componi. & 3. Metaph. textu 17. vniuersaliter de omnibus corporibus, & in speciali de elementis sic loquitur, *Passiones, & motus, & que ad aliquid sunt, ipsæque dispositiones, ac rationes nullius substantiam significare videntur, nihilque horum ipsum quid est. Quæ verò maxime substantiam videntur significare, sunt aqua, terra, & ignis, ex quibus composita corpora consistunt: horum autem caliditates quidem, & frigiditates, & huiusmodi passiones non substantiæ sunt. Quid clarius? & libro de sensu, & sensibili, cap. 4. ait, ignem agere, non quatenus ignem, sed quatenus calidū. Sup-*

ponit ergo aliam esse formam substantialem ignis præter calorem: & demum hoc in libro cap. 9. textu 34. docet, qualitates primas esse in elementis formarum substantialium instrumenta, veteresque Philosophos reprehendit, quod qualitatatum solum, non autem formarum, quæ elementis cōueniunt, meminerint.

5. Probatum insuper ratione, inquirendo ab auctoribus oppositæ sententiæ, an primæ qualitates sint accidentia de prædicamento qualitatis, an verò sint in re substantiæ, & solum nominæ qualitates? Nam non possunt esse aliquid medium inter substantiam, & accidens, cum ens reale in communi immediate diuidatur in substantiam, & accidens.

6. Si dicant (quod verum est) esse accidentia de prædicamento qualitatis, ex eo coarguuntur, quod in ipsorum sententiâ sequeretur, materiam primam elementorum existere naturaliter sine vlla forma substantiâli, cum ipsi in elementis nihil ponant præter materiam primam, & accidentia: sequeretur etiam, elementorum generationem esse alterationem, ut potè, quæ pro termino ad quem haberet qualitatem: sequeretur insuper, elementa non esse physica composita, vel quod aliquid compositum physicum non constaret ex materia, & forma substantiâli, sed accidē-



taria; & consequenter elementa non esse vnum per se, siquidē vnum per se nequit ex substantia, & accidenti coalescere; sequeretur demum pari ratione, propriū, & connaturale accidēs cuiuscunque misti dici posse illius formā intrinsicā, & essentialē, neque mistū ex alia substantiali forma coagmentari: quæ omnia perspicuè absurda sunt, & contra expressam Aristotelis doctrinam.

7 Si respōdeant, primas qualitates in re esse substantias, & solum nomine qualitates, ex alio capite non minus efficaciter possunt coargui, nimirum, ostendendo, primas qualitates nullatenus in genere substantiarum posse numerari. Primò, quia calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, cū sint per se primò sensibilia, merito Aristoteles in tertia specie prædicamenti qualitatris, quæ dicitur *passiva, seu passibilis qualitas*, illas enumeravit. Secundò, quia substantia secundum intentionem nō suscipit magis, & minus, nec habet contrarium, sumpta contrarietate propriè, & in rigore, vt docet Aristoteles in Categorijs cap. de substantia; & insuper nō est per se sensibilis, vt docet idem Aristoteles 2. de anima cap. 6. textu 65. Quatuor autē primæ qualitates, vt docet Aristoteles cap. de qualitate, & ipsa experientia ostendit, suscipiunt magis, & minus secundū intentionem; similiter habent

contrarium, sumpta contrarietate propriè, & in rigore; & demum sunt per se sensibiles per sensum tactus, vt docet Aristoteles in 2. de anima, & etiam ostendit experientia. Tertiò, quia cum quodlibet elementū duas habeat qualitates ex primis sibi proprias, si primæ qualitates in re essent formæ substantiales elementorum, idem compositum substantiale plures in se formas substantiales coherberet. Quarò demum, quia ex Aristotele 1. Physicorū, cap. 3. textu 27. & lib. 3. Metaph. cap. 5. tex. 17. quod respectu vnius substantia est, nequit in altero inherere; cōstat autem, primas qualitates esse per inherentiam in mistis. Manet ergo pro cōperto, non solum in rei veritate, sed etiam ex mente Aristotelis, primas qualitates, scilicet, calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem non esse formas intrinsecas, & essentialis rerū, quæ denominantur elementa, scilicet, ignis, aquæ, aëris, & terræ; sed hæc omnia constitui in suo esse substantiali, & essentiali per formas substantiales viciniquæ proprias; quatuor autem primas qualitates esse, cum proportione debita, eorum connaturalia accidentia.

8 Ad auctoritates Aristotelis pro opposita sententiā adductas nu. 2. vulgaris solutio est, Aristotelē appellare quatuor primas qualitates, *constitutiva principia, & differentias* elementorū, non

non quia re vera ita sint, sed quia sunt accidentia naturaliter consequentia formas substantiales elementorum, quæ sunt vera *constitutiva principia, & differentia* physica elementorum, & receptum est apud Philosophos, quando sensibus non percipiuntur formæ, quæ sunt vera, & intrinseca *constitutiva principia, & differentia* rerum, appellare constitutiva principia, & differentias ipsarum accidentia, quæ ad predictas formas naturaliter consequuntur.

9 Sed quamuis ista solutio satis vulg. nis, & communis sit, & eius doctrina passim vtamur ad explicandū aliquas definitioes, quæ dari solent nō per differentias quidditativas, quia nos latet, sed per passiones proprias, existimò tamen, non rectè accommodari menti Aristotelis, qui sicut non definiuit elementum (vt in hac disputatione quæst. 1. vifum est) materialiter sumptum, id est, pro rebus, quæ elementa denominantur, scilicet, terram, aquā, & c. sed sumptum formaliter, id est, pro forma, à qua terra, aqua, & c. elementa denominantur, quæ cōsistit in habitudine primi principij corporei ad sua principia, tam actiui, quam passivi: ita cum locis citatis ait, quatuor primas qualitates esse principia constitutiva, & distinctiva elementorum, nō loquitur de elementis materialiter sumptis, scilicet, de terra, aë,

re, & c. vt aduersarij supponunt, sed de elementis sumptis formaliter, & vt sunt prima principia corporea, tam actiua, quam passiva, & in hoc sensu optimè dixit, elementa intrinsece constitui, & distingui quatuor primis qualitatibus, siquidem ab ipsis recipiunt terra, aqua, aër, & ignis, non solum esse substantiale, sed esse accidentale essendi prima principia, tam actiua, quam passiva alterationum, quibus medijs, tam ad generationem vnius, quam ad corruptionem alterius disponuntur. Ex quo patet deceptio aduersariorum; quod enim Aristoteles docuit de elementis formaliter sumptis, ipsi accommodāt elemētis sumptis materialiter, terræ, scilicet, aquæ, & c. eodem pacto possunt explicari plures ex Graecis proposita sententia citatis, licet non omnes.

10 Ad rationē, concessa maiori, negamus minorem; nam in igne, ex emplī gratia, præter calefactionem, quæ est actio proueniens à calore, est etiam alia actio immediatè procedens à forma substantiali ipsius, scilicet, generatio ignis, quæ ad calefactionem præviè requisitam ad generationē ignis, immediatè sequitur, & id est iudicium, cum distributione accommodata, de alijs elementis.



## QVÆSTIO IV.

*Verum rectè collegit Aristoteles numerum elementorum ex primis quatuor qualitatibus? & quænam primæ qualitates singulis elementis competant, & qua intentione?*

**I** Aristoteles in 3. cap. huius libri colligit, & probat, quatuor tantum esse elementa, scilicet, ignem, aërem, aquam, & terram, hoc di cursu: unumquodque elementum debet constare duabus ex primis qualitatibus; sed quatuor sunt combinationes possibiles quatuor primarum qualitatum, nimirum, caliditas in summo, & siccitas propè summum; humiditas in summo, & caliditas propè summum; frigiditas in summo, & humiditas propè summum; siccitas in summo, & frigiditas propè summum: ergo quatuor etiam erunt, nec plura, nec pauciora elementa, scilicet, ignis, in quo est prima combinatio, aër, in quo est secunda, aqua in qua est tertia, terra, in qua est quarta; qui discussus optimus est, & communiter à Peripateticis receptus, & non melius probari potest, quam per singulas eius partes discutendo, ipsas demonstrando, & singulis difficultatibus, quas in olyunt, satisfaciendo.

**2** Et in primis unumquodque elementum debere constare,

quatum est ex natura sua, duabus qualitatibus, nullus est, qui dubitet: & ratio est, quia ex vna parte elementa debent habere qualitates primas, tam actiuas, quam passiuas contrarias; alias non possent se mutuo disponere ad generationem, nisi per mutuum actionem, & repulsionem: & ex alia parte, cum elementa ita sint disposita, vt vnum sit contiguum alteri, necessarium est, vt vnū elementum habeat etiam qualitatem similem, & eiusdem rationis cum qualitate alterius elementi sibi contigui; nam si solum haberet qualitatem contrariam, semper essent contigua elementa in maxima pugna, & sic facile vniuertum constans ex elementis destrueretur; sed est impossibile, quod vnum elementum, per vnicam qualitatem sit contrarium, & simile alteri: ergo necessarium erit, quod in vnoquoque elemento, quantum est ex natura sua, sint duæ ex quatuor primis qualitatibus.

**3** Rursus ex his duabus qualitatibus, quibus constare debet ex natura sua unumquodque elementum, vnam debere esse in illo in summo gradu; alteram vero non in summo gradu, sed in gradu inferiori, qui communiter solet appellari propè summum, seu infra summum, est communis Peripateticorum consensus, non obstantem, quod Diuus Thomas hic le-

ctione 3. videatur oppositum affirmare, dum asserit, in igne esse, tam caliditatem, quam siccitatem in summo; in aëre vero neque caliditatem, neque humiditatem esse in summo.

**4** Et quidem in vnoquoque ex quatuor elementis debere esse vnam ex quatuor primis qualitatibus in summo gradu, probari potest ex eo, quod singulis quatuor qualitatibus primis assignari oportet aliquod subiectum, cui prædicta qualitas sit connaturalis, & consequenter, cui in perfectissimo gradu, quem naturaliter habere potest, conueniat; sed hoc subiectum non potest esse aliquod mistum; quia in nostra, & Scoti sententia, primæ qualitates in mistis non sunt actu, & formaliter, sed solum virtualiter, & potentia in illa qualitate media, quæ dicitur temperamentum misti; & in sententia Thomistarum, etsi actu, & formaliter sint, sed non in gradu perfectissimo, quem naturaliter habere possunt, sed in gradibus refractis, seu remissis: ergo dicendum est, esse elementum, & consequenter vnicuique elementorum competere ex natura sua habere vnam ex quatuor primis qualitatibus in summo gradu perfectionis, quæ naturaliter habere potest, quæ sit eius connaturalis dispositio.

**5** Porro alteram qualitatem ex duabus, quæ in vnoquoque

elemento reperiri debent, non debere esse intensam in summo, sed infra, seu propè summum, patet, quia si vtraque qualitas in quolibet elemento peteret ex natura elementi esse intensa in summo, non esset maior ratio, cur vna diceretur ei magis connaturalis, quam alia; & consequenter dicendum esset, vnum elementum, vel nullam qualitatem ex primis exposcere, vt naturaliter dispositio, vel ex potescere non tantum vnam, sed duas; quod est contra id, quod numero præcedenti statimus. Imò, cum quælibet ex primis qualitatibus reperitur in duplici elemento, si in vtroque deberet esse in summo gradu, sequeretur, quod eadem in specie prima qualitas esset vltima dispositio ad formas substantiales distinctas in specie, vt sunt distinctorum elementorum, quod est omnino falsum.

**6** Ex his, quæ dicta sunt, manifestè deducitur, quam optime assumpserit Aristoteles in suo discursu, ad probandum quatuor esse elementa, nec plura, nec pauciora, quatuor esse combinationes possibiles quatuor primarum qualitatum, ad constituenda diuersa elementa requisitas, scilicet, *calidum in summo, & siccum propè summum; humidum in summo, & calidum propè summum; frigidum in summo, & humidum propè summum; siccum in summo, & frigidum propè summum.*



*num.* Nam cum ex primis qualitatibus contrarijs, vt sunt caliditas, & frigiditas, & similiter siccitas, & humiditas, si ad inuicem comparētur, nulla possit fieri coniugatio, vt prædicto cap. 3. docuit ipse Aristoteles, eo quod contraria non bene compatiuntur in eodē numero subiecto, solum restat, fieri posse coniugationes inter calidum comparatum ad humidum, vel ad siccum; & similiter inter frigidum comparatū etiam ad humidum, vel ad siccum. Rursus cum simpliciter necessarium sit ad hoc, vt istæ coniugationes sint aptæ ad cōstituendam rationem formalem elementi, quod in eis una ex primis qualitatibus sit summè intensā, & altera sit intensā infra, vel propè summum; nam si vtraque ponatur summè intensā, vel vtraque intensā infra, vel propè summum, non erit coniugatio ex requisitis ad cōstituendum elementū, vt num. 4. & 5. ostensum est: restat, vt solum sint possibiles quatuor combinationes quatuor primarum qualitarum in ordine ad constituendum diuersa in specie elementa formaliter sup̄ta, illa, scilicet, quæ ab Aristotele numerata sunt.

7 Sed quia Aristoteles in dicto cap. 3. non solum probauit, tantum esse quatuor elementa, scilicet, ignem, aërem, aquam, & terram; ex qua duplici coniugatione assignata,

quæ dari potest inter quatuor primas qualitates; sed etiam docuit, primam coniugationem, scilicet, calidum in summo, & siccum propè summum conuenire igni; secundam coniugationem, scilicet, humidū in summo, & calidum propè summum conuenire aëri; tertiam coniugationem, scilicet, frigidum in summo, & humidum propè summum conuenire aquæ; quartam coniugationem, scilicet, siccū in summo, & frigidum propè summum conuenire terræ. Dubitant interpretes, an prædicta distributio, seu accommodatio sit exacta? Et respondemus cum communi R.ripateticorū sententiā, paucis exceptis, exactam esse: quod non melius probari potest, quam per singulas præfatas attributiones, seu accommodationes suo ordine, discurrendo.

8 In primis, ignem esse calidum in summo, præter experientiam, qua experimur, nullum ex elementis magis, quam ignem calefacere; probari potest, primò, quia corpora, quo calidiora sunt, maiori conatu in sublimē euolant, scilicet, ad locum ignis, vt in exhalationibus calidis, & in flamma aduertimus; ergo ignis, origo, ac fons calor est, ad quem illa quoad posse adire condescunt, sicut ad centrum. Secundò, & est ratio a priori, quia calor est omnium primarum qualitarū per-

perfectissima: ergo conuenire debet in summo omnium elementorum perfectissimo, scilicet, igni, qui sicut in loco, ita & in perfectione omnia alia elementa antecellit.

9 Dices: si hæc vltima ratio aliquid probaret, probaret etiam, quod aëri, qui obtinet secundum locum nobilitatis inter elementa, conueniret frigiditas in summo; quia frigiditas obtinet etiam secundum locum dignitatis inter quatuor primas qualitates. Respondetur, nihil minus. Et ratio est, quia cum caliditas sit perfectior qualitas, quam frigiditas, & non compatiatur cum frigiditate in summo, melius est aëri habere caliditatem propè summum cum alia qualitate in summo cum caliditate compatibili, qualis est humiditas, etiam si hæc sit imperfectior frigiditate, quam habere frigiditatem in summo cum carentia omnino caliditatis, quæ est perfectissima omnium qualitarum.

10 Deinde igni conuenire etiam siccitatē, cum experientia ostendat, si probatione nõ indiget: quod autem siccitas non conueniat igni in summo, vt videtur insinuare D. Thomas loco citato n. 3. sed potius propè summum, vt docet Aristor. patet, quia alijs igni conuenient duæ qualitates primæ in summo, scilicet, calor, & siccitas; constat autē ex dictis num.

4. & 5. ex duabus qualitatibus, quæ necessariò conuenire debent vnicuique elemento, neque vtramque debere esse in summo, neque vtramque propè summum, sed vnam in summo, & alterā propè summum. 11 De aëre, quod sit humidus in summo, & calidus propè summum, probari potest: & quantum ad caliditatem patet, quia vt n. 9. dicebamus, perfectissima qualitas, qualis est caliditas, debet à perfectioribus elementis participari, in summo à perfectissimo, & propè summum ab elemento habente secundum locū in perfectione, quale est in omnium sententia elementum aëris. Et confirmatur, quia cum aër nullo modo sit siccus (nam hæc qualitas competit in summo terræ, & igni propè summum) si etiam non esset calidus, saltē propè summum, sine vlla resistentiā; & conueniret in instanti conuerteretur in aquam, quæ per suam frigiditatem in eum, tanquam in elementum sibi contiguum agit.

12 Quantum verò attinet ad humiditatem, sic ostendo: effectus formalis humiditatis, vt ex Aristotele docuimus in hac disputat. quæst. 2. num. 28. & per quem ipsam humiditatem definiuit, est reddere subiectū difficile terminabile, seu figurabile termino proprio, & facile termino alieno; sed hoc præ cæteris elementis cōpetit:



aëri ergo & ipsi humiditas cōueniet aëri præ cæteris elemētis, & consequenter in summo. Et confirmari potest, tum ab effectu; tum inductiōe. Ab effectu, quia, quæ natura sua humida sunt, à fluxu aëris humidiōra sunt, vt experientia ostendit in oleo, & alijs similibus liquoribus; quod fieri non possit, nisi aër natura sua esset humidus in summo. Inductiōne, quia summa humiditas non potest competere, neque igni, neque terræ, cum vtrumque siccum sit; neque etiam aquæ, quia non ita facillè, ac aër alienis figuratur terminis: ergo aëri.

13. Non me latet, Galenum 1. libro de elementis, cap. 3. & lib. 1. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 8. & 32. Diuum Thomam hic cap. 4. ad textum 23. Albertum magnum tractatu 1. capite 12. Auicenam lib. 1. sen. 1. quos ex iunioribus sequuntur Atriaga disp. de elementis, sect. 2. sub-sectione 2. & Pater Pontius disputat. 5. de elementis, quæst. 4. conclusiōne 2. affirmare, aquam esse humidiorē aëre, & consequenter non posse aërem esse natura sua humidum in summo, vt nos cum Aristotele statuiamus.

14. Et probare nituntur, primò auctoritate ipsiusmet Aristotelis, qui 4. meteorologicorum cap. 4. ait, aquam maximè proprie dici humidam, ter-

ram verò siccam; & in isto 2. libro cap. 8. textu 48. asserit, aquam inesse mihiis; quia indigent terminari, & sola aqua ex simplicibus, id est, elementis, est facillè terminabilis, quod humidi proprium est, vt ex definitione humidi, quàm ex Aristotele supra tradidimus, perspicuum est.

15. Secundo rationibus ab experientia desumptis. Nam experientia conitat, aquam plus humectare, quàm aër, & similiter difficilius remitti humiditatem aquæ, quàm aëris; quæ non possent contingere, si aër esset magis humidus, quàm aqua. Item experientia conitat, aërem suo afflatu terram exsiccare, & e contra tempore pluuie aërem humectari ab aqua; quæ contingere non possent, si aër esset humidus in summo.

16. Sed sanè hæc leuia sunt ad hoc, vt Aristotelicam doctrinam, & à Peripateticis receptam deseramus. Ad auctoritates Aristotelis dicimus in 4. meteorologicorum appellasse aquam maximè humidam ab effectu, quem intensiorem prætat in alia corpora, quàm aër, non quia humiditas aquæ intensior sit, quàm aëris, sed quia materia aquæ est densior, quàm materia aëris, & sic aqua fortius, & intensius humectat, quàm aër; quia virtus vnita fortior est ipsa dispersa. Vide, quæ diximus 1. libro, disputat. 6. quæst. 4. sect. 2. & hoc etiam

ten-

sensu, scilicet, quoad effectum, loquutum fuisse in isto 2. libro capite 8. citato, dum dixit ex simplicibus, seu elementis solam aquam esse facillè terminabilem, nimitum, quia, vt ipse expressè ibi ait, mista terminabilia efficit; quod facillè præstat aqua propter densitatē humiditati eius coniunctam, qua densitate cum careat aër, si præstare non potest, etiam si sit aqua humidior. Vnde optimè dixit Aueroes, aërem humidiorē esse aqua; sed aquam potentiorē esse inhumectando. Et in hoc etiam sensu, scilicet, quoad effectum, plures existimant, loquutum fuisse Galenum, imò & Diuum Thomam, cum locis citatis dicunt, aquam humidiorē esse aëre.

17. Ad rationes ab experientia desumptas respondemus, aquam plus humectare, quàm aërem, & similiter difficilius remitti humiditatē aquæ, quàm aëris, non quia humiditas aquæ sit intensior, quàm aëris, sed quia, vt modò dicebamus, aqua est densior, quàm aër; sicuti aqua feruens plus calefacit manum, quàm flamma rara, cum tamen magis intensus sit calor in flamma rara, quàm in aqua feruente. Item si aër suo afflatu exsiccat terram, nō est, quia natura sua sit siccus; sed quia cum natura sua sit calidus propè summum, suo calore rarefacit terram humidam, & sic partes humidæ resolvuntur in

vapores, ac per consequens à terra, expedita à contrarijs siccitatis emanat siccitas, tanquam accidens cōnaturale ipsius, vt latius diximus, quæst. 2. huius disputationis. Neque vquam contingere potest, quod humiditas aquæ intendat humiditatem naturalem aëris: quod sit tempore pluuie apparet aër magis humidus, quàm antea, hoc non est, quia illa humiditas de nouo adueniēs cauferur per se ab humiditate aquæ, sed per accidens, remouendo, scilicet, siccitatem extrinsecam, quæ erat in aëre impediens, ne ab aëre dimanaret humiditas propria ipsius, quæ, seculo illo impediendo, naturaliter, & per se ab ipsa substantia aëris dimanat.

18. De elemēto aquæ, et si dubitari non possit, quod sit humidum: licet non in summo, vt contra Galenum, & alios ostensum manet, sed solū propè summum, vt Aristoteles docet; tamen quod sit frigidum in summo, vt affirmat Aristoteles, & nos cum ipso, & alijs Peripateticis fatemur; aliquibus difficilè visum est, sed non ex eodem capite. Auicena in suo libro de cælo cap. vitimo existimat, frigiditatem in summo competere elemento terræ, & hinc infert, falsum esse id, quod Aristoteles docet, & nos cum ipso fatemur, videlicet, elemento aquæ natura sua competere esse frigidum in summo;

mo,



mo; quia, vt sæpè dictum est, eadem prima qualitas nõ potest in summo duobus elementis conuenire; quod Auicennæ assertum, etiam placuit Diuo Thomæ hoc libro ad textum 23. & Magno Alberto hic tractatu 1. cap. 14. & potest aliquibus rationibus suaderi.

19 Primasid, quod maximè à cælo distat, est summè frigidum: sed inter elementa terra maximè à cælo distat: ergo terra inter elementa est summè frigida: maiorem probat, quia cælum est, quasi fons, & pars caloris vniuersi, quem lucis vehiculo in omnes mudi partes dimittit. Secunda, leuitas ignis, & grauitas terre, sunt maximè opposita: ergo proueniunt à qualitibus primis in summo contrarijs; sed leuitas ignis prouenit à calore, & grauitas terre à frigiditate: ergo sicut in igne calor est in summo; ita & in terra, frigiditas in summo erit. Tertia, si elementum aquæ natura sua esset frigidum in summo, sequeretur, aquam in naturali statu debere esse congelatam; nam nimia frigoris vis congelat aquam, & consequenter elementum aquæ natura sua nihil humiditatis vindicaret, quod est absurdum.

20 Ex alio capite Stoici (vt auctor est Galenus libro 2. de simplicium medicamentorum facultate cap. 20.) conati sunt sententiam Aristotelis, & nostram, quæ ponit, elementum

aquæ esse frigidum in summo, reprobare, asserendo, frigiditatem in summo soli elemento aëris competere, quos sequuntur est Galenus libro 8. de vsu partium cap. 3. vbi Aristotelem reprehendit, quod aërem calidum posuerit, & ex neotericis hanc sententiã amplexus est Arriaga loco citato sub sectione 3. & probari solet rationibus ab experientia desumptis.

21 Primò, illa qualitas est cõnaturalis vnicuique elemento. ad quam seclusis impedimentis, ipsum elementum reddit; sed aër noctu, & hyeme, solis dumtaxat abtectu, frigiditatem repetit: ergo frigiditas est qualitas naturalis aëris, & consequenter conueniens ei in summo. Secunda, illa qualitas dicitur competere alicui elemento in summo, quantum est ex natura elementi, quæ circa centrum, seu medium illius, quæ est pars magis pura, & à contrarijs expurgata, maximè viget: sed in centro, seu media regione aëris, omni tempore maximè viget frigiditas: ergo frigiditas competit elemento aëris, quantum est ex natura eius, in summo gradu; & consequenter non poterit conuenire aquæ, vt nos cum Aristotele sustinemus: minorem probat, experientia, qua experimur, propter nimiam frigiditatem huius regionis mediæ, in ipsa generari in hyeme niuem,

uem, & tempore æstiuo grandinam.

22 His tamen non obstantibus, retinenda, & defendenda semper est Aristotelica, & Peripatetica doctrina, scilicet, elementum aquæ natura sua esse frigidum in summo, quam non solum hic, cap. 3. tradidit; sed etiam libro de sensu, & sensibili capite 4. est etiam doctrina Diui Ambrosij libro 4. Exameron capite 4. Diui Basilij homilia 4. in Genesim, & Diui Ioannis Damasceni in suis Physicis, capite 12. & recepta à Theologis, & Philosophis.

23 Probari potest hæc veritas, primò ab experientia, qua experimur, nullum ex elementis magis frigefacere, nullum igni magis infestum, & inimicum esse, quàm aquam: id autem, quod magis frigefacit, & similiter id, quod summo calori ignis magis opponitur, summè frigidum esse oportet. Et confirmatur, quia ex Aristotele, & communi Peripateticorum sententia, vt quæstione 2. huius disputationis numero 23. vidimus, frigus est qualitas congregans homogenea, & heterogenia: ergo illud elementum erit magis frigidum, quod ratione suæ naturæ frigiditatis magis congregat homogenea, & heterogenia; sed hoc præ ceteris elementis conuenit aquæ; vt videre est in glacie: ergo inter

elementa, elementum aquæ est magis frigidum, & consequenter in summo, quantum est ex natura sua.

24 Secundo probatur inductione. Nam frigiditas in summo alicui ex quatuor elementis ex natura sua conuenire debet; sed non conuenit igni, vt per se notum est; quia ignis in omnium sententia sit calidus in summo; neque etiam conuenit terræ, vt auctores num. 18. citati sustinere conantur; tum, quia terræ, vt statim demonstrabo, conuenit in summo esse siccam, & nulli elemento conuenire debent duæ qualitates in summo: tum etiã, quia cum terra densior sit, quàm aqua, si ei frigiditas in summo competeret, multò vehementius, quàm aqua refrigeraret, cuius oppositum experimur. Et demum, quia terra destinata est à Deo, vt idonea habitatio terrestrium animantium; non esset autem idonea terrestrium animantium habitatio, si in summo frigida esset, cum excessus frigiditatis vitæ terrestrium animantium magnopere aduersetur. Nec denique conuenit aëri, vt Stoici, & alij numero 20. citati affirmabant. Quia aër, vt probatum est numero 11. est calidus propè summum: ergo nõ poterit ei competere esse frigidum in summo; quia caliditas, & frigiditas qualitates contrariæ sunt,



ex duabus qualitatibus contrarijs non posse fieri coniugationem ad consistētiam aliquius elementi requisitam, vt per se notum capite 3. huius libri statuit Aristoteles, vt numero 6. dicebamus: solum ergo restat, quòd elemento aquæ possit, & debeat conuenire.

25 Ad rationes numero 19. adductas, quibus Auicena, & alij probare condebant, frigiditatem in summo competere elemento terræ, respondemus; ad primū dicimus, quòd si omnis mundi sublanaris calor è cælestibus corporibus deflueret, vim haberet argumentum; sed quia supponit falsum, nullam vim habere; non enim omnis calor rerum sublanarium cælitus dimanat; sed calor igneus à forma sui elementi, sicuti & frigus à forma aquæ. Ad secundum, ex eo quòd leuitas ignis, & grauitas terræ sint summo opposita, non rectè inferri debere prouenire à qualitatibus summè contrarijs; non enim par repugnantia in causa, ac in effectu requirenda est. Nam assensus, & dissensus circa idem obiectum contrarij sunt, & nihilominus habere possunt pro causa eundem numero intellectum. Præterquam, quòd nõ sola frigiditas est causa grauitatis terræ; neque solus calor est causa leuitatis ignis; cum ad vtumque concurrat etiam

siccitas ad grauitatem terræ in summo gradu; ad leuitatem ignis in gradu propè summū. Ad tertium dicimus, etū frigiditas sit præcipua causa congelationis, sed non sufficere, sed requiri etiam in subiecto, quod congelatur, aliquas prævias dispositiones; nam acetum natura sua frigidum est, & oleum natura sua est calidum, & nihilominus facilius à frigore congelatur oleum, quàm acetum. Vnde bene stat, quòd aqua sit frigida in summo, & nihilominus ex defectu aliarum dispositionum non veniat in glaciem.

26 Ad alias rationes, quibus Stoici, & alij numero 20. citati nitebantur ostendere, frigiditatem in summo solum elemento aëris competere, dicimus ad primū, aerem, noctū, & hyeme frigescere, non quia abcessu solis vtrò ad frigiditatem, vt ad dispositionem suæ naturæ congruentem se fe referat; sed quia abcessu solis (cuius presentia omnia inardescunt, etiam, quæ natura sua frigida sunt) tam terra, & aqua, quæ natura sua elementa frigida sunt, quàm exhalationes extractæ à terra, & aqua calore solis, quæ etiam natura sua frigida sunt, ad naturalem frigiditatem redeunt, & consequenter aërem, qui propter suam raritatem, & tenuitatem facile cedit, peregrinis impressiõibus con-

iun.

iunctim refrigerast, non obstante, quòd frigiditas non sit ei naturalis, sed potius contraria.

27 Ad secundum respondemus, centrum, seu medianam regionem aëris, tam in hyeme, quàm tempore æstiuo esse valde frigidam, non quia aer natura sua petat istam qualitatem, cum potius petat oppositam, calorem, scilicet, propè summum; sed propter antiparitasim, quod vt declaremus, & comprobemus, aliqua notanda sunt.

28 Primum est, supremam regionem aëris valde calidam esse, non solum propter calorem natiuum aëris, sed etiam propter ignem, ipsam circumstantem, & intensam calefactionem solis: inferiorem vero, licet non sit tam intensè calida, tempore tamen æstiuo, non parum calidam esse ex reuerberatione radiorum solis facta in terra, & aqua.

29 Secundum est, solem sua virtute semper extrahere à terra exhalationes, & ab aqua vapores, qui vapores, & quæ exhalationes natura sua leues sunt, & aeri valde similes in raritate, & leuitate, & propterea ascendunt vsque ad medianam regionem aëris.

30 Tertium est, exhalationes, & vapores supra dictos natura sua frigidos esse, non secus, ac sunt elementa terræ, & aquæ, à quibus extrahuntur; ta-

men ab extrinseco esse calidos, videlicet, à sole, qui cum mediõ calore producto in terra, & aqua ipsos extrahat, necesse est, vt in ipsorum extrahitione, ipsi caleant; ita docet Aristoteles 1. meteorologicorum.

31 Ex his prænotatis manifestè inferitur, antiparitasim esse causam nimix frigiditatis, quæ semper est in media regione aëris, & non natura elementi aëris, vt contendebat argumentum. Nam si toto tempore anni ascendunt exhalationes ex terra, & vapores ex aqua, extracti à calore solis ad medianam regionem aëris, & ita exhalationes, & isti vapores natura sua sunt frigidi, & ab extrinseco calidi, necesse est, quòd dum paulatim ascendunt, amittant calorem ab extrinseco receperunt, & quòd redeunt ad natiuam frigiditatem, cumque ad medianam regionem aëris proueniant, non poterunt ad supremam ascendere; imo neque ad inferiorem descendere propter calorem circumobstitentem vniuersæ regionis; & consequenter, maxima eorum copia ibi condensabitur, & per condensationem maximè frigidabitur illa media regio, & omnia, quæ in ipsa sunt, quovsque tam aër, quàm exhalationes, & vapores conuertantur, vel in aquam, vel in niuem, vel in grandinam.



32 Demum vltimam coniugationem, scilicet, siccum in summo, & frigidum propè summum cōuenire natura sua elemento terræ, probari potest. Nam terram esse siccam in summo, negari non potest, cum i. Genesis vocetur arida, non alia ratione inquit in terpretres, Bassilius homilia 4. Amorosius libro 1. Exameron capite 4. & Diuus Thomas 1. part. quæstione 69. articulo 1. ad 5. nisi quia terra sicca est in summo gradu. Et confirmatur, quia siccitas ex Aristotele (vt quæstione 2. numero 28. visum est) est qualitas reddens corpus facile terminabile termino proprio, difficile alieno; sed inter elementa terra est maxime facile terminabilis termino proprio, & difficile alieno: ergo siccitas, facta comparatione inter elementa, competit in summo elemento terræ. Quod etiam terra sit frigida, licet non in summo (vt numero 24. ostensum est) saltem propè summum, docet experientia; nam videmus, terram in sua naturali dispositione existentem alia corpora infrigidare.

33 Dices, illud elementum esse frigidum summè, quod summè distat ab elemēto summè calido; sed terra summè distat ab igne: ergo terra est summè frigida, & non propè

summū, vt nos asserimus. Respondetur, quod si sermo sit de distantia locali, minorem esse veram, sed maiorem esse falsam; nam cum frigiditatem, & caliditatem, de quibus nunc loquimur, non recipiat vnum elementum ex alio, sed conueniant in natura sua, parum interest, quod distet, vel non distet localiter vnum elementum ab alio ad hoc, vt sint, vel non sint summè calida, vel frigida. At si sermo sit de distantia in natura, & proprietatibus, veram esse maiorem, sed falsam minorem; nam in natura, & proprietatibus plus distat aqua ab igne, quam terra; vnde Aristoteles (vt vidimus in litera) non dixit, elementum ignis contrariari terræ, sed contrariari aquæ; contrarium autem terræ esse æreum.

34 Possumus præterea ostendere, quam optimè Aristoteles quatuor supradictas coniugationes primarum qualitatum per singula elemēta distribuerit, ex eo, quod concors discordia, & dissentiens amicitia, qua elementa cōseruantur, eorumque debitus ordo, & pulchritudo reluet, non alia dispositione melius coherere potuit. Sic enim aer, & ignis calore cōueniunt, humiditate distat, aqua, & aer humiditate sociatur, frigore disunguntur. Terra, & aqua frigiditate concordant, siccitate

tate discordant. Ignis, & terra siccitate astringuntur, frigiditate disident. Atque hoc ordine, & dispositione qualitatum assignari potest ratio, tam concordia, quam dignitatis elementorum concordia. Quia inter qualitates contrarias in summo aliqua non contraria interiecta sit, vt inter summam calorem, summamque frigus, humiditas summa: inter summam humiditatem, summamque siccitatem frigiditas summa: nobilitatis, seu dignitatis, quia sub præstantiori qualitate ex actiuis nobilior passiuæ proximè sedem habet, nempe sub calore humiditas, & sub actiua minus præstanti, passiuæ etiam, minus præstans, & sub frigiditate siccitas.

### QVÆSTIO V.

*Vtrum qualitates contrariæ possint simul esse in eodem subiecto?*

**H**VIUS quæstionis pertractanda occasio desumpta est ex Aristotele, qui initio capituli tertij huius libri assignans coniugationes possibilißes primarum qualitatum, ad colligendum ex numero ipsarum numerum elementorum, à possibilitate alicuius coniugationis exclusit qualitates contrarias ad inuicem comparatas, non alia ratione, nisi quod contraria copu-

lari non possunt in aliquo subiecto.

2 Restringimus autem quæstionem ad solas qualitates, quia etiam si elementa possint appellari cōtraria ratione suarum formarum substantialium, sed non actu, & formaliter, licet appellantur aliqua ex primis qualitatibus elemētorum, verbigratia, calor, & frigus, siccitas, & humiditas; sed solum radicaliter, in quantum, scilicet, ab ipsis formis substantialibus elementorum, tãquam à radice, qualitates elementorum, quæ actu, & formaliter contrariæ sunt, pullulant, & emanant.

3 Neque obstat, quod aliqui obijciunt ad probandum elementa esse actu, & formaliter contraria, non solum ratione suarum qualitatum, sed etiam ratione suarum formarum substantialium, nimirum, definitionem contrariorum traditam ab Aristotele 10. Metaph. quæ talis est, *Contrariæ sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto miruò se expellunt*, non minus competere formis substantialibus elementorum, quam ipsorum qualitatum. Siquidem formæ substantiales elementorum, non solum sunt sub eodem genere, scilicet, sub genere substantiæ corporeæ simplicis, sed etiam sub hoc genere maxime distant, cum differant specie specialissima, quæ



est summa distantia, quæ sub eodem genere esse potest, & insuper mutuo se expellunt ab eadem numero materia, quæ est earum subiectum.

4 Hoc, inquam, non obstat, nam ad hoc, ut aliqua sint verè, propriè, & formaliter contraria, non sufficit, quòd sub eodem genere maximè distet, & ab eodem subiecto mutuo se expellant, sed etiam est intrinsecè requisitum, quòd hæc ipsi conveniant (ut Aristoteles supponit in dicta definitione) ratione oppositionis, quam in se habeant; nam si hæc illis cõueniant, non ratione oppositionis, quam in se habeant, sed aliunde, re vera contraria, propriè, & formaliter non erunt. Nam vera, propria, & formalis contrarietas intrinsecè, & tanquam genus includit oppositionem, ut colligitur ex Aristotele, qui post prædicamentis, cap. de oppositis, diuidit oppositionem in communi in contradictoriam, contrariam, priuatiuam, & relatiuam tanquam genus in species. Undè si aliqua opposita non sunt, nõ poterunt esse contraria, etiam si cætera adint, cum deficiat illis ratio generica ad rationem contrarietatis, verè, & propriè, & formaliter requisita. Constat autem, formas substantiales elementorum non distare maximè sub eodem genere, neque se expellere mutuo ab eadem numero materia, quæ

est earum subiectum ratione alicuius oppositionis, quæ inter se habeant, sicut dicuntur distare, & mutuo se expellere aliqua ex primis qualitibus, sed hæc illis competere propter rationem communem informandi materiam, & constituendi vnum simpliciter eum illa: & quia materia non habet capacitatem ad plures formas substantiales simul recipiendas, nõ solum specie, sed etiam numero differentes, & sic ad introductionem vnius expellitur altera. Quare rectè docuit Aristoteles cap. de substantia, esse proprietatem illius, non habere contrarium; cuius oppositum docuit cap. de qualitate, de ipsa qualitate.

5 Pro intelligentia tituli huius questionis primò notandù est id, quòd latè tradidimus 1. Physicorum, disp. 3. quæst. 6. scilicet, quamlibet ex contrarijs qualitibus habere terminum intrinsecum, & præfixum suæ intensionis, vltra quem progredi non potest, cuius ratio est, quia maior intensio, & maior perfectio, quæ in rebus creatis, cum in infinitum abire non possit, necessariò postulat terminum intrinsecum, sub quo intendi possit, sub maiori verò non possit, & hic terminus intrinsecus intensionis, qui conuenit cuiuscumque qualitati, est, qui explicari solet, cum in disputationibus, ad explicandum summam intensionem, quæ con-

conuenire potest alicui qualitati, v. gr. calori, vel frigiditati; dicere solemus, ignem esse calidum, ut octo, aquam esse frigidam, ut octo, &c.

6 Secundo notandù est, quòd cum inquirimus, verum qualitates contrariae possint simul esse in eodem subiecto; posse prædictam questionem in duobus sensibus exagitari; primò (sumendo qualitates contrarias in gradibus remissis. Secundo (sumendo qualitates contrarias in gradibus intensis, inrelligendo per qualitates in gradibus intensis, qualitates contrarias, quarum gradus, si enumerentur, non solum adimplent capacitatem subiecti (in quæ communiter assignatur, ut octo) sed illam exuperant, v. gr. si caliditas sit, vt sex, & frigiditas, vt quatuor, vel vt tres: & per qualitates in gradibus remissis, qualitates contrarias, quarum gradus, si enumerentur, non exuperant capacitatem subiecti ad illas recipiendas, sed illam adimplent, v. gr. caliditas, vt quatuor, & frigiditas, vt quatuor, seu caliditas, vt quinque, & frigiditas, vt tres: in vtroque ergo sensu quæstio exagitanda est.

### SECTIO I.

Explicatur quæstio de qualitatibus contrarijs in gradibus remissis.

7 CVM qualitates contrariae, quoad oppositionem,

seu quod idem est, quoad mutuum expulsionem ab eodem subiecto, sint in duplici differentia; nam quædam sunt diuisibiliter opposita, illa, scilicet, quæ etiam mutuo se expellat ab eodem subiecto, sed non totaliter, & adæquatè, sed iuxta exigentiam gradus intensiouis, qui ab agente inducitur in subiecto habente qualitatem contrariam, qua ratione, omnium calculo opponitur primæ qualitatis contraria, videlicet, caliditas, & frigiditas, humiditas, & siccitas: quædam verò opposita indiuisibiliter, illa, scilicet, quæ totaliter mutuo se expellunt ab eodem subiecto, (in quocumque gradu intensionis, in illo reperiantur, vt scientia, & error, assensus, & dissensus, amor, & odium, & his similia, quando versantur circa idem subiectum, & sub eadem ratione: aduertendum est, in hac sectione solum esse sermonem, de qualitatibus contrarijs, quæ primo modo opponuntur; nam de qualitatibus contrarijs, quæ opponuntur secundo modo, philosophandum est eodè pacto, quo sectione sequenti philosophabimur de qualitatibus contrarijs in gradibus intensis.

8 Loquendo ergo de qualitatibus contrarijs diuisibiliter oppositis, vt sunt inter primas qualitates, calor, & frigus, humiditas, & siccitas, prima sententia affirmat, nullo modo posse esse simul in eodem numero



mero subiecto, etiam in gradibus remissis; ita Durandus in prologo sententiarum, quæst. 2. nu. 19. Gregorius in 1. dist. 17. quæst. 3. art. 2. Adamus eadem dist. quæst. 4. Soncinas 10. Metaph. quæst. 22. Antonius Andreas ibidem quæst. 5. Barlaeus tractatu de intensiōe cap. 2.

9. Probari solet hæc sententia primo ex Aristotele, qui hoc in libro textu 16. absolute, & sine restrictione aliqua docet, contrarias qualitates, vt sunt calor, & frigus, & similiter humiditas, & siccitas, non posse esse simul, seu coniugari in eodem subiecto.

10. Secundo, de intrinseca, & essentiali ratione qualitatū contrariarum est, mutuo se expellere ab eodem subiecto, vt ex definitione contrariarum tradita ab Aristotele 10. Metaph. quam numero 3. recitamus, manifestè constat; sed calor, & frigus (exempli gratia) non solum, quando sunt in gradibus intensis, sed etiam quando sunt in gradibus remissis, sunt contraria; quia contrarietas competit calori, & frigori ratione suarum specierum, & manifestum est, calorem intensum, & remissum esse eiusdem speciei; & idem est iudicium de frigore intenso, & remisso; ergo calor, & frigus, non solum quando sunt in gradibus intensis, sed etiam, quando sunt in gradibus remissis, mutuo se

expellent ab eodem subiecto, & consequenter etiam in gradibus remissis non poterunt esse simul.

11. Tertio; magis inter se pugnant calidum, & frigidum in quouis gradu, quam magis, & minus calidum; siquidem illa specie differunt, hæc solo numero; sed hæc omnium consensu in eodem subiecto simul esse nequeunt: ergo neque illa.

12. Quarto; si subiectum simul haberet qualitates contrarias in gradibus remissis, puta calorem, & frigus, denominaretur vtique ab vtraque, & sic diceretur simul calidum, & frigidum, & consequenter calidum, & non calidum; nam ex denominationibus contrariis denuntur contradictoria denominationes, eo quod vnum contrarium dicit negationem alterius.

13. Dicendum nihilominus est cum communi sententia, qualitates contrarias, quæ diuisibiliter opponuntur, vt sunt primæ qualitates elementorum, scilicet, caliditas, & frigiditas, humiditas, & siccitas, posse naturaliter esse simul in gradibus remissis in eodem numero subiecto: hæc est sententia Scoti in 1. distinct. 17. questione 4. & in 2. distinct. 2. questione 9. licet enim Scotus teneat id, quod nos cum ipso statuimus primo libro, disp. 7. quæst. 3. sect. 2. scilicet, in misto non ma-

manere formaliter quatuor primas qualitates elementorum, & consequenter temperamentum ipsius non consistere in coniunctione quatuor primarum qualitatū in eodem subiecto in gradibus remissis, seu refractis, sed in vnica qualitate, virtute, & potentia continente quatuor primas qualitates; nihilominus affirmat, calorem, & frigus, humiditatem, & siccitatem esse simul in eodem subiecto in gradibus remissis, & refractis toto tempore, quo durat alteratio, & quovisque validior qualitas vincat sibi contrariam, vel vtraque conuertatur in temperamentū ad generationem misti necessarium; quod est qualitas quædam media distincta in specie à quatuor primis qualitatibus: Scotum sequuntur eius discipuli Philippus Faber theoremate 43. capite 4. & est etiam sententia Diui Thomæ 1. part. questione 76. artic. 4. & questione 8. de veritate, quem omnes Thomistæ sequuntur, Caietanus in prædictum locum Diui Thomæ, & ex alijs Henricus quodlibeto 12. questione 12. Suarez disput. 45. Metaph. sect. 4. Combricensis hic capite 3. quæst. 8. Rabiis questione 6. & quam plures alij, etque expressa doctrina Aristotelis, qui 3. Topicorum capite 4. & 5. Physicorum textu 19. & 4. Metaphys. textu 27. & alibi sæpe docet, con-

traria esse posse simul per mista, vt quanto plus inuit de vno contrario, tanto minus sit de alio.

14. Et præter experientiam, quæ satis manifestè hoc ostendit, cum sentiamus, aquam per applicationem ad ignem, aliquem gradum caloris formaliter, & actu in se recipere, & tamen non statim amittit totam frigiditatem, sed simul manent ibi calor, & frigiditas in esse refracto, seu remisso; probari potest hæc sententia ex tribus principijs certis apud Aristotelem; & à nobis alibi satis demonstratis.

15. Primum est; *Omne agens, diu agit, simul à suo contrario repatitur secundum eandem qualitatem, per quam agit, & in eadem parte.* Ex hoc enim principio euidenter deducitur nostra sententia; nam si agens secundum eandem qualitatem per quæ agit, & in eadem parte, repatitur à qualitate contraria; ergo simul sunt in eadē parte agentis duæ qualitates contrariæ in gradibus remissis, vna, per quæ agit, & alia, per quam formaliter repatitur.

16. Secundum est; *Id, quod successiuè mouetur, partim esse in termino à quo, & partim in termino ad quem;* hoc principium habetur in Aristotele 6. Physicorum capite 3. & ex ipso non minus efficaciter deducitur nostra sententia. Nam si aqua, v. g. dum successiuè calefit, partim est in termino



mino à quo; qui est frigiditas, & partim in termino ad quē, qui est caliditas: ergo aqua, dū successiue calefit, simul habet frigiditatem, & caliditatem quæ sunt qualitates contrariæ, licet in gradibus refractis, seu remissis.

17. Tertium principium est, alterationem factam inter terminos contrarios (qualis est, cum aqua frigida calefit, esse motum successiuum: ex hoc etiam principio manifestè deducitur sententia nostra. Quia si cum primo producitur aliquis gradus caloris in aqua, non maneret in aqua simul cū calore, qui producitur, aliquis gradus frigiditatis qui retardaret calefactionem; calefactio aqua fieret non successiue, seu in tempore, sed potius in instanti, quod est contra principium allatum.

18. Restat obiectis in contrarium, & in fauorem primæ sententiæ adducis, satisfacere. Sed pro clariori solutione ipsorum nota ex Philippo Fabri theoremate 43. cap. 4. in solutione ad secundum, dupliciter posse intelligi primas qualitates contrarias, vt sunt calor, & frigus, humiditas, & siccitas, esse simul in eodem subiecto; primò in esse quieto; secundò in actuali pugna. Cum ergo in nostra sententia dicitur, primas qualitates contrarias naturaliter esse posse in gradibus remissis in eodem subiecto, non est intelligendum de simultanea exi-

stentia in esse, quieto; sed de simultanea existentia in actuali pugna, & quoad vsque validior superet, & excludat totaliter in inferiorem, vel tantè per mutuam actionem, & repulsionem vtraque corrumpatur, & resurget quædam media, virtute, & proportionem vtramque continens.

19. In forma ergo ad auctoritatem Aristotelis num. 9. adductam communiter respondent auctores, est Aristoteles absolute, & sine restrictione affirmet, primas qualitates contrarias non posse simul coniugari in eodem subiecto; nihilominus intelligendam esse de primis qualitatibus contrarijs, non in gradibus remissis, sed in gradibus intensis. Sed hæc solutio non satisfacit; nam vultariè supponit id, quod argumentum directè impugnat, scilicet, est Aristoteles absolute, & sine restrictione loquatur, intelligendum esse non absolute, sed cum restrictione de primis qualitatibus contrarijs, solum in gradibus intensis, non vero in gradibus remissis.

20. Melius ergo responderetur ex doctrina Fabri nuper relata (& ni fallor magis ad mentem Aristotelis, qui loco citato solum loquitur de coniugationibus quatuor primarum qualitarum, ad assignationem elementorum deficientibus) Aristotelem ibi loqui de simultate, seu coniugatione quatuor pri-

primarum qualitarum in esse quieto; quia solum huiusmodi coniugationes sunt aptæ ad consistentiam, & debitam dispositionem elementorum; & ideo merito absolute, & sine vlla restrictione qualitates contrarias ab hac simultate, seu coniugatione in eodem subiecto reiecit; quia etiam si in gradibus remissis simul coniungi possint in eodem subiecto, vt nos asserimus; sed non in statu quieto, qui necessarius est ad consistentiam elementi, sed potius in pugna, & via ad corruptionem vnius, vel vtriusque.

21. Ad secundum respondet Rubius quæst. 6. num. 100. de definitionem contrariorum traditam ab Aristotele competere qualitatibus contrarijs intrinsecè, & essentialiter, & similiter calorem, & frigus non solum in gradibus intensis, sed etiam in gradibus remissis esse contraria; quia, vt argumentū obijcit, contrarietas competit illis ratione suæ speciei, & calor intensus, & remissus eiusdem speciei sunt, & idem est iudicium de frigore intenso, & remisso. Negat autem ex his inferri, qualitates contrarias non posse esse simul in eodem subiecto in gradibus remissis; nam verba illa, quæ ponuntur in definitione contrariorum, scilicet, *et ab eodem subiecto mutuo se expellunt*, non sunt intelligenda (inquit) de expulsiōne actuali, sed de expulsiōne aptitudina-

li: itaque concedit auctor iste, qualitates contrarias in gradibus remissis naturaliter aptas esse, se mutuo expellere; non tamen actualiter se expellere. 22. Sed hæc solutio non aridet, nam, vt verum fatear, ego non capio, quod duæ qualitates contrariæ sint naturaliter aptæ in gradibus remissis ad se mutuo expellendum ab eodem subiecto, & quod actu positæ in eodem subiecto in gradibus remissis, se cluis omnibus impediētis, actualiter non se expellant, supposito, quod non liberè, sed naturaliter agant.

23. Aliter respondendum est ex doctrina Fabri supra tradita, fatendo libenter definitionem contrariorum ab Aristotele traditam competere, vt probat argumentum, intrinsecè, & essentialiter contrarijs, & consequenter, tam in gradibus intensis, quam in remissis; sed negamus inde inferri, qualitates contrarias in gradibus remissis nullo modo posse esse simul in eodem subiecto; sed quod inferitur est, non posse esse simul in eodem subiecto in statu pacifico, & quieto, sed potius habere esse simul in eodem subiecto pugnando, & se mutuo successiue expellendo, quod nos etiam libenter concedimus. Imò addo, supposito, quod hæc mutua expulsiō contrariorum ab eodem subiecto non est instantanea; sed successiua, necessariò debere esse to-



to tempore, quo durat hæc expulſio, & pugna, qualitates cōtrarias, quæ ſe expellūt, & pugnant, ſimul in eodem ſubiecto in gradibus remiſiſis; nam quādiu ſunt in diuerſis ſubiectis, nō poſſunt formaliter ſe expellere, & pugnare, ſed ad ſummum efficienter.

24 Ad tertium dicimus, calidum, & frigidum in quouis gradu ſecundum ſuam entitatem magis pugnare, quā magis, & minus calidum; ſiquidē illa differunt in ſpecie; hæc verō in ſpecie conueniunt; verū hæc comparata ad ſubiectum magis pugnare, quia minus calidum habet inſeparabilem negationem magis calidi: quare nihil mirum, ſi magis, & minus calidum, qua ratione oppoſita relatiuē ſunt, nō poſſint coherere ſimul in eodem ſubiecto, poſſint tamen calor, & frigus in gradibus remiſiſis.

25 Ad quartum, & vltimum bonē reſpondet Rubius, quōd ſi denominatio ſumatur ſecundum communem modum loquendi, ſubiectum habens ſimul duas qualitates contrarias in gradibus remiſiſis inæqualibus, denominabitur à qualitate prædominante, v. gr. ſi eſt calidum, vt quiaque, & frigidum, vt tres, ſecundum communem modum loquendi, denominabitur calidum; ſi tamen illæ qualitates ſint æquales, denominabitur non ab aliqua earum, ſed aliquo nomine ſim-

plici, ſignificante vtramque in gradu æquali, vt cum aquam habentem calorem, & frigiditatem in æquali gradu (ſaltem quoad ſenſum tactus) denominamus tepidam: quod ſi nō ſit nomen ſimplex in poſitum ad ſignificandam æqualitatē harum qualitarum, declaramus illam nomine complexo. dicentes (exempli gratia) corpus eſſe humidum, & ſiccum in æquali gradu. Neque ex eo, quōd aliquod ſubiectum denominetur ſimul à duobus cōtrariis, ſequitur, quōd denominari etiam debeat à duobus contradictonis. Et cum obicitur, vnum cōtrarium dicere intrinſecē negationem alterius, reſpondetur, hoc non eſſe verum in ordine ad ſubiectū, ſed in ordine ad ſuam rationē eſſentialem, quod non eſt proprium cōtrariorum, ſed commune omnibus rebus diſtinctis in ſpecie; homo enim in ſua ratione formalī fundat negationem equi, leonis, &c.

26 Sed adhuc reſtant duo dubia expendenda, quæ hic ab aliquibus ſatis prolixē expenduntur. Primum, an ſicut dictum eſt de primis qualitatibus cōtrariis, ſcilicet, de caliditate, & frigiditate, de humiditate, & ſiccitate, poſſe eſſe ſimul in gradibus remiſiſis in eodem ſubiecto, toto tempore, quo ſunt in pugna, & quoad vſque, vel validior ſuperet, & excludat inferiorem, vel vtraque

per

per mutuam actionem, & paſſionem corrumpatur, & reſulter alia qualitas media, virtute, & proportione vtramque continens: ita etiam dicendum ſit de qualitatibus cōtrariis, quæ appellari ſolent ſecundæ qualitates, eo quōd ex mutua actione, & paſſione primarum qualitarum reſultant, vt ſunt albedo, & nigredo, grauitas, & leuitas, durities, & molities, &c. poſſe manere ſimul in eodem ſubiecto in gradibus remiſiſis, ſcilicet, in qualitatibus medijs inter has extremas.

27 Hæc dubitatio ſolū poſteſt habere locum in ſententia Thomiſtarum, qui ſicuti affirmant (vt vidimus libro 1. diſput. 7. quaſtione 3. ſect. 2. numero 25.) qualitates primas elementorum manere actū, & formaliter in miſtis; ita confequenter aſſerere tenentur, qualitates ſecundas extremas, ſeu cōtrarias manere in qualitatibus ſecundis, medijs inter ipſas actū, & formaliter: & communis apud ipſos reſolutio eſt, etſi qualitates ſecundæ extremæ, & cōtrariæ, vt ſunt albedo, & nigredo, grauitas, & leuitas, &c. mancant actū, & formaliter in qualitatibus medijs, ſcilicet, nigredo, & albedo in rubro, vel viridi; grauitas & leuitas in ligno, vel palea; ſed non in gradibus intentis, ſed in gradibus remiſiſis, ſeu refractis. Nā in noſtra, & Scotiſtarum ſen-

tentia, prædicta dubitatio locū habere non poſteſt; quia ſicuti loco citato num. 30. ſuſtinuimus cum Scoto, & alijs, qualitates primas elementorum non manere actū, & formaliter in miſtis; ſed ſolū dici manere in quādā qualitate media, quæ eſt temperameatum miſti, in virtute, & proportione, quæ qualitas eſt quid ſimplex, & diſtincta ſpecie à primis qualitatibus elementorum: ita confequenter dicimus, qualitates ſecundas extremas, ſeu cōtrarias, vt ſunt albedo, & nigredo, non manere actū, & formaliter in qualitate media, ſcilicet, in rubro, vel viridi; ſed ſolū in virtute, & proportione; aliās, vt loco citato, n. 33. obiciebat Scoto, qualitates ſecundæ mediæ non eſſent qualitates ſimplices; imō neque vnum per ſe, ſed quid aggregatū ex qualitatibus non ſolū diſtinctis in ſpecie, ſed etiam cōtrariè oppoſitis, quod nullus admittit.

28. Secundum dubium eſt, an ſicut concedimus, dari poſſe naturaliter duas primas qualitates cōtrarias, ſimul exiſtentes in eodem ſubiecto in gradibus remiſiſis, licet non in eſſe quieto, ſaltem in actuali pugna; ita dari poſſiat duæ alterationes cōtrariæ circa idē numero ſubiectum in gradibus remiſiſis, licet non in eſſe quieto, ſaltem in actuali pugna?

29 Reſpōdetur breuiter, poſſe:

qui



quidem ; cuius ratio est, quia tota repugnātia actionum oritur ex repugnātia terminorum; in tantum enim non poterit exerceri simul duæ actiones circa idem numero subiectum, in quantum forme, quæ per eas producuntur, non possunt esse simul in prædicto subiecto: ergo si in eodem subiecto possunt esse simul duæ primæ qualitates cōtrariæ in gradibus remissis, poterunt etiam duæ alterationes contrariæ in gradibus remissis simul te cōparari circa idem numero subiectum ad prædictas qualitates terminatæ.

30. Cōfirmatur instantijs adductis ad hoc confirmandum, tam à Patre Suarez disput. 45. Metaph. sect. 4. num. 11. quàm à Conimbricensibus hic cap. 3. quest. 8. art. 6. Nam si constitueretur à Deo subiectū aliquod denudatum vtraque qualitate contraria, v. gr. sine calore, & sine frigore, per se tamen capax vtriusque, vel cum qualitatibus contrarijs infra latitudinem, vt octo, ex empl. gratia, calidum, vt tres, & frigidum, vt tres, & tali subiecto intra spheram actiuitatis applicaretur duo agentia contraria in summo gradu, scilicet, calidū, vt octo, & frigidum, vt octo, abique dubio ista agentia simul producerent qualitates cōtrarias in illo subiecto; quia non esset maior ratio, cur vnum produceret, & non aliud, cum

vtrumque sit æquale; neque cogerentur ambo à connaturali sua operatione desistere.

31. Imo addo etiam in casu, quod aliquod subiectum esset calidum, vt quatuor, & frigidum simul, vt quatuor, si ei applicarentur duo agentia etiā contraria, vnum calidum, vt octo, & aliud etiam frigidum, vt octo, intra spheram actiuitatis ipsorum, futurum videretur, vt ambo agerent in illud subiectum, & ambo producerent in illud aliquem gradum suæ qualitatis, cum expulsiōne tamen æquivalentis gradus qualitatis contrariæ; & sic illud subiectum duas simul contrarias alterationes subiret.

32. Scio, hanc instantiam neque Suarez, neque Conimbricensibus placuisse; ex diuersis tamen fundamentis, nam Suarez illam non approbat, quia ex ea, inquit, sequeretur, quod excederetur latitudo octo graduum, quæ supponitur in esse subiecto ex vtraque qualitate contraria: sed non recte, quia hoc solum sequeretur, si ad introductionem noui gradus caloris non expelleretur æqualis gradus frigiditatis ex præexistētibus in subiecto, & ad introductionē noui gradus frigiditatis non expelleretur æqualis gradus caloris ex præexistentibus in subiecto, vt necessarium est fieri, quod excludantur, sicut in omnibus alijs similibus euentibus contingit.

33. Conimbricenses non illā approbant; quia in dicto casu affirmant, quod vñ agens aliud impediret, & sic neutrum illorum ageret: sed re vera non apparet, ex quo capite pronenire possit, vt in dicto casu prædicta agentia se mutuo impedirent; quia neque in se inuicem quidquam influēdo; neque aliquid in subiecto producēdo, quo impediri possit influxus vtriusque se semutuo impugnādo in productiōne suorum effectuum, vt numero præcedenti cōtra Suarez explicatum est.

## SECTIO II.

*Explicatur questio de qualitatibus contrarijs in gradibus intensis.*

34. **D**upliciter exagitari potest, an primæ qualitates contrariæ, vt sunt calor, & frigus, siccitas, & humiditas, possint esse simul in eodem subiecto in gradibus intensis, scilicet, naturaliter, seu de potentia ordinaria, vel supernaturaliter, seu potentia Dei absolutæ?

35. Loquendo naturaliter, seu de potentia ordinaria, conueniunt omnes cum ipsomet Aristotele, qualitates contrarias non posse simul coexistere in eodem subiecto in gradibus intensis, ita, scilicet, vt ex tota combinatiōne excedatur latitudo octo graduum; quare non solum non possunt

inueniri simul calor, vt octo, & frigiditas, vt octo; sed neque calor, vt quinque, & frigiditas, vt quatuor.

36. Ratio desumitur, tum ex natura contrariorum, que intrinsecè postulat, vt vnum expellat aliud: tum etiam ex capacitate subiecti in ordine ad qualitates contrarias recipiendas, & ad agens naturaliter petens eas producere, quæ cum limitata sit, necessariò expostulat latitudinem octo graduum, siue ex vna eorum, siue ex vtraque completam; ergo naturaliter, seu de potentia ordinaria impossibile erit, duas qualitates contrarias in gradibus intensis, simul in eodem subiecto copulari, & ideò in subiecto calido, vt sex, non poterit frigiditas, vt tres introduci, nisi expellendo à prædicto subiecto caliditate, vt vnum, & remittendo caliditatem, vt sex ad caliditatem, vt quinque, quæ est caliditas, quæ simul cum frigiditate, vt tres, adimplet totam capacitatem subiecti.

37. Et confirmatur, non solum experientia, qua sensu tactus experimur, ex calido fieri frigidum, & è contra; & consequenter qualitates contrarias in gradibus intensis non posse simul compari; sed etiam, quia si vna qualitas non expelleret ab eodem subiecto qualitatem sibi contrariam in gradibus intensis, multò minus illam expelleret in gradibus remissis; & con-



consequenter nunquam verificaretur in actu exercito id, quod componitur in definitione contrariorum, sup. num. 3. relata, scilicet, quod ab eodem subiecto mutuo se expellunt. 38 Ex his resolui potest, quid sit dicendum de qualitatibus contrariis, quæ etiam sint intensibiles, & remissibiles; nihilominus nõ diuisibiliter, sed indiuisibiliter opponuntur, iuxta prædicta num. 7. vt sunt actus vitales sciētix, & erroris, assensus, & dissensus, amoris, & odij, &c. quando versantur circa idẽ obiectum, & sub eadem ratione. Dicendum est enim (quid quid sit de potentia Dei absoluta, de quo statim) naturaliter nõ posse esse simul in eodem subiecto, non solum in gradibus intensis, sed neque in gradibus remissis: aliàs non indiuisibiliter, sed potius diuisibiliter opponerentur; quod est contra præsuppositum.

39 Si verò loquamur supernaturaliter, seu de potentia Dei absoluta, etiam est serẽ communis consensus Philosophorum, & Theologorum, posse Deum potentia sua absoluta, qualitates primas elementorũ contrarias, vt sunt calor, & frigus, humiditas, & siccitas in gradibus intensis in eodem subiecto simul conferuare; & idem affirmant de habitibus acquisitis contrariis, qui sunt diuisibiliter oppositi, vt sunt habitus virtutum moralium. Imo non

pauca idem affirmant de habitibus supernaturalibus, & perfecte infusis, vt sunt habitus fidei, & infidelitatis, spei, & desperationis, gratiæ, & peccati habituales, id est, maculæ, à quibus peccatores denominamur, nõ obstante, quòd indiuisibiliter opponantur.

40 Et ratio efficax huius doctrinæ est; quia etiam si sit effectus formalis vnus qualitatis contrariæ expulsiõ totalis qualitatis contrariæ existentis in eodem subiecto, quando qualitas contraria, quæ de nouo infunditur, si sit diuisibiliter opposita, infunditur in summa intensione; etsi sit indiuisibiliter opposita, in quocumque gradu intensiõis infundatur, nihilominus, cum nõ sit talis expulsiõ effectus formalis primarius prædictæ qualitatis, sed secundarius, etiam si sit ei conaturaliter debitus, poterit à Deo sua potentia absoluta impediri, nõ subtrahendo concursum, quo qualitatem contrariam, quæ aliàs expelleretur, cõseruabat; quia in hoc nulla inuoluitur contradictiõ, & Deus sua infinita virtute efficere potest, quidquid implicationem non inuoluit.

41 Sed quid dicendum est de actibus vitalibus contrariis, vt sunt actus assensus, & dissensus; actus oppositiõis, & erroris; actus amoris, & odij, & his similes, quæ quando versantur circa idẽ obiectum? Respondeo breuiter;

## QVÆSTIO VI.

*Vtrum qualitas elementi minus intensã habeat permixtionem contrariæ?*

STATUIMUS quæst. 4. cum Aristotele in nullo elemento posse esse (quantum est ex natura sua) duas qualitates in summo, sed vnã in summo, & alterã infra summum. Ex his oritur non leuis difficultas, nimirum, an ista qualitas, quæ est in quocumque elemento infra summum, habeat admixtionem contrariæ qualitatis, quæ adimpleatur latitudo gradualis, vt octo, quæ solet in intensiõne qualitatum assignari; exempli gratia, in igne est caliditas in summo, puta, vt octo, & siccitas infra summum, puta, vt sex, quod inquirimus est, an etiam sit humiditas, vt duo, qui sunt gradus siccitati deficientes vsque ad octauum gradum, qui est, qui appellatur in summo.

2 Partem affirmatiuam tenent Marsilius hic quæstione 4. & 6. Conimbricenses capite 3. quæstione 5. artic. 4. qui propria referunt Porriuentem tractatu de intensiõne formarum, part. 2. Buridanum, & plerosque ex schola Nominalium: & probant.

3 Primò, quia in elementis,

ter, quòd si isti actus contrarij versentur circa eodem obiectum sub diuersa ratione, vt cum Patet, v. g. amat filium, in quantum filium, & odit filium in quantum inobedientem, non solum possunt esse in eodem subiecto in gradibus intensis potentia Dei absoluta, sed etiam possunt esse in eodem subiecto in gradibus remissis, potètia ordinaria, seu naturaliter; non secus, ac dictum est de alijs qualitibus contrariis, quæ diuisibiliter opponuntur; & ratio est, quia in illo casu, etsi actus isti sint contrarij, sed nullam inuolunt implicationem ex parte obiecti, cum illud respiciant, nõ secunda eadem, sed secundum diuersas rationes. At si actus isti contrarij versari debeant, non solum circa idem obiectum, sed etiam sub eadem ratione, neque de potentia Dei absoluta possunt dari simul, non solum in eodem, sed neque in diuersis subiectis; cuius ratio est, quia vt sic manifestam inuolunt implicationem ex parte obiecti formalis: est enim manifestam implicatio, quòd actus vitales sint oppositi, & quòd rationes formales, sub quibus tẽdunt in sua obiecta, quæ sunt à quibus, sicuti specificationem, ita & oppositionem accipiunt, non sint opposita, sed potius eadem.



quantum deest in vno contrario, tantum suppletur ex alio; ergo qualitas, quæ non habet summum gradum intensiõnis in elementis, debet esse permixta cum contraria qualitate, vt ita elementum tantum habeat de illa, quantum de summa intentione opposita qualitaris illi deest. Antecedens probant, tum ex Aristotele, qui in Physi-  
corum textu 19. docet, eo plus, vel minus vnus contrarij esse in aliquo subiecto, quo plus, vel minus de alio contrario habet; tum etiam ex illo principio ab omnibus recepto, scilicet, latitudinem gradualẽ cuiuslibet contrarietatis primarij qualitatum debere esse completam ex vno, vel ex vtroque contrario.

4. Secundo probant ex duobus inconuenientibus, quæ ex opposita sententia sequerentur. Primum est, quod secundum illam qualitatem, quam habet elementum infra summum possit elementum alterari, seu intendi in instanti, quod est contra naturam alterationis corruptiua; de cuius ratione est, esse motum successiuum, & confluentem tempus: sequela patet, quia successio in alteratione solum prouenit ex resistẽtia contraria qualitaris existẽtis in subiecto, quæ iuxta oppositam sententiam non reperitur in elemento, admixto cum qualitate minus intensa, seu remissa. Secundum

est, quod elementum, cuius qualitas remissa intenderetur ab extrinseco, numquam posset illam intensiõnem a se expellere, & cum illa intensio sit ei violenta, daretur violentum perpetuum.

5. Sed opposita sententia semper mihi visa est magis Aristotelis menti consentanea, scilicet, etsi de facto, vt in plurimum, in elementis qualitas remissa, seu infra summum habeat ad mixtionem qualitatis contraria, qua adimpletur latitudo gradualis, vt octo, quæ solet in intensiõne qualitatum assignari; nihilominus hanc admixtionem solum competere elementis per accidens, nimirum, ratione contrariõrum, quibus elementa de facto, vt in plurimum obsidentur; nam per se, & ex natura sua potius requirunt, quod prædicta qualitas remissa, seu infra summum, non sit permixta qualitate sibi contraria: ita tenent Alexander 1. Metaph. commento 13. Toletus hic quæstione 6. & plures alij, quos sequuntur, & ferunt Rubius hic quæstione 9. numero 147. & Patres Carmelitani disput. 10. quæstione 5. §. 2. num. 58.

6. Et probari potest per singula, quæ docet Aristoteles in hoc libro 2. discurrendo; nam capite 3. textu 16. expressè docet, in vnoquoque elemento duas tantum esse qualitates, & coniugationes, quæ fieri possunt

sunt inter qualitates contrarias, non posse ad naturam elementorum spectare, quorum vtrūque falsum esset, si per se, & ex natura sua exposerent elementa, quod qualitas remissa, seu infra summum, haberet admixtionem qualitatis contraria, qua adimpletur latitudo gradualis, vt octo, quæ solet in intensiõne qualitatum assignari.

7. Item capite 4. textu 23. docet facilius generari vnum elementum ex alio symbolo, quam ex dissymbolo, & reddi pro ratione; quia vt generetur ex symbolo, vnã tantum qualitatem oportet per se corrumpi: vt autem generetur ex dissymbolo, duæ necessariõ, & per se sunt corruptiua; quæ ratio falsa esset, si in vnoquoque elemento cū qualitate remissa necessariõ esset admixta qualitas contraria; nã in hac suppositione manifestum est, debere ad generationẽ elementis ex elemento symbolo corrumpi necessariõ, & per se duas qualitates contrarias, non fecas, ac dum generatur ex dissymbolo, vt intuentibus erit perspicuum.

8. Præterea eodem capite diuidit elementa in symbola, & dissymbola, appellans elementa symbola ea, quæ in aliqua qualitate conueniunt; dissymbola verò, quæ nulla conueniunt qualitate, quæ diuisio non esset bona, si in omni ele-

mento esset per se, & necessario requisitum, quod qualitas remissa, seu infra summum, haberet admixtionem qualitatis contraria; nam in hac suppositione omnia elementa conuenirent in aliqua qualitate, & consequenter nulla elementa essent dissymbola, sed omnia essent symbola.

9. Denum ex Aristotele, & communi sententia elementa sunt ex naturali sua constitutione corpora simplicia, id est, nullam mixtionem admittentia, quod assertum plane esset falsum, si elementa ex naturali sua constitutione postulerent, quod ex duabus qualitatibus, quæ ex naturali sua constitutione petunt, qualitas remissa, seu infra summum, necessario deberet esse admixta cum contraria qualitate.

10. Ad ea, quæ in contrarium obijciebantur, respondemus; ad primum dicimus, quod si seruo sit ( vt in præsentia esse debet) de his, quæ conueniunt elementis ex naturali sua constitutione; antecedens esse falsum; & ad primam probationem desumptam ex Aristotele respondetur, quod cum Aristoteles ait, *Eo plus, vel minus vnus contrarij esse in aliquo subiecto, quo plus, vel minus de alio contrario habet*, solum loqui de qualitatibus mixtorum, & de his, quæ sunt in elementis in gradibus remissioribus, quàm petunt ex naturali sua consti-



tutione, vt cum aer, verbi gratia, in frigidatur ab aqua, vel terra; non verò de qualitatibus conuenientibus elementis in gradu remisso, seu infra summum ex naturali sua constitutione, & eodem modo respondetur ad secundam probationem desumptam ex illo principio ab omnibus recepto, scilicet, *latitudinem gradualem cuiuslibet contrarietatis primarum qualitatum debere esse completam ex uno, vel utroque contrario*, esse quidem verum, & intelligendum, quãdo subiectum petit vtrumque extremum contrarietatis; non tamen esse verum, neque intelligendum de subiecto nõ postulante vtrumque extremum contrarietatis; sed aliquod in determinato gradu, vt contingit in elementis.

11 Ad secundum ex duobus inconuenientibus (secundo loco, num. 4. adductis) in primis dicimus, de facto non habere locum, quia vt n. 5. dicebamus, de facto, & vt in plurimū qualitates remissæ elementorū per accidens habent admisionem contrariæ qualitaris, causatam à contrarijs, quibus de facto elementa, & vt in plurimū obsidetur. Quod si assignetur casus, in quo aliquod elementum, v. gr. aer existet in sua puritate, scilicet, solum affectus humiditate in summo, & caliditate infra summum, & tum applicaretur agens calidum in summo, scilicet, ignis, adhuc caliditas ac-

ris non intenderetur in summum in instanti; nam licet in aere non esset qualitas cõtraria, scilicet, frigiditas, quæ directè resisteret summo calori ignis; esset tamen alia resistens indirectè, scilicet, humiditas in summo, quæ nequid esset simul cum summo calore in eodem elemento; & idèo in instanti non posset fieri aer summè calidus, aut magis calidus, quàm, iuxta humiditatem, quam habet, cõnaturaliter exposcit.

12 Ad secundum inconueniens respondet aliqui, inter quos est Rubius loco citato n. 153. admittendo, numquam posse elementum à se expellere intentionem suæ qualitatæ remissæ, factam ab extrinseco agente; negant tamen indè sequi, quod illa intentio, quæ re vera violenta est prædicto elemento, esset perpetua; quia sicut facta est ab aliquo extrinseco agente, ita facilè ab alio extrinseco agente contrario poterit expelli, seu corrumpi.

13 Sed licet hæc responsio sufficiens sit ad satisfaciendum secundum inconuenientiam in contrariū adducto; sed non placet id, quod in ipsa admittitur, scilicet, nõquam posse elementum à se expellere intentionem suæ qualitatæ remissæ, factam ab extrinseco agente. Nam quidquid violenter inest tollitque naturalem dispositionem passivi, non potest, non expelli, ab ablatore, saltè de cursu alienius

tem.

temporis, ab intrinsicis principijs ipsius passivi.

14 Aliter ergo respondendum est, negando, scilicet, ex nostra sententia sequi, numquam posse elementum à se expellere intentionem suæ qualitatæ remissæ, factam ab extrinseco agente. Nam etiamsi elementum non habeat, neque exposculet qualitatem contrariam; exposculet tamen natura sua minorem intentionem in prædicta qualitate, ac per consequens, sicut quando exposculet aliquam qualitatem cõtrariam (ablatore obice, id est, agente contrario) se reducit ad suam nativam dispositionem, per emanationem ab ipso qualitatæ contrariæ; ita si petat minorem intentionem in aliqua qualitate, poterit ad illam minorem intentionem qualitatæ ex suis principijs intrinsicis se reducere per nouam emanationem ab ipsis illius qualitatæ remissæ, quam exposculet.

### QVÆSTIO VII.

*Vtrum qualitates symbolæ elementorum sint eiusdem speciei?*

1 **Q**ualitates symbolæ elementorum appellatur, quæ duobus elementis conueniunt, vni in summo, & alteri infra summum, vt calor igni, & aeris; humiditas aeri, & aquæ; frigiditas aquæ, & terræ; siccitas terræ, & igni. De his er-

go qualitatibus symbolicis inquiremus, an in vtroque elemento sint eiusdem speciei?

2 Toletus hic quæstione 7. refert sine auctoris nomine aliquorum fuisse sententiam, qualitates symbolas elementorum, verbi gratia, calorem ignis, & calorem aeris esse qualitates distinctas in specie, quam sententiam probabilem reputat Tartaretus hic, capite 3. §. *Sciendum est* 4. & probari potest.

3 Primò diuersorum subiectorum in specie diuersa sunt in specie affectiones, quæ ab ipsis dimanant, tanquam dispositiones ad ipsorum conseruationem requisitæ; sed elementa ad inuicem cõparata specie differunt, ergo etiam qualitates, seu affectiones, quæ ab ipsis dimanant, tanquam dispositiones ad ipsorum conseruationem requisitæ, si ad inuicem comparentur, diuersæ etiam erunt in specie; sed tales sunt calor in summo in igne, & calor infra summum in aere, &c. ergo calor ignis, & calor aeris, &c. diuersæ sunt in specie qualitates.

4 Secundo, qualitates symbolæ elementorum producunt effectus diuersos in specie; ergo ipsæ differunt specie. Antecedens patet, quia siccitas in elemento terræ causat densitatem, & siccitas in elemento ignis causat raritatem. Item humiditas aquæ extinguit ignem, etiamsi aqua sit fervens, & expers



frigiditatis; humiditas verò ærea fouet, nutritque, vt videre licet in oleo, & cera, quæ flammæ pabulū sunt: & demum calor æris compatitur cum summa humiditate, cum qua nullo modo compatitur calor ignis.

5 Sed vera, & Peripatetica sententia est, qualitates symbolas elementorum, vt in nomine, ita in specie, & natura conuenire. Primò, quia si eiusdē speciei non essent, elementa non essent symbola; siquidē in nulla qualitate conuenirent. Item non esset ratio ad affirmadum, faciliorem esse transitum inter elementa symbola, quam inter dissymbola, cum in vtroque transitu duæ qualitates diuersæ in specie generarentur, & corrumpērētur, quorum vtrūque est contra Aristotelem capite 4. huius libri.

6 Secundò, quia calor ignis, & æris mutuo se intendunt, similiterque frigiditas aquæ, & terræ, vt experientia manifestat; quæ autem specie differunt, sicuti in vnâ naturam conuenire non valent; ita neque se inuicem augere, seu intendere.

7 Tertio demum, quia si qualitates symbolæ, ad inuicē cõparatæ essent diuersæ speciei, iam non essent tãtum quatuor primæ qualitates, sed potius octo, scilicet, duo calores, duæ frigiditates, duæ humiditates, & duæ siccitates; & cõsequēter non essent quatuor tantū cõiugationes primarum qualitatum

vtiles ad constituenda diuersa elementa, sed potius octo, quorum vtrumque est contra Aristotelem in cap. 4. huius libri.

8 Ad primam rationē ex adductis in contrarium, concessò toto primo syllogismo, negamus, affectiones, quæ ab elementis dimanant, rãquam dispositiones ad ipsorum conseruationē in statu perfectæ dispositionis requisitæ, consistere in vna simplici qualitate, scilicet, in calore summo in igne, & in calore infra summum in aère (vt argumētum supponit) cum potius consistant in coniugatione duarum qualitatum, scilicet, in calore in summo, & siccitate infra summum in igne, & in humiditate in summo, & calore infra summū in aère: ac per cõsequens ineptè inferri, ex eo quòd elementa specie differant, quòd etiã specie differre debeant qualitates symbolæ ipsorum; sed quod inferri debet, solum est, cõiugationes duarum qualitatum, quas vnūquodque elementum requirit, esse coniugationes specie differentes; quod in omnium sententia verum est, non obstante, quòd calor in summo ignis, & calor infra summū aeris eiusdem sint speciei.

9 Ad secundā dicimus, quòd sicut non rectè inferitur, effectus producti sunt eiusdem speciei: ergo causæ, à quibus producuntur, sunt etiam eiusdem speciei; quia, vt rectè docuit Scotus in

4. dist. 43. q. 1. & desumpsit ex Augustino 3. de Trinitate cap.

9. idem scẽadum speciem potest generari vniuocè, & aequiuocè, & consequenter à causis diuersis in specie, vt calor genitus ab igne, & calor genitus à sole: ita è contrario non bene inferitur, effectus producti sunt diuersi in specie: ergo causæ producētes etiam in specie differunt, loquendo non de effectibus primarijs, vt sunt respectu caloris calefacere, & respectu frigoris frigefacere; sed de effectibus secundarijs, vt sunt instantiæ, quæ adducuntur in argumento: cuius ratio à priori est, quia effectus secundarij possunt etiam variari in specie, rã ratione dispositionis subiecti, tum etiam ex concomitantia alterius causæ; idem enim sol nō solum in specie, sed etiam numero, ratione diuersæ dispositionis subiecti, & exsiccat lutum, & humectat ceram, qui sunt effectus non solum distincti in specie, sed etiã contrarij.

10 Vnde ad primam instantiã respondemus, siccitatem in terra causare densitatem, & in igne causare raritatem, non quia siccitas terræ, & siccitas ignis differant specie, sed quia in terra coniungitur ad operandum cum frigiditate, & in igne cum caliditate.

11 Ad secundam dicimus, in sententia nostra, & Scoti, quæ sustinet, primas qualitates elementorum non manere in mi-

nis actu, & formaliter, sed solū virtute, in quadam, scilicet, simplici qualitate, quæ dicitur temperamentum misti, quæ in virtute ipsas continet, distincta in specie ab ipsis, nihil concludere instantiã humiditatis aquæ, & humiditatis olei, cum humiditas aquæ sit formalis, humiditas verò olei fit virtualis, & consequenter sunt specie distinctæ, & sic nō mirum, quòd vna extinguat ignem, altera vero nutriat. In sententiã verò Thomistarum, quæ tenet, primas qualitates elementorum manere actu, & formaliter in mistis, responderi potest, humiditatem aquæ extinguere ignem; humiditatem verò olei ipsum nutriat, non quia sint distinctæ in specie, sed quia in oleo est prædicta humiditas coniuncta cum pinguedine, quam coniunctionem non habet in aqua.

12 Ad tertiam respondemus, ex eo, quòd calor coniungatur in aère cum summa humiditate; in igne verò non coniungatur cum humiditate, nō rectè colligi, calorem æris, & calorem ignis esse diuersos in specie; quia coniugatio qualitatum cum alijs qualitatibus distinctis in specie, non arguit distinctionem specificam inter illas: alioqui candor, qui in vno potest esse coniunctus cum sapore dulci, & in alio cum sapore amaro, non essent nullæ speciei, quod nullus admittet.



## DISPUTATIO SECUNDA.

## De transmutatione substantiali elementorum.

**D**E transmutatione substantiali elementorum quinque examinanda sunt. Primum, *utrum quodlibet elementum possit immediate transmutari in quodlibet*? Secundum, *utrum sit facilius transmutari inter elementa symbola, quam dissymbola*? Tertium, *utrum res permanentes semel corrupta per potentiam diuinam possint redire*? Quartum, *utrum res permanentes semel corrupta naturaliter redire possint*? Quintum, *utrum res successiuæ semel corrupta per diuinam potentiam redire possint*?

## QVÆSTIO PRIMA.

*Utrum quodlibet elementum possit immediate transmutari in quodlibet?*

**P**resupponit hæc quæstio id, quod Aristoteles docuit in hoc libro cap. 6. præsertim contra Empedoclem, elementa omnia esse substantialiter transmutabilia, & consequenter vni possit substantialiter transmutari in aliud, cum habeant materiam communem, seu eiusdem rationis, & insuper habeant qualitates contrarias, tam actiuas, quam passiuas, quibus vnum in aliud agere, & repati possit. Querit autem, an, quando fit hæc transmutatio substantialis vnius in aliud, possit fieri immediate, an necessarium sit, quod fiat mediata?

2. Et ne in æquiuoco labore-

mus (sicut laborant Pater Ariaga disp. 4. sectione 6. & plures alij) notandum est, quod cum inquirimus, an quodlibet elementum possit immediate transmutari in quodlibet dupliciter posse intelligi. Primum attendendo solum ad virtutem propriam, & innatam, quam vnum quodque elementum habet, tam ad agendum in aliud, quam ad recipiendum ab alio elemento. Secundum attendendo non solum ad istam virtutem innatam, sed etiam ad alias causas, à quibus virtutes innatæ elementorum iuari, vel disponi possunt ad hoc, ut quodlibet in quodlibet immediate transmutari possit.

3. In:

3. In primo istorum sensu (in quo videtur Pater Ariaga hæc quæstionem disputare) non procedit præsens quæstio; nam verum iudico; attentis solum virtutibus innatis vnicuique elemento, tam ad agendum in aliud, quam ad repatiendum ab illo, est vnum elementum possit agere in aliud, & similiter repati ab illo, & hoc tam in elementis symbolis ad inuicem comparatis, quam in dissymbolis, non tamen ita efficaciter, ut vnum immediate in aliud transmutetur, seu conuertatur; quod ostendi potest, tam experientia, quam ratione.

4. Experientia; quia numquam experimur, attentis solum virtutibus innatis elementorum, vnum elementum immediate in se aliud conuertere, non obstante, quod sint contigua, & consequenter ad mutuo agendum, & repatiendum debite approximata; alias per solam applicationem aeris ad ignem posset ignis conseruari, non secus, ac conseruatur per applicationem lignorum, aliorumque combustibilium.

5. Neque obstat, quod exigua gutta aquæ, injecta in magnum rogam, immediate in ignem conuertatur (ut infra ostendamus contra aliquos oppositam sentientes) nam hoc non provenit ex sola innata virtute ignis, sed etiam ex alia causa, scilicet, ex multi-

tudine partium ignis, quæ simul collectæ præstant præstantiorem effectum, quam vnaqueque seorsum præstare potest: & quod hoc sit verum, pater; nam si æquales portiones aquæ, & ignis commisceantur, neque aqua conuertetur in ignem, neque ignis in aquam, sed vtrumque resolvetur in fumum, & in vapores.

6. Ratione idem probatur: quia auctor naturæ Deus optimus; maximus, ut elementa possent persisterre in rerum natura, virtutes innatas eorum agendi, & repatiendi mutuo inter se ita temperavit, ut licet ipsarum vni vnum elementum possit agere, & pati ab alio, sed non ita fortiter, ut ex solis virtutibus innatis eorum, seclusis quibuscumque alijs, vnum posset in se aliud conuertere: quod facta comparatione, tam inter elementa dissymbola, quam inter elementa symbola facile constabit. Licet enim ignis habeat caliditatem in summo, & siccitatem infra summum, quibus mediantibus potens est in alieno subiecto producere calorem in summo, & siccitatem infra summum, & consequenter ipsum vltimate disponere ad generationem ignis; nihilominus in elemento dissymbolo, qualis est aqua (secluso quocumque alio iuvamine) id præstare non potest, eo quod in aqua est



est frigiditas in summo, & humiditas infra summum, quæ receptioni caliditatis in summo, & siccitatis infra summum naturaliter resistunt. Itē in elementis symbolis, et si aër non habeat frigiditatem, per quam resistere possit summæ caliditati ignis; habet tamē humiditatem in summo, per quam potens est resistere siccitati, infra summum ipsius ignis, quæ etiā necessaria est in aëre. hoc, vt in ignem conuertatur. Idem exemplificari potest, facta cōparatione inter alia elementa, tam dissymbola, quàm symbola.

7 In secundo vero sensu, qui est legitimus huius questionis, & in quo ab omnibus Peripateticis discutitur, vtrum verum sit id, quod Aristoteles cap. 4. huius libri textu 2. 4. & sequentibus, non solum affirmat, sed etiam ex professo probat contra antiquos Philosophos, videlicet, omnia elementa esse ad inuicem transmutabilia, ita vt quodlibet possit immediatē transmutari in quodlibet? non est vniuersimodis Peripateticorum consensus.

8 Aliqui affirmant, et si prædicta Aristotelis doctrina vera sit, facta cōparatione inter elementa symbola; non tamen esse veram, facta cōparatione inter elementa dissymbola. Ita Rubius hic quæst. 1. qui profusa sententia citat Themistium 5. Physicorum ad textū

9. Sotum 4. Physicorū, quæst. 2. art. 1. & Valesium ibidē capite 5. ad finem. Alij vero docent absolute, prædictam doctrinam Aristotelis falsam esse; quia non solum non vera, facta cōparatione inter elementa dissymbola, sed etiam facta inter symbola. Hanc sententiam refert Toletus hic quæst. 8. licet pro ea nullum referat auctorem, & videtur esse Paris Ariagæ loco supra citato, & Aresij 2. de generatione quæst. 15. qui solum admittit cōuersionem immediatā mutuatam inter aquam, & aërem factam, non tam virtute propria elementi conuertentis in se aliud, quàm virtute alterius agentis extrinseci.

9 Sed cuiuscumque sit præfata sententia, probari potest. Primò, quia præter virtutes proprias, & innatas, quibus elementa inter se mutuò agunt, & patiuntur, nihil assignari potest, quòd sit principium, seu causā coadiuans ad mutuam transmutationē vnius elemēti in aliud; sed virtutes proprias, & innatas elementorum non valent vnum elementum transmutare immediatē in aliud, vt tam experientia, quàm ratione num. 4. 5. & 6. ostensum est: ergo absolute dicendum erit, nullum ex elementis posse in aliud immediatē transmutari.

10 Secundò, & est argumentum Rubij; vt fiat transmutatio aquæ

in ignem, necesse est, vt ignis expellat per suam caliditatem, & siccitatem, frigiditatem, & humiditatem ab aqua; sed hæc expulsio est successiua; ergo prius, quàm expellantur totaliter ab aqua frigiditas, & humiditas, & introducantur totaliter caliditas, & siccitas ignis, erunt in aqua omnes istæ quatuor qualitates in gradibus refractis, seu remissis; & consequenter dispositio necessaria ad generationem alicuius miffi, antequam accedat dispositio requisita ad generationem ignis, & consequenter conuersio elementi aquæ in elementū ignis, non poterit fieri immediatē, sed mediatē, facta quidē prius conuersione aquæ in aliquod mistum.

11 Et cōfirmatur primò, quia vniuersaliter est verum, nullā rem posse transire, naturaliter loquendo, de extremo ad extremum, nisi per medium; sed elementa dissymbola sunt extrema; ergo vnum non poterit naturaliter transmutari in aliud immediatē, sed prius transmutandum erit, vel in elementum symbolum, vel in mistum aliquod, quod se habeat, vt medium inter elementa dissymbola.

12 Tertiò probatur, & est argumentum ostendens, etiam elementa symbola, vt sunt, v. g. terra & ignis, non posse immediatē vnum in aliud transmutari. Terra, cum sit densissimè

ma natura sua, non potest conseruari naturaliter sub ea raritate, quæ est requisita ad generationem aëris, sed prius, quàm accedat ad raritatem ignis requisitam, debet necessario peruenire ad raritatem aëris; ergo corrumpetur, non in ignem, cū nondum habeat raritatem ad conseruationem in esse ignis requisitam, sed in exhalationē, quæ est quoddam mistum aëris simile, & consequenter vnum elementum non poterit immediatē transmutari in aliud, etiam si symbola sint.

13 His tamen non obstantibus, tenenda, & acceptanda est Aristotelis sententia, scilicet, attendendo non solum ad virtutes proprias, & innatas elementorum, sed etiam ad alias causas, à quibus prædictæ virtutes naturaliter inuari possunt, posse quodlibet elementum in quodlibet aliud, siue symbolū, siue dissymbolum immediatē transmutari. Aristotelem sequuntur omnes Peripatetici tū Græci, quàm Latini, inter quos sunt Diuus Thomas hoc 2. libro lectione 4. §. Prosequitur. Albertus de Saxonia quæst. 7. Matffilius quæst. 9. Toletus quæst. 8. Conimbricenses cap. 4. quæst. 1. art. 2. curfus Carmelitanus disp. 11. quæst. 1. Auersa quæst. 41. de elementis, scilicet. 10. Ioānes à Sancto Thoma quæst. 10. art. 4. & quàm plures alij.

14 Et præter auctoritatem Aristotelis, & rationem, quam ipse



ipse assignauit, nimirum, omnia elementa ratione suarum qualitatum esse inter se contraria (quæ ratio, etsi optimè probet, nùm elementum ratione huius contrarietatis posse agere mutuo, & repati ab alio; non tamen conuincit, attentis solum virtutibus ipsorum, posse vnum immediate conuerti in aliud; bene tamen conuincit intentum, si virtutes istæ aliud adiuuentur, vel disponantur) ex nullo alio capite melius probari potest hæc Aristotelica, & Peripatetica sententia, quam assignando causas, à quibus adiuuari, vel disponi naturaliter possunt virtutes innate elementorum, ita vnum elementum in aliud immediate transmutari possit.

15 Prima causa esse potest magnitudo elementi, quod in se transmutari debet contrarium; & paruitas elementi contrarij, quod transmutari debet. Nam magnitudinem in agente valde iuvat ad hoc, vt agens producat intensiorem effectum, quam alias produceret, vt ex Aristotele, & per experientias ex professo ostendimus lib. 1. disput. 6. quæst. 4. sect. 2. Imò ex hoc principio intulit Aristoteles 5. Physicorum text. 4. 2. quod si aliquid ex elementis esset infinitè molis, conuerteret in se omnia alia elementa: Et hoc inuane pluries contingit, quod vnum elementum conuertat immediate in se non

solum alia elementa symbola, sed etiam dissymbola, quæ alias sola virtute innata conuertere non possent, vt experientia demonstrat in gutta aquæ in magnum ignem iniecta, quæ immediate conuertitur in ignem.

16 Nec audiendi sunt, qui dicunt in dicto casu illam guttam aquæ non conuerti in ignem; quia fabri ferrarij frustra aspergerent aqua fornacem ignis ad augendam eius vim, quod non frustra faciunt, sed experientia docet, quod ille ignis augetur per transmutationem illarum guttarum aquæ in se ipsum. Nec valet, si dicas guttas illas conuerti quidem in ignem, sed non immediate; licet enim verum sit, guttas illas aquæ non conuerti in instanti in substantiam ignis; sed debere prius exciccari, & calefieri; tamen per istam exciccationem, & calefactionem, quæ est dispositio necessaria præcedens in ipsam materiam ad introductionem formæ ignis, etsi guttæ illæ aquæ transierant ab statu perfecta dispositionis ad statum corruptiouis, non ideo amittunt formam aquæ, quousque exciccatis, & calefactis introducit in earum materijs forma ignis, & ideo, etsi successiue, & in tempore, immediate tamen transiunt, seu conuertuntur in ignem.

17 Secunda causa esse potest densitas elementi, quod in se transmutare debet contrarium,

&

& raritas elementi contrarij, quod transmutari debet. Nam densitatem in agente, valde iuua- re ad hoc, vt agens producat intensiorem effectum, quam alias produceret, etiam ex Aristotele, & per experientias ostendimus lib. 1. disput. 6. quæst. 4. sect. 2. citatis: & patet in aqua, quæ magis humectat terram, quam ær, non obstante, quod ær natura sua sit humidus in summo, & aqua solum sit humida propè summum; nõ alia ratione, nisi quod aqua est magis densa, quam ær: & hoc iu- uamine contingere solet, vt vnum elementum conuertat in se aliud, quod alias sola virtute innata conuertere non possent, vt contingit, exempli gratia, in exhalationibus terrestribus, (quæ non obstante raritate, adhuc retinent, licet via corruptionis, formam terræ) quæ sæpe conuertuntur in aquam à vaporibus aqueis (qui adhuc retinent, licet in statu, seu via corruptionis formam aquæ) non obstante, quod terra sit sicca in summo, & aqua sit humida propè summum, eo quod vapores aquei densiores sunt exhalationibus terrestribus, & ratione densitatis humiditas infra summum expellere potest à contrario minus denso siccitatem in summo.

18 Demum iuari potest vnum elementum ad conuertendum immediate in se aliud, etiam dissymbolum (quod sola virtu-

te propria, & innata conuertere non poterat) ex consortio aliorum elementorum dispositionum ad talem conuersionem elementum, quod conuerti debet, exempli gratia, si humiditas aquæ ab alio elemento sicco, quale est terra, aliquantulum remittatur per receptionem aliquorum graduum siccitatis, & simul frigiditas eiusdem aquæ ab alio elemento calido, quale est ær, aliquantulum etiam remittatur per receptionem aliquorum graduum caloris, si huic aquæ sic dispositæ applicetur ignis, prædictus ignis absque dubio conuerteret immediate in se ipsum aquam sic dispositam naturali sua virtute: assumptum patet, quia si alias naturali sua virtute non poterat aquam immediate in se conuertere, hoc proueniret; quia caliditas eius in summo resistebat frigiditas aquæ, etiam in summo, & siccitatis eius propè summum resistebat humiditas aquæ, etiam propè summum; quod in casu assignato non contingit, eum, vt supponimus, talis aqua nec sit frigida in summo, nec humida propè summum.

19 Ex dictis à numero 15. vsque ad 18. præcedentem manifestè patet, quam falsa sit illa maior, quæ in prima probatione ex adductis in contrarium, assumpta est, videlicet, præter virtutes proprias, & innatas, quibus elementa inter se mu-

tuõ



tuò agunt, & patiuntur, nihil assignari posse, quòd sit principium, vel causa illas coadiutivas ad mutuam transmutationem vnus elementum in aliud, cum in prædictis numeribus plures causa à nobis assignatæ sint.

20. Ad secundam, quæ erat Rubij, fate mur libèter ad hoc, vt qua conuertatur in ignem, debere ignem per suam caliditatem, & siccitatem expellere ab aqua frigiditatem, & humiditatem; & similiter fate mur, hanc expulsionem esse successivam, & consequenter, prius quam expellantur ab aqua frigiditas, & humiditas totaliter, & introducantur totaliter caliditas, & siccitas, debere esse in aqua quatuor prædictas qualitates in gradibus remissis. Sed negamus in casu, quo ignis propter eximiam magnitudinem conuertit immediatè in se aliquas guttas aquæ, prædictas quatuor primas qualitates, dum sunt in gradibus remissis, esse dispositionem requisitam ad generationem alicuius misti. Et dico notanter, in casu, quo ignis propter eximiam magnitudinem. &c. Nam si ignis, & aqua, quæ mutuo pugnat, sint æqualis magnitudinis, non dubito, quòd qualitates eorum in gradibus remissis esse possint dispositio requisita ad generationem alicuius misti. Ratio vtriusque est, quia dispositio requisita ad generationem misti, de-

bet esse quid permanens, seu persistens, sicut & ipsam mistum quid permanens, & persistens est; & quamuis dum ignis, & aqua congregiuntur in æquali magnitudine, deuenire debeat ad aliquam mediocritatē suarum qualitarum, in qua permanent, & persistant; quia, vt supra dicebamus, in elementis contrariis, si ad solas virtutes ipsorum proprias, & innatas attendamus, etsi mutuo inter se ratione ipsarum agere, & pati possint, sed nullo modo vnum in se aliud conuertere; tamen cum ignis, qui congregitur cum aqua, valdè illam exuperat in magnitudine, in tali congressu non possunt pervenire eorum qualitates ad aliquam mediocritatem, in qua persistant, seu permanent; quia cum ignis ratione suæ magnitudinis possit aquam in se conuertere, non potest persistere semel congressus in aliqua mixture prædictarum qualitarum permanentem, sed semper est in via, & progressu, quovisque totaliter excludat ab aqua frigiditatem, & humiditatem inducendo in eam caliditatem in summo, & siccitatem propè summum, quæ sunt dispositiones ad generationem ignis requisitæ.

21. Ad confirmationem dicimus, illud commune dictum, non fit naturaliter transitus ab extremo in extremum, nisi per medium, solum esse verum, & intelligendum, quando transi-

tus

tus per medium est ex natura rei necessarius ad cõsequutionem extremi, vt contingit in motu locali, & similiter in generatione viuentium; sicut verò quando talis transitus per medium ex natura rei non est necessarius, vt patet in albo, quod potest fieri nigrum sine transitu per medios colores, & idè dicimus contingere, quoties vnū elementum dissymbolum transit immediatè in aliud.

22. Ad tertiam probationem, qua nitentur aduersarij ostendere, neque etiam in elementis symbolis posse dari transmutationem immediatam vnus in aliud, respondemus, in istatu perfectæ dispositionis nõ posse terram conservari in tanta raritate, ac est illa, quam exposcit aer ad suam generationem; tamen in statu violento, seu corruptionis posse conservari non solum cum raritate requisita ad generationis aeris, etiam cum maiori, vt patet in terrestribus exhalationibus, quæ rariores sunt, quàm aer; & nihilominus in veriori, & communiori sententia, adhuc in illis perseverat forma terre, quovisque conuertantur, vel in ignem, vel in aerem, vel in aquam. Nec mirum apparere debet; nã etiam frigiditas in summo est dispositio magis intrinsece requisita ad conservationem aquæ in statu perfectæ dispositionis, quàm densitas in terra, cum hæc non sit immediata, sed media-

ta (oritur enim ex dispositione primarum qualitarum) & nihilominus in statu violento, & corruptionis potest conservari aqua cum valdè minima frigiditate, vt patet in aqua feruati.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum facilius sit transmutatio inter elementa symbola, quàm inter dissymbola?*

**I** Postquam Aristoteles cap. 4 huius libri docuit, quòd liber elementum posse immediatè transmutari in quodlibet, siue symbolum, siue dissymbolum, subdit, symbola elementa facilius, & citius inter se transmutari, quàm dissymbola. & rationem reddit, quia ad hoc, vt elementum dissymbolum transeat in aliud dissymbolum, plures sunt difficultates vincendæ, cum debeant corrumpi duæ qualitates, at ad hoc, vt symbolum conuertatur in symbolum, pauciores sunt difficultates vincendæ; siquidem per se tantum est vna qualitas corrumpenda.

2. Hæc Aristotelica doctrina aliquibus visa est falsa, & ratio, quæ ipsam probat frivola. Falsa, quia elementa idè sunt transmutabilia, quia contraria (vt docuit ipsemet Aristoteles contra Philosophos antiquiores eodem cap. 4.) sed elementa dissymbola sunt magis con-

122



traria, quam symbola; ergo erunt etiam magis transmutabilia, & consequenter facilius, & citius transmutabuntur. Et confirmatur, quia patet guttæ aquæ injectæ in magnam pyram ignis, facilius, & citius convertuntur in ignem, quam aer inclusus in caverna terræ convertitur in aquam; ergo falsum est, elementa symbola facilius, & citius transmutari, quam dissymbola.

3. Finitio eius ratio; nam cum elementum symbolum agat in aliud symbolum secundum unam tantam qualitatem: dissym-bolum verò agat in aliud dissym-bolum secundum duas qualitates, ita facilis erit transitus inter dissymbola elementa, ac inter symbola; siquidem ita facile est agenti secundum duas qualitates expellere à passio duas qualitates contrarias, sicuti, & est agenti secundum unam tantam qualitatem expellere à passio unam qualitatem contrariam.

4. Propter hæc variè explicari solet hæc Aristotelis sententia; sed nobis breuiter dicendum est, tribus modis posse aliquod elementum appellari facilius transmutabile, quam alium. Primo, quantum est ex natura sua, nulla habita ratione agentis à quo efficienter transmutatur. Secundò habita etiam ratione agentis. Tertio, non solum habita ratione agentis, sed etiam omnium circumstantiarum, quæ

ad transmutationem unius elementi in aliud concurrunt.

5. His suppositis, dicendum est primo: si solum naturam elementis, quod transmutari debet, consideremus, facilius symbola transmutari, quam dissymbola. Hoc tantum est, quod voluit, & docuit Aristoteles lococitato, & hoc manifestè probat eius ratio, scilicet, elementa dissymbola, quantum est ex natura sua, habere plures difficultates vincendas ad hoc, ut unum in aliud conuertatur, quam symbola; siquidem habent duas qualitates corruptivas; symbola verò unam tantam: quod confirmari, seu declarari amplius potest à simili de ponderibus, ut quatuor, & ut duo: licet enim ita facile sit habenti virtutem, ut octo, levare pondus, ut quatuor, ac est facile habenti virtutem, ut quatuor, levare pondus, ut duo; nihilominus magis difficile est levare pondus, ut quatuor, quam levare pondus, ut duo, si ista pondera absoluta, & solum expectata natura ipsorum, considerentur: ita etiam licet ita facile sit elemento habenti duas qualitates corruptivas in alio duas qualitates contrarias, ac est facile habenti unam qualitatem corruptivam in alio unam qualitatem contrariam; nihilominus magis facile est corruptivam unam qualitatem contrariam, quam duas, si absolute, & solum expectata natura

ra

ra qualitatum, fiat consideratio, & solum natura.

6. Dicendum est secundo: si non solum naturam elementorum, quæ transmutantur, considerentur, sed etiam expectemus ad virtutes, & actiuitates agentium, à quibus elementa efficienter transmutantur; cæteris paribus, ita facilis est transitus inter elementa dissymbola, ac est inter symbola: hoc manifestè probat ratio facta n. 3. neque est contra Aristotelè, seu rationem ab ipso adductam ad probandum, facilius elementa symbola transmutari, quam dissymbola; nam ut numero præcedenti dicebamus, Aristoteles solum loquutus est de elementis secundum suam naturam consideratis, nulla habita ratione agentium, à quibus efficienter transmutantur. Et confirmari, & declarari amplius potest exemplo allato de ponderibus, ut quatuor, & ut duo; nam licet difficilius sit, quantum est ex natura ponderum, levare pondus, ut quatuor, quam pondus, ut duo; tamen habenti virtutem, ut octo, ita facile est levare pondus, ut quatuor, ac est habenti virtutem, ut quatuor levare pondus, ut duo: idem ergo dicendum est in nostro casu, videlicet, quod etiam si, consideratis tantum naturis elementorum, difficilius sit transitus inter elementa dissymbola, quam inter symbola; quia in transmutatione dissymborum de-

bet expelli, seu corrumpi duæ qualitates contrariae; in transmutatione verò symbolorum solum una qualitas contraria debet expelli, seu corrumpi; nihilominus habita etiam ratione ad virtutes agentium, ita facile posse transmutari dissymbola, ac symbola; quia ita facile est agenti secundum duas qualitates expellere, seu corrumpere duas qualitates contrarias; ac est agenti secundum unam tantam qualitatem expellere, seu corrumpere unam tantam contrariam qualitatem: hoc solum est tertio: si non solum naturam elementorum, quæ transmutantur, nec solum virtutes agentium, à quibus transmutantur; sed etiam alia circumstantia, à quibus iuvant debent virtutes innatae elementorum ad hoc, ut unum in aliud immediatè conuertatur, considerentur, non est assignabilis certa regula, sed dicendum est, aliquando dissym-bolum facilius, & citius transmutari in dissym-bolum, quam symbolum in symbolum, ut manifestè probat instantia adducta in confirmationem primæ rationis numero 2. factæ contra doctrinam Aristotelis guttæ aquæ injectæ in pyram ignis, quæ facilius, & citius convertitur in ignem, quam aer inclusus in caverna terræ convertitur in aquam; aliquando verò facilius,

Z

&amp;



& cuius elementum symboli conuertitur in symbolum, quam dissymbolum in dissymboli: cuius ratio est, quia circumstantia coadiuantes virtutes innatas elementorum ad hoc, vt alia elementa immediate in se coquantur, vt sunt magnitudo, densitas, & consortium aliorum elementorum; dispositionum elementum ad talem conuersionem, aliquando concurrunt in conuersione, quae fit inter elementa dissymbola; & non in conuersione; quae fit inter elementa symbola; aliquando vero contingit e contrario: scilicet. Ad primam rationem ex adductis in contrarium fatemur libenter eum Aristotele, contrarietatem esse necessariam inter elementa ad transmutationem vnius in aliud; sed negamus inde inferri tantum facilius elementa ad inuicem transmutari, quanto magis sunt contraria. Nam etiam si contrarietas ex vna parte requiratur ad transmutationem, eo quod vbi non est contrarietas, neque poterit esse actio, & passio; & consequenter neque transmutatio; tamen ex alia parte impedit, & retardat transmutationem; siquidem induit dissimilitudinem, & indispositionem in his, quae transmutanda sunt, & consequenter difficultatem, & tarditatem in transmutatione ipsorum.

9. Ad confirmationem dicimus, probare nostrum tertium

asserunt. Ad secundam numero 3. adductam probare asserunt nostrum 2. & sic non est, cur ad ipsa respondeamus non

**QVÆSTIO III.**

*Vtrum res permanentes semel corrupta per potentiam diuinam possint redire?*

**D**urandus in 4. dist. 43. quaest. 3. mordicus defendit, nullum indiuiduum permanentem semel corruptum, iam secundum se, quam secundum suas partes, posse idem numero redire, etiam per diuinam potentiam. Et dicit notanter, iam secundum se, quam secundum suas partes, vt saluet catholicum dogma de resurrectione hominis; fatetur enim hominem, cuius partes manent post ipsum mortem, posse redire eumdem numero per diuinam Dei potentiam, reuoluentem partes illas inter se, vt fit per resurrectionem; & pro eadem sententia citat Conimbricenses Ioannem a Neapoli quodlib. 27. quaest. 6. Abulensem ad caput 22. Matthaei questione 238. & Matilium hoc in libro, quaest. 18. & videtur esse Diui Thomae in 4. dist. 44. artic. 2. ad 3. vbi possibilitate resurrectionis hominis reducti ad hoc, quod partes eius non sunt corruptae, cum manent post mortem materia eius, & anima rationalis, cuius esse est idem (inquit

quit Diuus Thomas) quod est totius, & 3. part. quaest. 77. art. 5. & in 2. dist. 12. quaest. 1. art. 2. de eo, quod annihilatur, affirmat, non posse idem numero redire. Verum est, alij in locis Diuum Thomae oppositum affirmasse; nam 4. contragentes, cap. 81. & opusculo 9. cap. 82. & quodlibeto 4. art. 5. expressè docet, ens permanentem, si desinat esse, posse diuina virtute, idem in indiuiduum redire.

2. Probat autem Durandus suam sententiam primo, quia idem numero indiuiduum semel corruptum non potest redire, nisi per eandem numero actionem, seu mutationem, quae primo fuit productum; sed eadem numero actio, seu mutatio non potest redire, postquam semel transacta est, etiam per diuinam potentiam; ergo neque etiam per diuinam potentiam poterit redire idem numero indiuiduum, postquam semel corruptum, & transactum est.

3. Secundo probat: si Angelus, v. g. semel annihilatus, per diuinam potentiam iterum crearetur, haberet distinctam durationem ab illa, quam prius habuit; sed duratio Angeli non distinguitur ab eius esse actuali, seu existentia; ergo Angelus iterum creatus haberet distinctum esse actuale, seu existentiam; & consequenter esset non idem, sed distinctus numero a priori.

4. Tercio probat: si Deus ageret ex necessitate naturae, non posset reproducere indiuiduum, quod totaliter corruptum fuit; sed non plus potest Deus agens libere, quam agens ex necessitate naturae, ergo idem fatendum est.

5. Quarto probat: vel simpliciter est possibile idem numero effectus semel corruptus reproduci; vel simpliciter est impossibile. Si primum, ergo virtute naturae fieri poterit: si secundum, ergo neque etiam fieri poterit virtute diuina.

6. Dicendum nihilominus est, cum communi sententia, posse indiuiduum permanentem, semel corruptum, etiam secundum omnes eius partes, redire idem numero potentia Dei absoluta; ita late defendit Scotus noster in 4. dist. 43. quaest. 1. quem omnes discipuli sequuntur; & Diuus Thomas in posterioribus locis, num. 1. citatis, quem omnes discipuli sequuntur, supponentes, in prioribus locis solum loqui Diuum Thomae naturaliter, & de potentia ordinaria; ita cursus Cartelitanus disp. 13. quaest. 2. Ioannes in Saeto Thoma quaest. 12. art. 1. & communiter Theologi in 4. dist. 43. D. Bonauerura quaest. 3. Paludanus quaest. 2. & 3. Capreolus quaest. 1. Suarez tom. 2. super 3. partem, disput. 44. sect. 6. Conimbricenses hic capit. 11. quaest.



quæst. 2. art. 2. & quam plures alij.

7 Hanc veram, & communem sententiam probat Scotus primò auctoritate Augustini lib. 22. de civitate Dei cap. 22. ubi loquens de carne reddèda homini in sua resurrectione, non probat, quòd reditura sit (vt fides docet) eadem numero; ex eo, quòd in morte hominis maneat eius partes, anima, scilicet, & corpus, vt cõtendit Durandus, vlt dicebat D. Thomas loco citato dist. 44. citatis; quia partes hominis, materia, scilicet, & anima nõ sunt corruptæ; sed hoc reducit ad omnipotentiam Dei potentis iam semel corruptum, imò & annihilatum idem numero reparare: verba Augustini sunt, *Abstinet autem, vt ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda non possit omnipotenti creatoris omnia renouare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel in pulverem, cinerem, & colasum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit, vt finis illius, scelerisque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ac omnium creatoris, aut lateat cognitio nem, aut effugiat potentiam, & c.* & infra, *Esse omnibus percussis nudis, nec ulla eius materiæ (supple canis humanæ) in illis naturæ latebris mansisset; tamen si vellet, eam reparare omnipotens.* Et sermone 19 de verbis Apostoli, *Si in nihilum rediremur, facere Deus poterat, vt essemus, sicut & fecit nos esse, cum antea nunquam fuissetus.*

8 Secundo idem probat Scotus rationibus à priori, quæ in vnum collectæ hanc satis vlgarem efformare possunt. Quæ nullam repugnantiam inuolunt, à Deo fieri possunt; sed quod entia permanentia semel totaliter corrupta, imò ad nihilum redacta, per diuinam omnipotentiam iterum eadẽ numero redeant, nullam implicationem inuoluit: ergo à Deo fieri potest. Minorem, in qua esse poterat difficultas, probat Scotus per singula capita, ex quibus excogitari potest, provenire posse implicationem istam, discurrendo.

9 Nam in primis hæc repugnantia reproducendi eandem numero rem permanentem, quæ semel totaliter corrupta, imò & annihilata fuit, non potest provenire ex defectu virtutis in reproducente; nam omnipotentia Dei non est effecta minor; postquam res aliqua permanens ab eò producta euauit, ac erat antea, quàm illam produceret. Neque etiam provenire potest ex parte termini à quo; nam illud nihil, quod sequitur ad annihilationem alicuius rei permanentis, eiusdem est rationis cum nihilo, quod antecessit ad illius creationem: ergo sicut fuit terminus à quo creationis, poterit etiam esse terminus à quo reiterate creationis, seu productionis. Antecedens, inquit Scotus, est manifestum; nam cum

tam creatio, & annihilatio sint actiones oppositæ, illud met nihil, quod est terminus à quo creationis alicuius rei, debet esse terminus ad quem annihilationis illius. Nec demum provenire potest ex parte termini ad quem; nam creature possibili-les ita possibili-les sunt respectu diuinæ omnipotentia; postquam corruptæ; vel annihilatæ sunt, ac erant, antea quàm producerentur, vel crearentur à Deo; quæ magis manifesta sient, solvendo ea, quæ adducta sunt à Durando in contrarium.

10 Ad primam rationem, vt respondeamus, notandum est id, quod supra animaduertimus ad similes æquiocationes auferendas, actionem, seu mutationem sumptam; non pro respectu transmutantis ad transformatum, quæ in sententia nostra; & Scoti est ratio extrinsecus adueniens, conflituens quintum predicamentum; neque pro respectibus producentis ad productum, inducentis ad inductum, educentis ad educum, qui sunt relationes intrinsecus aduenientes, spectantes ad tertium predicamentum: sed pro re acta in fieri, quæ est acceptio; in qua sumpra fuit ab Aristotele 3. Physicorum, cum dixit, actionem, & passionem esse idẽ realiter in motu, & solũ distingui formaliter, quod dupliciter iurmi potest; primò materialiter

in esse rei, quæ ratione est per se non ponitur in aliquo predicamento; ponitur tamẽ reductiue in predicamento sui termini, etiam materialiter, & in esse rei considerati. Secundo formaliter, & in esse actionis, seu mutationis, quod est quoddam esse modale; & idẽ ad nullũ predicamentũ, neque per se, neque reductiue spectat; sed ad vnum ex postpredicamentis, quod Aristoteles, *modus motus*, seu mutationis appellauit.

11 His notatis, in forma ad primam rationem Durandi respondemus, quòd si actio, seu mutatio sumatur primo modo, scilicet, materialiter, & in esse rei; verũ esse, quod Durandus assumit in maiori, videlicet, nullũ indiuiduũ semel corruptũ posse redire idem numero, nisi etiam redeat eadẽ numero actio, quæ primò fuit productũ; quia actio, vt sic est ipsemet terminus in fieri, & fieri rei natura præcedit eius factum esse; sed falsum omnino est, quod assumit in minori, scilicet, eandem numero actionem, materialiter, & in esse rei consideratam non posse potentia Dei absoluta, postquã transacta est, redire eadem numero; nam si, vt probatum est, nullam implicationem inuoluit, quòd idem numero effectus, semel corruptus, iterum redeat in factò esse, neque etiã involvet implicationem, quòd redeat in ipso fieri.



12 Si verò actio, seu mutatio sumatur secundo modo, scilicet, formaliter, & in esse modalis actionis; seu mutationis, qua ratione in presenti sumitur, tam à Durando, quam ab Scoto loco citato litera E. falsum est, quod assuit Durandus in maioribus, videlicet, nulli indituum semel corruptum posse redire idem numero; nisi etiam redeat eadem numero actio, seu mutatio, qua primo fuit productum; quia, ut bene obijcit Scotus, actio, seu mutatio, ut sic considerata, posterior natura est forma; seu termino producto, & non bene inferitur, ex eo quod posterius non possit redire idem numero, quod etiā non possit redire prius. Et confirmatur (subdit Scotus) quia de facto Deus resuscitans, non reducit eamdem mutationem numero; quia resuscitatio non erit eadem mutatio cum generatione, & tamen eadē numero forma id est, natura, reducentur: unde fallacia, consequētis est; ex distinctione mutationū inferre distinctionem terminorum; licet enim ex diversitate terminorum bene inferatur diversitas mutationum; non tamen de eōra ex diversitate mutationum inferri debet diversitas terminorum; quia idem terminus acquiri potest diversis, non solum numero, sed etiam in specie mutationibus: idem enim potest acquiri potest, & per motum circularem, & per mo-

tū rectū, qui sunt motus formaliter considerati specie distincti; cum non sint comparabiles ex Aristotele 7. Physicorum, & secundum Augustinum 3. de Trinitate, cap. 9. idem in specie potest generari uniuocē, & æquiuocē, quæ sunt mutationes specie differētis. Hæc subtilis Doctor, in primo articulo 13. Ad secundam etiam distinguendum est; nam vel sermo est de duratione propria, & intrinseca angelorum, quæ dicitur ævum; vel de duratione extrinseca, & aliena, quæ dicitur tempus: si sermo sit de duratione propria, & intrinseca, vera est minor, scilicet, hanc durationem non esse distinctam ab esse actuali, seu existentia Angelorum; sed falsa est maior, scilicet, quod si iste Angelus semel annihilatus à Deo, iterum produceretur, haberet diuersam durationem; nam dicendum est, quod haberet eamdem numero durationem; sicuti & haberet idem numero esse actuale, seu eadem numero existentiam; si verò sermo sit de duratione extrinseca, & aliena, vera est maior, sed falsa minor, ut per se manifestum est.

14 Ad tertiam neganda est maior; nam ex suppositione, quod Deus ageret ex necessitate nature, & quod maneret Deus, & cum infinita virtute agēdi, etsi bene inferatur; quod id, quod semel produxisset, non posset corrumpi; quia sicut ne-

cessario produceret, ita necessitate conseruaret; ac per consequens in dicto casu non haberet locum præsens quæstio; nam esset de subiecto non supponente; non tamen recte inferri, quod non posset producere idem numero indiuiduū, quod semel corruptum fuit; quia ad hoc non tam attenditur motus agendi, quam virtus in infinita in agente; nam homines libere agunt, in quo assimilatur Deo; non tamen possunt mortuum suscitare, sicut potest ipse Deus, ex defectu virtutis infinite. Implicat tamen, aliquid esse Deū, & habere infinitam virtutem, & non agere libere; sed ex necessitate nature, cum libertas in agendo sit perfectio simpliciter simplex, quæ ideo non potest Deo deficere.

15 Ad quartam, & vltimā respondemus, simpliciter esse possibile, eundem numero effectū semel corruptum reproduci; & cum ex hoc inferatur, ergo virtute nature fieri poterit dicimus ista sententia Scoti, qui (ut quæstione sequenti videbimus) affirmat, posse hoc aliquando nature viribus contingere, nullum esse inconueniens, quod inferatur, sed potius Scoti placitum confirmare, in aliorum verò sententia, qui negant posse hoc nature viribus contingere, prædictam arguendi formam esse vitiosam, non secus, ac ista, simpliciter est possibile, hominem generari; ergo

poterit generari ab hoc agente, scilicet, ab igne: committitur enim, in hoc genere arguēdi fallacia consequētis.

#### QVÆSTIO IV.

*Vtrum res permanentes semel corruptæ naturaliter redire*

*non possint*

**H**ANC quæstionem late exagitat Scotus in 4. distinctione 43. quæst. 3. & in primis refert ex Diuo Augustino lib. 12. de ciuitate Dei, aliorum Philosophorum sententiam asserentium, non solum eandem numero res semel corruptas posse naturaliter redire; sed etiam de facto redituras esse, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad accidentia post completam circulationē naturalem octauæ sphaeræ, quæ circulario secundum aliquos Astrologos duratura est triginta sex mille annos; secundum alios verò quadraginta nouem millia. Tribui solet hæc sententia Platoni, & Democrito, imò etiam tribuitur Origeni 1. lib. Periarchon.

2 Fundamentū Philosophorum erat, quia existimabant, post completam circulationē octauæ sphaeræ redituros esse ceteros omnes orbēs caelestes, ad idemmet punctum, à quo moueri cœperunt, & consequenter repetituros eisdem numero motus, & causaturos eosdē



numero effectus, iuxta illud commune axioma, *Idem secundum idem semper est natum facere idem*: quibus addebat Origenes illud Ecclesiastes cap. 1. *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est: quid est, quod factum fuit? ipsum, quod faciendum est: nihil sub sole novum, &c.*

3 Sed hanc sententiam non solus D. Augustinus, & Scotus locis citatis, sed etiam omnes Catholici, ut fidei contrariam rejiciunt. Primò, quia opponitur expressis testimonijs Scripturæ, 1. ad Thessalonicenses, *Semper cum Domino erimus*; ad Romanos 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur; mors ultra ei, non dominabitur*; & Psalmò 111. *Tu Domine servabis, & custodies nos à generatione hac in æternũ; &c.* de sic opinantibus optimè subdit Psalmista (inquit Scotus) *in circuitu impij ambulans*, id est, dicunt reditones circulares.

4 Secundò, quia tollit liberũ arbitriũ, & similiter perpetuat beatitudinis. Tollit liberũ arbitriũ, nam si cõpleta circulatione octavæ spheræ, redituri sunt necessariò idẽ numero effectus, tam quoad substantiã, quàm quoad accidẽtia: ergo si illo sæculo necessariò erunt idẽ homines, qui fuerunt in priori cũ eisẽ numero actibus intellectus, & voluntatis, neque in potestate ipsorũ erit illos mutare; tollit perpetuatẽ beatitudinis, nam iuxta sentẽ-

tiã istorum Philosophorũ dicendũ esset, beatos redituros esse post prædictã circulationem octavæ spheræ ad statum viatorum, quem primò habuerũt.

5 Neque fundamentũ prædictorum Philosophorũ (inquit Scotus) probat, quod intẽdunt, sed potius in multis deficit. Primò deficit, quia motus ille octavæ spheræ ab occidẽte ad orientẽ, qui duraturus est triginta sex mille annos, postus à Ptolomæo, impugnatur à Thebit, qui probat cælum stellatũ non sic moveri ab occidẽte in orientẽ; quia tũc aliquãdo foret in principio Cancrũ stella illa; quæ aliàs fuit in principio Capricorni; & idẽdõ ponit motũ octavũ cæli, seu stellatũ esse in quibusdam parvis circulis descriptis super principium Arietis, & Libræ, & quod ille est quidã motus æcessus, & recessus, secundũ quod principũ Arietis mobilis in suo circulo ascẽdit, & per oppositum caput Libræ mobilis in suo circulo descendit; & eõtra capite Arietis descendẽte, caput Libræ ascẽdit, & sic movẽtur stellæ simul in octavo cælo, tam secundũ longitudinem, quàm latitudinem.

6 Secũdò deficit, quia admisso illo motu octavũ, siue stellatũ spheræ ab occidẽte in orientẽ, qui duraturus est in suo cursu triginta sex mille annos, posito à Ptolomæo, fallũm adhuc est, quod in reditu octavæ spheræ ad suum primũ principũ, om-

nccs.

nes inferiores orbes, & Planetæ, à quibus depẽdet generatio horũ inferiorum, essent in eodẽ situ, ac fuerunt in principio sui motus, siue respectivè ad ipsum primũ mobile, siue respectivè ad inferiora, & generabilia; quia (ut docet Clavius in caput primũ spheræ. §. De periotis motu cælesti) motus eorũ sunt incommensurabiles, ita ut nũquam redire possint (quantumlibet eorum motus perpetuentur) ad eundẽ situm, & aspectum, quẽ antea habebãt ante initium istorum motuum.

7 Tertiò deficit, quia prædicta ratio est diminuta; nam cũ identitas effectus, non solũ pẽdeat ab efficiente, sed etiam à materia, dato, quod orbes cælestes redirent ad eundẽ sitũ, perfecter materia esse omninò alia, vel alium sitũ habere in cõparatione ad cælũ; quia per actiõnẽ liberi arbitrij possunt corpora impediri, ne sint in illo situ, ubi prius erant; imò & per actiõnes agẽtium naturalium, & vni cinis sparsus per ventum, & ignis resolutus in aërem, &c. & eadem ratio fieri potest, etiam quoad causas secundas particulares, quæ necessariò requiruntur ad actiõnẽ, ut contingit in generatione animalium perfectorũ, quæ nullo modo possunt produci per generatiõnẽ æquivoecam, aut à solis artibus, aut infusciã calorũ. Requiritur etiã dispositiõ particularis in materia per causas particulares: hæc

enim omnia deficere possunt, nõ obstatẽ, quod idẽ esset situs, & aspectus orbium cælestium. 8 Ad illud Ecclesiastes, *nihil sub sole novũ* adductũ ab Origene ad confirmandam sententiã Philosophorũ, optimè responderet Augustinus, relatus ab Scoto his verbis, *Abstet ab his Salomonis verbis, illos circuitus signatos esse credamus; sed vel generaliter accipiẽdo eadẽ præcessisse, quæ erunt; non autẽ eadem secundum numerũ, vel aliquis sic intellexerunt, tanquam in prædeterminatione Dei iam facta fuisse omnia, sciens recessus intellectus; idẽdõ nihil volens sub sole.*

9 Reiecta igitur hac sententiã, ut fidei contraria, inter Catholicos duplex est sententiã. Prima (quæ est, quæ Scotus testificũdo loco refert) assumit implicare cõtradictionem, quod indiuiduum permanens semel corruptũ redeat idem numero virtute agentium naturalũ: ita communiter Scholastici in 4. dist. 43. & 44. & in hoc 2. lib. de generatione cap. 9. Dicitur Thomas lect. vltima, & 4. cõtra gentes cap. 31. & quodlib. 4. art. 5. quem omnes discipuli sequuntur; Conimbricenses q. 1. vltimi capitis art. 3. Suarez tom. 2. in 3. part. dist. 44. lect. 6. Rubius tractatu de reproductione rerum quæst. 1. Aggidius de presentatione tom. 3. de beatitudine, quæst. 3. art. 1. §. 1. & 3. & plures alij. 10 Probat primò ex Aristotele, qui hoc 2. libro, cap. 1. t.

ait,



ait, quorum substantia perit, non reuertitur eadem numero. Et in practicanentis cap. de oppositis, & p. 7. ratione ad habitum non est regressus; quod omnes intelligunt de priuatione subsequente formæ, & forma præcedente.

10. Secundo probant, quia si idem numero effectus posset semel corruptus per virtutem causarum naturalium redire, sequeretur, non esse impossibile hominis resurrectionem ex vi causarum naturalium; quod est non solum contra omnes Theologos in 4. dist. 43. & 44. sed etiã contra auctoritates, tam Patrum, quam Scripturæ, quas adducit Suarez loco citato.

12. Tertio idem conatur probare, adducendo rationes huius naturalis repugnantia, quas, quia variæ sunt, & in probatione nostræ sententiæ sunt adducenda; & expendenda; ideo modo non adduco, ne idem semel, & iterum repetamus.

13. Secunda sententia ( quæ est, quam Scotus refert tertio loco) est nostri Scoti 2. citato, qui, etsi asserat rarissimè contingere, quod idem numero effectus semel corruptus, iterum redeat virtute agentium naturalium; nihilominus hoc nõ repugnat respectu alicuius; ac per consequens posse contingere. Scorum sequuntur omnes discipuli in 4. dist. 43. Basfolius qui est. 2. art. 3. Antonius Andreas, quæst. 3. Ricardus art. 3. quæst. 1. ad 3. Henricus

quodlibeto 10. quæst. 4. Mayronius dist. 44. Rada tom. 4. controuersia 15. art. 3. & probabilem reputant Rubion, dist. 43. q. 1. art. 3. & Tolctus hic q. 13. & nobis videtur probabilior, & sequenda.

14. Probari potest primò ratione Scoti, quæ talis est: ex Aristotele 8. Metaph. & ex Commentatore 12. Metaph. comment 11. Si agens sit idem (intellige quoad virtutem operandi) ex materia eadem effectus erit idem. Sed non repugnat naturaliter (etsi rarissimè contingat) esse idem efficiens quoad virtutem operandi, & eandem numero materiam respectu secundo producti, quæ erat respectu primo producti; ergo possibile naturaliter est, secundò productum esse idem cum primo producto; etsi rarissimè contingat. Minorem probat Scotus, quia etsi frequenter in corruptione fiat dispersio, vel diuisio materia; tamen possibile est, quod maneat in aliquibus casibus; puta, si includatur ignis intra vrinale, & ibi corrumpatur in acrem; deinde ex illo aere generetur ignis per reflectionem radiorum solarium, vel alia simili causa, materia inclusa erit eadem. Consimiliter si ex solido generetur solidum, vbi præcisè forma geniti potest sequi formam corrupti, sequitur quod, qua ratione tota materia præfuit sub forma corrupti, pari ratione tota eadẽ suberit sub forma generandi.

15. Secundo probari potest alia ratione Scoti, aut simpliciter est impossibile, idem numero semel corruptum reproduci; aut non; si primum, ergo neque per diuinam potentiam fieri poterit, cuius oppositum cõtra Durandũ quæstione præcedenti ostensum est. Si secundum, ergo in causalitate eorum, in quibus fuit istud prius possibile, & nunc erit; sed prius fuit possibile in causalitate causarum naturalium, ergo & nunc erit.

16. Confirmatur, & declaratur amplius hæc ratio Scoti; quia non apparet, ex quo capite repugnare possit agenti naturali effectum à se productum, si semel corruptum, iterum reproducere; nam in primis hæc reproductio non repugnat ex parte efficientis; nam si habuit virtutem non solum ad ipsum producendum, sed etiam ad ipsum per continuatam productionem in suo esse conferendum, cur nõ poterit prædicta virtute (si cetera sint paria) ipsum semel corruptum reproducere; nõ circumstantia temporis diuersi, nõ sit rebus permanentibus valde extrinseca, nihili conducere potest ad ipsarum nometicam distinctionem, nec etiam obstat, quod hæc virtus sit creata, & limitata; nõ etiã in prima productione erat creata, & limitata, & nihilominus potens fuit producere tale effectum, & per reproductionem prædicti effectus nõ extrahitur à ratione causæ creatæ, & limi-

tatæ; nam illud reproduceret, eum subordinatione ad causam primam, & ageret dependenter à materia; & ædebita approximatione, non secus, ac in prima productione.

17. Neque etiã hæc reproductio repugnat ex parte termini à quo, neque ex parte termini ad quẽ. Non ex parte termini à quo, quia illa priuatio, quæ sequitur ad corruptionem rei permanentis (vt in simili dicebamus eum Scotto contra Durandũ quæstione præcedenti n. 9.) eiusdẽ est rationis, cum priuatione, quæ ante cõsistat ad illius productionem; ergo sicut fuit terminus à quo primæ productionis, poterit etiã esse abique illa repugnantia terminus à quo secundæ productionis, seu reproductiois. Neque etiã ex parte termini ad quẽ, quia sicut terminus ad quẽ ante primam productionem erat possibilis respectu causæ creatæ; quia in ipsa virtualiter cõtinebatur; etiam semel corruptus erit possibilis respectu eiusdem causæ creatæ, cum semel corruptus, adhuc in ipsa virtualiter contineatur.

18. Denique probari potest hæc nostræ, & Scoti sententiæ, nõ videri ad omnes rationes, quæ à priori adduci solent ab auctoribus oppositæ sententiæ ad probandum implicationem inuolueri, esse eundem permanentem semel corruptum eundem numero redire virtute agentium naturalium, quæ variæ, & diuersæ sunt.



19 Prima defumitur ex dispersione materiae. Nam cum in omni corruptione materia diuidatur, ita ut in nouo genito non sit tota materia, quae praefuit in corrupto, & sic vltimus semper sit maior, & maior dispersio materiae, necessarium conuenire debet, ut si per circulationem generationum, & corruptionum deuenire possit ad genitum eiusdem speciei cum corrupto, non tamen ad genitum idem numero cum corrupto; cum non possint participare eandem totalem numerum materiam, quae ad identitatem numericam simpliciter necessaria est, sicuti & eadem numero forma ex Aristotele 1. 2. Metaph. cap. 2.

20 Ad hanc rationem (quae est prima ex his, quas ibi obijcit Scotus) respondetur, probare quidem rarissime posse contingere, quod effectus permanens semel corruptus redeat totaliter eidem numero virtute agentium naturalium; non vero probare implicare contradictionem, saltem in aliquo casu; quia ut ex Scoto num. 14. dicebamus, est frequentior in corruptione fiat dispersio, vel diuisio materiae; tamen possibile est, quod maneat tota materia sine ulla dispersione in genitis, quae praesens sit in corruptis, ut in casibus ibi assignatis ab Scoto contingeret.

21 Praeterea optime obijcit Scotus, non debuisset auctores moueri ista ratione ad sustinen-

dum, non posse semel corruptum idem numero redire virtute agentis naturalis; tum quia etiam per corruptionem fiat dispersio materiae, nihilominus aliqua pars materiae, quae erat in corrupto, remanet in genito; ergo saltem ratione illius (stans in praedicta ratione) verificaretur, posse corruptum redire idem numero (virtute agentium naturalium); tum etiam, quia posset Deus, vel Angelus colligere omnes partes materiae ipsius corrupti, & eas applicare agenti naturali in debita proportione, & in isto casu rediret idem numero totum virtute agentis naturalis, secundum rationem allatam.

22 Secundum dixerunt alij, hanc repugnantiam naturalem prouenire ex eo, quod effectus semel productus non manet in potentia productis. Sed hoc plusquam falsum est, primo, quia ex ista doctrina sequeretur, quod in potentia actiua Dei non manerent effectus semel ab eo producti, & consequenter, neque Deus per suam omnipotentiam posset reproducere effectum semel corruptum, quod quaestioe praecedenti, ut falsum reiectum est. Secundum, quia potentia actiua agentis, siue sit substantialis, siue accidentis, eodem modo manet immutata post productionem, ac antea; ergo ex hac parte non recte probatur implere, quod idem numero effectus semel corruptus redeat virtute agentium naturalium.

23 Tertio Conimbricenses cap. 1. 1. huius libri, q. 1. art. 3. ut rationem a priori huius naturalis repugnantiae adducant, prius supponunt id, quod docuerunt 2. libro Physicorum, cap. 7. q. 1. art. 2. scilicet, causam secundam, quae ex se potest esse ad eliciendas diuersas numero actiones, & consequenter ad producendos diuersos numero effectus, determinari per se ad eliciendam potius hanc numero actionem, quam aliam, & consequenter ad producendum hunc numero effectus potius, quam alium, a causa prima mediante suo concursu, & concomitate concursuum, seu influxum causarum secundarum. Hac doctrina supposita, dicunt, idem non posse effectum semel corruptum eundem numero redire virtute agentium naturalium; quia determinatio causae primae non est ad eundem effectum semel corruptum, in diuerso tempore iterum producendum, sed ad producendum in diuersis temporibus alios, & alios effectus numero distinctos.

24 Sed haec ratio in multis deficit. Primo deficit in fundamento, quod supponit; nam cum influxus, quo simul Deus concurret cum causis secundis ad eum effectus, sit idem realiter cum influxu ipsarum causarum secundarum, ut ex professo docuimus 2. Physicorum, disp. 4. quaest. 8. implicationem inuoluet, quod vnus realiter ab alio dependeat in sua existentia,

quod magis in sua indiuiduatione, cum indiuiduatio sit prior natura ipsa existentia, & existentia sit prior natura quaecumque causalitate, seu influxu. Melius intelligi posset haec doctrina in sententia rigidorum Thomistarum, qui praeter influxum, quo simul Deus cum causis secundis influit in earum effectus, requirit etiam necessarium alium influxum, quo solus Deus influit in causas secundas in actu primo, & prius natura, quam operari incipiant, ipsas physice mouendo, & applicando ad actualem operationem, quae eo ipso praemotio, seu praedeterminatio physica solet nominari tamen Conimbricenses hanc praedeterminationem physicam non admittunt, neque admittendam esse, late ostendimus 2. Physicorum loco citato sect. 3. 25 Secundo deficit, quia dato, quod causae secundae determinarentur a causa prima ad producendum hunc numero effectum, & non alium, adhuc supererat his auctoribus assignare rationem, cur causa prima non possit in diuersis temporibus determinare causam secundam ad eundem numero effectum, saltem in casu, quod eadem numero materia, quae praefuit in corrupto, applicaretur eidem agenti, quoad virtutem, supposito, quod in iporum, & vera sententia; tempus non est principium, neque causa indiuiduationis effectus, seu entis permanentis.



26. Tunc d. demum deficit, quia dato, quod causæ secundæ determinarentur à concurren-  
tibus causis primis ad producendum hunc numero effectum, & non alium; & similiter dato, quod hæc determinatio de facto non esset ad eundem numero effectum semel corruptum; in diverso tempore iterum producendum, sed ad producendum in diversis temporibus alios, & alios effectus numero distinctos, adhuc ratio facta non concludit intentum, scilicet, repugnare, quod idem numero effectus semel corruptus redire possit virtute causarum secundarum; sed quod concludit, est, de facto non esse rediturum, atterta ordinatione diuinæ; diuersa enim hæc præpositio, repugnat, eundem numero effectum semel corruptum, iterum reproduci virtute causæ secundæ, ab illa, effectus semel corruptus de facto non reproduciatur idem numero virtute causæ secundæ, quia prior statuit repugnantiam ex parte causæ, & tollit virtutem actiui eius, & hanc dicimus eum Scotus esse fallam. Posterior verò non tollit possibilitatem causæ, aut effectus, sed exercitium, aut applicationem effectus; quæ quidem simpliciter possibilia sunt, impossibilia tantum secundum quid, & ex suppositione, stante, scilicet, rerum cursu à diuina voluntate ordinato, supra quem cursum, si aliquid fieret, esset

quidem miraculum, non tamen impossibile.

27. Quarta, cursus Carmelitanius hic disput. 13. quaest. 1. §. 2. Ioannes à Sancto Thoma quaest. 12. art. 1. Egidius theoremate 11. Rubius loco citato, & quam plures alij dicunt, hanc naturalem repugnantiam provenire ex eo, quod non potest redire idem numero effectus virtute agentium naturalium, nisi per eandem numero actionem; & quia eadem numero actio redire non potest virtute agentium naturalium; ideo implicationem involvere, quod idem numero effectus semel corruptus redireat virtute agentium naturalium.

28. Sed quia actio dupliciter sumi potest (vt quaestione præcedenti num. 10. & alibi sæpe didicim) primo materialiter, & in esse rei; secundo formaliter, & in esse actionis, seu mutationis, inquirendum adhuc superest ab his auctoribus, in quo sensu sumant actionem, dum in sua probatione dicunt, effectum semel corruptum non posse eundem numero redire virtute agentium naturalium, nisi per eandem numero actionem.

29. Si loquantur de actione sumpta materialiter, & in esse rei, non solum est verum, non posse redire eundem numero effectum, nisi per eandem numero actionem virtute agen-

tium

tium naturalium, sed etiam neque per diuinam virtutem; quia actio in ista acceptione sumpta nihil aliud est, quam ipse terminus in fieri, & implicationem involvit, quod redeat idem numero terminus per alium distinctum numero terminum in fieri. Sed negamus, sumpta actione in hac acceptione, esse impossibile redire eandem numero actionem virtute agentium naturalium, & hoc negamus propter eadem rationes, quibus idem ostensum est de ipso termino huius actionis, quæ, aut nihil probat, aut (quod verius est) vtrumque simul demonstrant. Vnde colligere, repugnare redire eundem numero effectum, semel corruptum virtute agentium naturalium, ex eo, quod repugnet redire virtute agentium naturalium eandem numero actionem materialiter, & in esse rei consideratam (vt auctores isti contendunt) est fallacia petitionis principij; quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

30. Si autem loquantur de actione sumpta formaliter, & in esse modalis actionis, seu mutationis considerata, patet ex dictis contra Durandum quaestione præcedenti num. 12. fallum opinand esse id, quod ab his auctoribus in sua ratione assumitur, scilicet, non posse redire eundem numero effectum in esse rei, nisi per eandem nu-

mero actionem, seu mutationem; nam vt ibi ex Scotus, imò & ex D. Augustino docuimus, & manifestis instantijs comprobauimus, idem numero effectus in esse rei potest produci, tam virtute diuina, quam virtute creatæ actionibus, non solum numero, sed etiam specie differere; si actio non materialiter, & in esse rei, sed formaliter, & in esse modalis actionis, seu mutationis consideretur; cuius ratio à priori est, quia vt bene vidit Scotus, actio, vt sit, non est prior natura ipso termino, vt est actio materialiter, & in esse rei considerata, sed potius natura posteriori; & non bene inferitur, ex eo, quod posterior non possit redire idem numero, quod etiam non possit redire idem numero id, quod est natura prius.

31. Ex quibus etiam inferes, quæ inanis sit aliaratio, quæ ab aliquibus afferri solet ad probandum non posse redire eundem numero effectum semel corruptum virtute agentium naturalium, etiam si redire possit virtute diuina, & est, quam refert Scotus loco quantum citato, quaest. 1. §. Altera ponitur, litera 5. & à Marginita tribuitur Egidio theoremate 11. citato, nimirum, hoc provenire, quia natura agit per motum, vel mutationem, quæ eadem numero redire non possunt; Deus autem potest agere non per motum, vel mutationem;

&amp;c.



& ideo per oppositū redit idem numero; nam quidquid sit de illa difficultate, an successiva, vt sunt motus, & tempus, semel transacta eadem numero redire possint, saltem virtute diuina? que est difficultas quæstionis sequenti tractanda, patet ex modo dictis, etsi ad hoc, vt idē numero effectus permanēs redire possit semel corruptus, necessarium simpliciter sit, quod redeat eadē numero actio materialiter, & in essetū considerata; non tamen esse requisitū, quod redeat eadē numero, imō neque eadē in specie, si formaliter, & in esse modali actionis, seu mutationis consideretur; ac per consequens cōtendere probare ex eo, quod creatura agat per motum; vel mutationem; Deus autem agere possit sine motu, vel mutatione, effectum semel corruptum non posse eundem numero redire virtute agentium naturalium, bene tamen virtute diuina, est fallacia accidentis, & contra ipsam optimē obijcit Scotus; Deus resuscitando hominem agit per mutationem; quia materia præfuit sub priuatione formæ, seu animæ, & sit sub forma, seu anima, & consequenter mutatur ex non esse sub forma ad esse sub forma; & nihilominus, non obstat, quod resuscitatio sit mutatio, effectus semel corruptus redit idem numero per ipsam.

320 Denum Murcia de la Lia-

na quæstione vltima, contendit, demonstrare hanc impossibilitatem, naturalem, duabus alijs rationibus. Prima, sicut res pendet à loco, tanquam à mensura extrinseca; ita à tempore; ergo sicut naturaliter repugnat transire de loco ad locum extremum, nisi per medium; ita etiam repugnabit naturaliter transire de tempore ad tempus extremum, nisi per medium; ergo semel corrupta non poterit naturaliter reproduci eadem numero; sic enim transiret de tempore ad tempus extremum absque transitu per medium.

33 Secunda; sicut est propriū rerum, naturalium, mensurari quantitate permanentis; ita etiā est propriū rerum, temporalium tempore mensurari; sed non potest eadem res materialis habere duas quantitates diuisas, & discontinuas; adhuc successiuē; quia partes de nouo aduenientes, prioribus, continuantur; ergo neque etiam poterit naturaliter eadem res temporalis mensurari, adhuc successiuē duplici tempore discontinua.

34 Sed rationes istæ ad intentionem vana sunt. Ad primam, dicimus, repugnare quidem naturaliter, quod eadem res sine sui corruptione transeat ex vno loco ad alium extremum sine transitu per medium; tamen si in vno loco corrupta fuerit, & in alio separato eadem nume-

ro reproduceretur (quod, vt supponimus, non repugnat fieri virtute agentium naturalium) tunc transiret de loco ad locum extremum sine transitu per mediū. Vnde ex eo, quod res pendeat à tempore, tanquam à mensura extrinseca, non secus, ac pendet à loco, non sequitur absolutē, non posse transire de tempore ad tempus extremum sine transitu per medium; sed hoc non posse cōtingere, nisi cum sui corruptione, & noua generatione; non secus, ac dictum est, posse contingere de transitu de loco ad locum extremum sine transitu per medium.

35 Ad secundā respondemus, quod etiam res materialis, dum manet in suo esse, non possit habere, adhuc successiuē duas quantitates discontinuas; tamen si semel corrupta, & iterum de nouo produceretur, haberet quidem (in nostra, & vera sententia, quæ sufficit, quantitate subiecta in toto composito, & consequenter non manere eandem numero quantitatem in genito, quæ præfuit in corrupto) duas quantitates discontinuas successiuē; idem dicimus de re temporalis in ordine ad tempus. Vnde rationes istæ non solum non probant, sed neque attingunt, quod eam auctor assumpsit probandum.

36 Ex his ergo liquidē patet, nullam assignatam esse ra-

tionem, quæ conuincat, repugnare, quod effectus permanentis semel corruptus redeat idem numero virtute agentium naturalium, etiam si totius intentionis fuerit ab auctoribus opposita sententiæ; & consequenter veram esse Scoti sententiā, quam defendimus, scilicet, posse rem permanentem, semel corruptam, eandem numero redire virtute agentium naturalium, saltem in aliquo casu, licet hoc rarissimē contingat.

37 Ad auctoritates Aristotelis numero 10. adductas in contrarium respondetur, Aristotelem dixisse, quorum substantia perijt, non reuertitur eadem numero, & similiter, à priuatione ad habitum non est regressus; non quia existimauerit, hoc esse impossibile, sed quia ad hoc (vt ipsemet Aristoteles 8. Metaphysic. fastus est) necessarium simpliciter est, quod simul concurrant idem agens, saltem quoad virtutem, & eandem numero materia; quod rarissimē, & fortassis numquam contingit.

38 Ad rationem à posteriori numero 11. adductam dicimus, ex eo, quod affirmemus, non repugnare, aliquem effectum semel corruptum redire eundem numero virtute agentium naturalium, non rectē inferri, resurrectionē hominis esse naturaliter possibilem; quia ex aliquo particulari



colligere vniuersale, est vitio-  
fa consequentia. Et si roges, cur  
resurrectio hominis sit natura-  
liter impossibilis? Respondetur,  
rationem esse, quia per  
mortem hominis, eius materia  
affecta est dispositionibus ita  
contrarijs, & distancibus ab il-  
lis, quæ necessariae sunt ad in-  
troductionem animæ, vt non  
possint agentia naturalia illa-  
mam materiam iterum, dispo-  
nere ad receptionem animæ,  
nisi cum tanta illius diuisione,  
scu diminutiope, & admittio-  
ne cum alijs materijs, vt iam  
non maneat eadem numero  
materia; quod est simpliciter  
necessarium ad vnitatem nu-  
mericam effectus.

### QVÆSTIO V.

*Primum, res successiua semel trans-  
facta, per diuinam potentiam,  
redire possint?*

1. **S**pecialem difficultatē ha-  
bet reproductio rerū suc-  
cessiuarum, vt sunt tempus, &  
motus, propter specialem mo-  
dum essendi ipsarum, non perma-  
nentem, sed cōtinuo fluen-  
tem: quare conueniunt omnes,  
per se successiuas, vt sunt  
tempus, & motus, semel trans-  
factas non posse eadem nume-  
ro redire virtute agentium natu-  
ralium; & solum est dubium  
apud auctores, an saltem virtu-  
te diuina hoc possit contingere.

re; in qua re duæ sunt opposi-  
tæ sententiæ.

2. Prima defendit, hoc im-  
plicationem involuere, ac per  
consequens fieri non posse, ad-  
huc diuina potentia. Ita Diuus  
Thomas quodlibeto. 4. art. 5.  
Henricus quodlibeto 7. quæ-  
stione 16. Durandus in 4. di-  
stinct. 43. quæst. 3. Caprolus  
ibidem quæst. 1. Ferraricus 4.  
contra gentes ad caput 81. &  
plures alij, quos refert, & sequi-  
tur Rubius tractatu de repro-  
ductione rerum, quæstione vlti-  
ma, & probari solet pluribus  
argumentis.

3. Primò, non potest restitui,  
idem numero motus, nisi re-  
stituatur, idem numero, tem-  
pus; sed tempus præteritum,  
idem numero restitui impli-  
cationem involuit: ergo & re-  
stitui eundem numero, mo-  
tum. Probatur minor, tum ex  
illo communi proloquio, ad  
præteritum non datur poten-  
tia, tum etiam quia tempus ve-  
rum, & posituum habet ordi-  
nem essentialē, ad tempus  
imaginarium, quod cum di-  
uinitus mutari, seu transferri  
nequeat fit, vt idem iudican-  
dum sit de tempore vero, &  
positiuo.

4. Secundò, motus ex Aristo-  
tele 5. libro Physicorum, indi-  
uiduatur à subiecto, termino,  
& tempore, ita vt quocumque  
ex istis numero variato, va-  
rietur, etiam numero motus;  
sed ad reproductiōem motus

ne-

necessarium est, quòd varietur  
numero tempus imaginariū:  
ergo etiam necessarium sim-  
pliciter erit, quòd varietur nu-  
mero ipse motus reproductus.

5. Tertiò, id, cuius vnitas ex  
sua natura requirit continui-  
tatem, non potest idem nume-  
ro restitui; quia si interrumpi-  
tur, iam soluitur eius continui-  
tas; sed vnitas entis successiui  
requirit ex natura sua conti-  
nuitatem, vt colligitur ex his,  
quæ docet Aristoteles 5. Phy-  
sicorum, cap. 4. textu 39. ergo  
nullum ens successiuum po-  
test idem numero redire.

6. Quatò, facilius est, rem  
iam existentem conservare, ne  
corumpatur, quàm semel cor-  
ruptam reparare; sed Deus sua  
potentia absoluta non potest  
conservare rem successiuam,  
ne corumpatur; aliàs non ef-  
fet successiua, sed permanens:  
ergo fortiori ratione non po-  
terit semel corruptam repa-  
rare.

7. Quintò, implicationem in-  
uoluit, quòd idem numero  
motus sit præsens, adhuc suc-  
cessiue, eadē numero præsen-  
tia duabus durationibus ima-  
ginijs; sed si idem numero  
motus semel transfactus repro-  
duceretur, idem numero mo-  
tus esset successiue præsens dua-  
bus durationibus imaginarijs  
eadem numero præsentia: ergo  
implicationem inuoluit,  
quòd idem numero motus re-  
deat semel transfactus: minor

probat, & in primis, quòd  
idem numero motus esset suc-  
cessiue præsens duabus dura-  
tionibus imaginarijs, manife-  
stum est; quia secundum om-  
nes duratio imaginaria transit  
non reditura: quòd autem his  
duabus durationibus imaginarijs  
esset præsens eadem nume-  
ro præsentia, probat Rubius;  
quia sicut corpus per suam ex-  
tensionem permanentem est  
præsens spatio imaginario lo-  
ci; ita motus per suam exten-  
sionem successiuam est præ-  
sens spatio imaginario dura-  
tionis; sed in calu, quo motus  
semel transfactus rediret idem  
numero, etiam rediret eius  
realis extensio successiua, qua  
intrinsicè mensuratur: ergo  
per eandem numero præsen-  
tiam motus iste semel trans-  
factus, & iterum reproductus ef-  
fet præsens prædictis duabus du-  
rationibus imaginarijs.

8. Secunda sententia docet,  
nullam implicationem inuol-  
vere, quòd eadem numero res  
successiua semel corrupta, seu  
transfacta, iterum redeat; ac per  
consequens posse hoc effici  
per diuinam Dei virtutem. Ita  
noster Aureolus apud Capro-  
lum in 4. distinct. 43. quæst. 1.  
artic. 2. noster Franciscus May-  
ronis distinct. 44. quæstione 3.  
noster Ioannes Bassolius dist.  
43. quæstione 1. Conimbricenses  
hic cap. 11. quæstione  
3. artic. 2. Suarez 1. tomo suæ  
Metaphys. disputat. 5. sect. 9.

AA 2 num.



num. 6. & plures alij ex recentioribus; quæ mihi videtur probabilior, & principijs Doctoris subtilis valdè consentanea: quæ nullo pacto melius probari potest, quàm diluendo implicationes adductas ab aduersarijs; nam hæc probandi ratio in subiecta materia, efficaç est.

9. Ad primum fatemur, non posse restitui eundem numero, motum, formaliter sumptum, nisi etiam restituatur idem numero tempus intrinsecū, sumptum materialiter; quia, vt diximus in Logica. capite de quæritate, disput. 2. quæst. 3. motus, formaliter sumptus, & tempus, materialiter sumptum, scilicet, pro illa duratione, qua intrinsecè mensuratur motus, sunt idem realiter. Sed negamus, implicationem inuolueri hoc tempus præteritum restitui. Et ad primam probationem dicimus, illud axioma. *ad præteritum non est potentia*, non significare ea, quæ sunt præterita, nulla potentia posse restitui: sed fieri non posse ab aliqua potentia, quod præterita nõ fuerint. Ad secundam, respondemus, etsi tempus verum, & posituum aliquem ordinem commensurationis habeat ad tempus imaginarium; non tamen ab eo pendere illius essentiam, individuationemvè: cum huiusmodi tempus, vt porè fictitium, & nihil omnino exitatis habens, nullam realem causa-

litate in verum, & posituum mens valeat exercere. Quare ordo ille, siue respectus commensurationis nihil obstat potest, quo minus idem numero tempus reale posituum, & intrinsecum motui redire possit, etiã, si ipse non possit redire.

10. Ad secundum dicimus, quod quando Aristoteles docet, motum sumere unitatem, numericam à subiecto, termino, & tempore, loquitur de tempore intrinsecò, quod est illa duratio, quæ intrinsecè mensurat motū materialiter sumptum, & in qua formaliter consistit motus formaliter sumptus, id est, non pro forma fluente, sed pro ipso fluxu, vt in Logica cap. de quantitate, disput. 2. quæst. 3. citatis, & alibi sæpè dictum, & explicatum est; non verò de tempore imaginario; imò neque de tempore reali extrinsecò, & existente in alio motu, etiã si primi mobilis; siquidem hæc tempora non solum sunt extrinsecà motui, sed etiam nullam causalitatem intrinsecam, & essentialem, indiuidualenivè exercent circa illum. Vnde ex variatione numerica temporis imaginarij, colligere variationem numericam motus, vt colligit Rubius, est fallacia *accidentis*, & similiter est fallacia *figuræ dictationis*.

11. Ad tertium distinguendum est; dupliciter enim potest intelligi, unitatem succes-

siui.

siui pendere ex continuitate, vel quia vt successiuum sit unum, debet esse sibi ipsi continuum; vel quia oportet, vt eius partes inter se continuentur. In priori sensu non potest intelligi, quod unitas successiuæ pendeat ex continuitate; quia nihil sibi ipsi continuum esse dicitur: ergo solum debet intelligi in posteriori sensu; & in posteriori sensu, etiã si successiuum semel corruptum, iterum redeat, saluatur optimè unitas successiuæ, cum in eius reditu redeant ipsius partes, ita continuæ, sicut erant antea.

12. Ad quartum negamus, in rebus successiuis facilius esse, rem existentem conseruare, seu retinere, ne fluat, & corrumpatur, quàm semel transactam, seu corruptam, iterum reproducere; siquidem primum est contra rationem, & essentiam rei successiuæ, & consequenter impossibile; secundum verò non. Vnde illud assertum, facilius est, rem iam existentem conseruare, ne corrumpatur, quàm semel corruptam reproducere, solum potest habere locum in rebus permanentibus.

13. Ad quintum, & vltimum fatemur (in sententia nostra, & Scoti, quæ tenet præsentiam formalem, per quam motus denominatur formaliter præsens durationi, siue imaginariæ, siue reali, vt est duratio pri-

mi mobilis, quæ dicitur quando, seu esse in tempore, esse relationem extrinsecam aduenientem, & insuper relationes multiplicari necessario numero, ex multiplicatione terminorum), implicare contradictionem, quod idem numero motus sit præsens formaliter, adhuc successiuè duabus durationibus, siue imaginarijs, siue realibus; eadem numero præsentia formaliter: sed negamus, quod si motus semel corruptus, seu transactus idem numero reproducatur, esset præsens eadem numero præsentia formali duabus durationibus imaginarijs, licet enim esset præsens successiuè duabus numero durationibus imaginarijs, sed non eadem numero præsentia formali, sed duabus numero diuersis: & ad argumentum, quo contendit Rubius, oppositum probare, respondemus, quod etiã si motus dicatur præsens spatio imaginario durationis per suam extensionem, seu durationem successiuam; non tectus, ac corpus dicitur præsens spatio imaginario loci per suam extensionem, seu quantitatem permanentem; sed hoc neque in motu, neque in corpore esse intelligendum de præsentia formali, sed de præsentia fundamentali; nam præsentia formalis, à qua motus dicitur formaliter præsens spatio imaginario durationis, non est extensio, seu



duratio intrinseca, & successiva motus; sed relatio extrinsecus adueniens, quæ dicitur *quando*, & immediatè fundatur in extensione, seu duratione intrinseca, & successiva motus, & terminatur ad spatium imaginarium durationis, cui est præsens motus: sicuti & præsentia formalis, à qua formaliter dicitur corpus præfens spatio imaginario loci, non est extensio, seu quantitas permanens illius; sed relatio extrinsecus adueniens, quæ dicitur *ubi*, & imme-

diatè fundatur in extensione, seu quantitate permanente illius, & terminatur ad spatium imaginarium loci. Constat autem in sententia nostra, & Scoti relationes multiplicari numero ex multiplicatione numerica terminorum, etiamsi fundamentum ipsarum sit vnum numero. Et hæc sint satis circa libros Aristotelis de ortu, & interitu, siue de generatione, & corruptione.

FINIS.



C V M  
 P R I V I L E G I O  
 M A T R I T I I  
 E X  
 T Y P O G R A P H I A R E G I A  
 A N N O M . D C . L I X .





CVM

FRIVILEGIO

MATRIT

EX

TYPOGRAPHIA REGIA

ANNO M.DC.LIX